

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`


Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

4° J. can. U.

Chiavetta

37-1

Fi. 2. g.a D.

<36639135230010

<36639135230010

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

BENEDICTI CHIAVETTA S. J.

INSTITUTIONUM JURIS CANONICI

LIBER PRIMUS

DE

PERSONIS ECCLESIASTICIS.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

INSTITUTIONES JURIS CANONICI,

SEU

SUMMA TOTIUS LEGIS PONTIFICIÆ,

IN TRES LIBROS

DISTRIBUTA.

Quorum Primus Personas; Secundus Res; Tertius Judicia, Delicta, & Pœnas Ecclesiasticas complectitur.

OPUS

Tyronibus non modo, ut suaviorem ineant viam, sed ipsis etiam Juris Consultis accommodatum, ut promptius habeant in hac re memoriæ juvamen.

AUCTORE

BENEDICTO CHIAVETTA

PANORMITANO SOCIETATIS JESU,

Scholasticæ olim in Messanensi, & in Panormitana Academia ejusdem Societatis, tum Scholasticę, tum Moralis Theologiæ, nec non Sacræ Scripturæ,

NUNC SACRORUM CANONUM ITERUM PROFESSORE.

LIBER PRIMUS

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

DOMINO

D. BENEDICTO GISMONDI J. C.

MAGNÆ REGIÆ CURIÆ REGIARUM RATIONUM MAGISTRO, REGIOQUE CONSILIARIO

DICATUS.

PANORMI, Ex Typographia Regia Antonini Epiro. 1711.

Imprim. Sidoti V. G.][*Imprim. de Ugo P.*

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Digitized by Google

DOMINO

DON BENEDICTO GISMONDI J.C.

MAGNÆ REGIÆ CURIÆ RATIONUM MAGISTRO, REGIOQUE CONSILIARIO,

BENEDICTUS CHIAVETTA SOCIETATIS JESU

FELICITATEM.

VÆrunt patrocinium tuum, quæ cæteris hactenus patrocinatæ sunt, leges; ipsaque facultas, qua omnium causa defenditur, tuo se judicio tueri nunc maluit. Decet sane; ut ipsa juris æquitas se tibi sistat, cum ex incremento dignitatis tuæ, suæ pariter dignitati accessionem factam esse profiteatur: decet, ut Jurisprudentia patronum te jactet, & parentem, quem olim totum sortita est in alumnum. Nil hæc majus habet, quod tibi de se benemerentissimo rependat, præter se ipsam; nil ex te, si quid meruit enixius expostulat, nisi ut excipiatur. Quanquam, ut verum fatear, haud nunc quidem primùm te leges adeunt quas jamdiu memoriâ, ac scientiâ cõprehendisti. Ex quo ad illas animum applicuisti tuum, tuæ adeo fuere, ut ingenitas potius dicerem, quàm studio, & la-

bore

Digitized by Google

bore conquisitas. Hanc si quis laudem immodicam putet, publicum, vulgatumque de te famæ judicium nescit: is enim es, quem facilis, atque expedita intelligendi celeritas, ac præter ætatis angustias inexhausta capacitas, ad summum dignitatis apicem veluti raptim, properèque perduxere. Tenes adhuc ab adolescentia recens, quod exactæ jam ætatis, probatæque sapientia Viri vehementius expectant: ea incedis in Toga, in qua emeriti Senes felicissimè subsistunt: inde gradus instituis tuos, quo certos sibi fines, terminosque plerique constituere. Mirarer fortunam tuam, ni comperirem ab una virtute tantum operis profluxisse: illa enim suffragante videreris res maximas assequutus, nisi eum teneres locum, in quo sæpe numero exhiberes singularem in dignitate modestiam, in consiliis ineundis prudentiam, in exequendis vigilantiam, in publicis, privatisque congressibus animi præsentiam, in sermonibus eruditionem, in verbis leporem, in moribus suavitatem. Norunt qui tecum in dies singulos congrediuntur, & profecto citra invidiam fatentur, te admirabili quadam, & propè singulari ingenii magnitudine præditum, sedulum adeo in pertractandis rebus esse, ut natum ad id unum dicerent, quodcumque agas; quamvis nemo sit, qui ita versetur in singulis, ut tu imples omnia. Nec tamen ea solummodo agis, quæ tui sunt muneris: major tibi est animus, quàm ut iis omnibus, licet maximis, expleatur. Accedit ex omni

Digitized by Google

ni bonarum artium ingenio collecta perfectio, humaniorum præsertim literarum, in quibus adeo discendo, exercendoque processisti, ut quibuscuis doctrinæ præsidiis ad dicendum paratus, & videaris, & existas. Sed quid? excludamne ex hoc fastigio fortunam, quæ de te quoque voluit benemereri? Dicam quod sentio, nec tamen quidquam è tuis laudibus detraham; Utrique te debes, ac dignitatem tuam: Virtuti, quod ducem tibi gesserit; Fortunæ, quod virtutem tuam tandiu fuerit comitata. Regnat in te illa; hæc honorario veluti famulatu subseruit. Qui te felicem, fortunatumque dicunt, id unum innuunt: quàm potens scilicet, quàm larga sit Virtutis felicitas, & fortuna; utram ab utra sejungant, nec te existimant, neque tua. Atque in hoc fascinum comprehendi, si in cæteris miraculum: cum suos cuique mores plerunque conciliet Fortunæ suffragium, cumque hoc pro te sit plane singulare, te unum communem omnibus facit, omniumque utilitatibus addictum. Quò magis dignitate excellis, eò humaniorem te præstas, & suaviorem. Quanquam nescio quo pacto id evenit, ut cum te velis esse omnium, omnes vicissim ad te inflammato quodam studio rapiantur. Testem in hoc producam, qui se non opinari, sed scire, non audivisse, sed expertum penitus habuisse significet. Ipse ego primùm te allocutus, devinctum adeò, captumque tuis moribus me sensi, ut jam, tum

me,

Digitized by Google

me, meaque omnia tibi penitissimè destinaverim. Nunc verò, ut voto potius indulgeam meo, quàm ut tuæ satisfaciam dignitati, Summam hanc Ecclesiastici Juris tibi consecro. Hæc, ut in te summum nanciscitur Patronum, summam in me testetur obsequentis animi benevolentiam. Exiguum profectò donum, si te attendas, & donantem; maximum, ac te omnino dignum, si in hoc sapientiæ tuæ partem velut in Epithomen deductam spectes. Vale. Ex Collegio Panormitano Societatis Jesu die 26. Septembris 1711.

FA-

Digitized by Google

FACULTAS PATRIS PROVINCIALIS.

JOSEPH PHILIBERTUS BARBIERI

Provincialis Societatis Jesu in Sicilia

CUM Librum, cui titulus est *Institutionum Juris Canonici, seu Summæ totius Legis Pontificiæ, Liber Primus de Personis Ecclesiasticis* à Patre Benedicto Chiavetta Societatis nostræ compositum, tres ejusdem Societatis Theologi, quibus commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultate nobis facta a P. N. Michaele Angelo Tamburino Præposito Generali, concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & nostro sigillo munitas dedimus Panormi die 3. Septembris 1711.

Joseph Philibertus Barbieri.

✠ Loco Sigilli.

S AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

PAucis te monitum existimo, Amice Lector, me Authorum, quos retuli, paginas fideliter hìc allegasse. Non enim alienâ, sed meâ sum usus operâ, ac ego met Authorum libros revolvere curavi. Adverte tamen, si in quærendo numero Consultationum Jacobi Pignatelli fortasse correspondentem non reperies, id oriri ex duabus, quæ circumferuntur, hujus Auctoris Editionibus, Romanâ una, Colonienſi Allobrogum alterâ inter se non cohærentibus in prædictis numeris, quarum utramque ego indiscriminatim secutus sum, nam non semper eadem apud me fuit, adeoque si in una correspodentem prædictum numerum, non invenies, in altera certè reperies. Similiter quàm maximè adhibui curam, ne quid erroris prælo excideret; irrepsere nihilominus aliqui, præsertim in primis paginis, me absente, quos in fine hujus Libri invenies emendatos; reliquos verò levioris momenti tuâ sapientiâ facilè corriges. Interim accipe hunc primum, qualiscumque is sit, Institutionum Juris Canonici librum: secundum brevi in lucem proditurum expectâ. Vale.

TI-

Digitized by Google

TITULI
DECRETALIUM

Abbreviati	*Leguntur.*
A	A
DE *Accuſat:*	DE *Accuſationibus, Inquiſitionibus, & Denunciationibus.*
Adult:	*Adulteriis, & ſtupro.*
Ætat: & qualit:	*Ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.*
Alienat: Jud: mut: cauſa	*Alienatione Judicii mutandi cauſa facta.*
Appellat:	*Appellationibus.*
Apoſt: & reit:	*Apoſtatis, & reiterantibus Baptiſma.*
Arbit:	*Arbitris.*
Auctor: & uſu pal:	*Auctoritate, & uſu pallii.*
B	B
De Baptiſ: & ejus effec:	*De Baptiſmo, & ejus effectu.*
Big: non ord:	*Bigamis non ordinandis.*
C	C
De Calumniat:	*De Calumniatoribus.*
Cap: Monach:	*Capellis Monachorum, & aliorum Religioſorum.*
Cauſa poſs: & prop:	*Cauſa poſſeſſionis, & proprietatis.*
Celebrat: miſs:	*Celebratione miſſarum, & Sacramento Euchariſtiæ, & divinis officiis.*

Digitized by Google

Abbreviati	*Leguntur*
Cenſ: exact: & procur:	*Cenſibus, exactionibus, & procurationibus.*
Clandeſt: deſponſ:	*Clandeſtina deſponſatione.*
Cler: pereg:	*Clericis peregrinis.*
Cler: peregrinant:	*Clericis peregrinantibus.*
Cler: conjug:	*Clericis conjugatis.*
Cler: non reſident:	*Clericis non reſidentibus in Eccleſia, vel præbenda.*
Cler: pugnant: in duell:	*Clericis pugnantibus in duello.*
Cler: ægrot:	*Clerico ægrotante, vel debilitato.*
Cler: Venat:	*Clerico Venatore.*
Cler: perçuſ:	*Clerico percuſſore.*
Cler: excom: min:	*Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante.*
Cler: non ord: min:	*Clerico non ordinato miniſtrante.*
Cler: per ſal: prom:	*Clerico per ſaltum promoto.*
Cognat: Spir:	*Cognatione Spirituali.*
Cognat: leg:	*Cognatione legali.*
Cohab: Cler: & Mul:	*Cohabitatione Clericorum, & Mulierum.*
Colluſ: deteg:	*Colluſione detegenda.*
Commod:	*Commodato.*
Conc: præb:	*Conceſſione præbendæ, & Eccleſiæ non vacantis.*
Condit: appoſ:	*Conditionibus appoſitis in deſponſatione, vel aliis contractibus.*
Confeſs:	*Confeſſis.*

Digitized by Google

Abbreviati	*Leguntur*
Confir: util: vel inut:	*Confirmatione utili, vel inutili.*
Conjug: Leprof:	*Conjugio Leprosorum.*
Conjug: Serv:	*Conjugio Servorum.*
Consang: & affin:	*Consanguinitate, & affinitate.*
Conf: Eccl:	*Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.*
Canstit:	*Constitutionibus.*
Consuet:	*Consuetudine.*
Converf: conjug:	*Conversione conjugatorum.*
Converf: Infid:	*Conversione Infidelium.*
Corp: vit: ord:	*Corpore vitiatis ordinandis, vel non.*
Crim: fal:	*Crimine falsi.*
Custod: Euchar:	*Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.*

D	D
De Decimis, prim: & obl:	*De Decimis, primitiis, & oblationibus.*
Delic: puer:	*Delictis puerorum.*
Depos:	*Depositio.*
Desponf: impub:	*Desponsatione impuberum.*
Dilat:	*Dilationibus.*
Divort:	*Divortiis.*
Dolo, & contum:	*Dolo, & contumacia.*
Donat:	*Donationibus.*
Donat: inter vir: & uxor:	*Donationibus inter virum, & uxorem, & de dote post divortium restituenda.*

Eccl:

Digitized by Google

Abbreviati	*Leguntur*
E	E
De Eccles: ædific: vel rep.	*De Eccleſiis ædificandis, vel reparandis.*
Elect: & elec: poteſt:	*Electione, & electi poteſtate.*
Empt: & vendit:	*Emptione, & venditione.*
Eo, qui mitt: in poſs:	*Eo, qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ.*
Eo, qui duxit in matr: quam poll:	*Eo, qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.*
Eo, qui cogn: conſang:	*Eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ vel ſponſæ.*
Eo, qui fur: ord: ſuſcepit	*Eo, qui furtivè ordinem ſuſcepit.*
Except:	*Exceptionibus.*
Exceſs: Prælat.	*Exceſsibus Prælatorum, & Subditorum.*
F	F
De Fer:	*De Feriis.*
Feud:	*Feudis.*
Fide inſtrum:	*Fide inſtrumentorum.*
Fidejuſ:	*Fidejuſſoribus.*
Filiis Presbyt:	*Filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.*
Foro comp:	*Foro competenti.*
Frig: & malef:	*Frigidis, & maleficiatis, & impotentia coeundi.*
Fur:	*Furtis.*

Digitized by Google

Abbreviati	*Leguntur*
H	H
De Heret:	*De Hæreticis.*
Homic: volunt:	*Homicidio voluntario, vel casuali.*
I	I
De Iis, quæ vi, metusve cau:	*De Iis, quæ vi, metusve causa fiunt:*
Iis, quæ fiunt a Prælat.	*Iis, quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli.*
Iis, quæ fiunt a maj:	*Iis, quæ fiunt a majori parte Capituli.*
Iis, qui fil: occ:	*Iis, qui filios occiderunt.*
Imm: Eccles:.	*Immunitate Ecclesiarum, Cæmeteriis, & rerum ad eas pertinentium.*
Infant: & languidis.	*Infantibus, & languidis expositis.*
In integ: restitut:	*In integrum restitutione.*
Injur: & dam:	*Injuriis, & damno dato.*
Instit:	*Institutionibus.*
Iudæis, & Sarac:	*Iudæis, & Saracenis, & eorum servis.*
Iudic:	*Iudiciis.*
Iuram: Calum:	*Iuramento Calumniæ.*
Iurejur:	*Iurejurando.*
Iurepatr:	*Iurepatronatûs.*
L	L
De Lib: obl:	*De Libelli oblatione.*
Lit: contest:	*Litis contestatione.*
Loc: & condu:	*Locato, & conducto.*
	Magist:

Digitized by Google

Abbreviati	*Leguntur*
M	M
De Magiſt: & ne aliquid.	*De Magiſtris, & ne aliquid exigant pro licentia docendi.*
Major: & obed:	*Majoritate, & obedientia.*
Maled:	*Maledicis.*
Matrim: contr: contra interd: Eccl:	*Matrimonio contracto cõtra interdictum Eccleſiæ.*
Mut: pet:	*Mutuis petitionibus.*
N	N
De Natis ex lib: ven:	*De Natis ex libero ventre.*
Ne Cler: vel Monachi.	*Ne Clerici, vel Monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant.*
Ne Prælati vices ſuas.	*Ne Prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant.*
Ne Sede vacante.	*Ne Sede vacante aliquid innovetur.*
Novi operis nunc:	*Novi operis nunciatione.*
O	O
De Oblig: ad ratiocinia.	*De Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.*
Obſervat: Jejun:	*Obſervatione Jejuniorum.*
Offic: Archid:	*Officio Archidiaconi.*
Offic: Archipreſ:	*Officio Archipresbyteri.*
Offic: Primic:	*Officio Primicerii.*
Offic: Sacr:	*Officio Sacriſtæ.*
Offic: Cuſt:	*Officio Cuſtodis.*
Offic: & poteſtateſt: Jud: deleg:	*Officio, & poteſtate Judicis delegati.*

Digitized by Google

Abbreviati	*Legantur*
Offic: Legati.	*Officio Legati.*
Offic: Jud:	*Officio Judicis.*
Ordinatis ab Epiſc: qui renunc: Epiſcopatui.	*Ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui.*
Ord: cognit:	*Ordine cognitionum.*

P

De Pact:	*De Pactis.*
Paroch: & alien: Paroch:	*Parochis, & alienis Parochianis.*
Pecul: Cleric:	*Peculio Clericorum.*
Pœn:	*Pœnis.*
Pœnit:	*Pœnitentiis, & remiſſionibus.*
Pignor: & aliis caut:	*Pignoribus, & aliis cautionibus.*
Plus petit:	*Plus petitionibus.*
Poſtul:	*Poſtulando.*
Poſtul: Præl:	*Poſtulatione Prælatorum.*
Præb: & Dignit:	*Præbendis, & Dignitatibus:*
Præcar.	*Præcariis.*
Presbyt: non baptiz:	*Presbytero non baptizato.*
Præſcript:	*Præſcriptionibus.*
Præſumpt:	*Præſumptionibus.*
Privil: & exceſſibus priv:	*Privilegiis, & Exceſſibus privilegiatorum.*
Probat:	*Probationibus:*
Procur:	*Procuratoribus.*
Purgat: Can:	*Purgatione Canonica.*
Purgat: vulg:	*Purgatione vulgari.*
Purific: poſt par:	*Purificatione poſt partum.*

Digitized by Google

Abbreviati	*Leguntur*
Q	Q
Qui Cler: vel voven:	*Qui Clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt.*
Qui fil: sint legit:	*Qui filii sint legitimi.*
R	R
De Rapt. Incend: & violat: Eccl:	*De Raptoribus, Incendiariis, & violatoribus Ecclesiarum.*
Rebus Eccl: alien:	*Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.*
Regul: & transf:	*Regularibus, & transeuntibus ad Religionem.*
Reg: Jur:	*Regulis Juris.*
Relig: Dom:	*Religiosis Domibus ut Episcopis sunt subjectæ.*
Reliq: & ven: Sanct:	*Reliquiis, & veneratione Sanctorum.*
Renunc:	*Renunciatione.*
Rerum permut:	*Rerum permutatione.*
Rescrip:	*Rescriptis.*
Restit: spoliat:	*Restitutione spoliatorum.*
S	S
De Sacram: non iter:	*De Sacramentis non iterandis.*
Sacra Unct:	*Sacra Unctione.*
Sagitt:	*Sagittariis.*
Schism: & ord:	*Schismaticis, & ordinatis ab eis.*
Scrut: in ord: faciendo.	*Scrutinio in ordine faciendo.*
Secund: nupt:	*Secundis nuptiis.*
Sent: & re jud:	*Sententia, & re judicata.*

Digitized by Google

Abbreviati	*Leguntur*
Sent: Excom:	*Sententia Excõmunicationis.*
Sepul:	*Sepulturis.*
Sequæst: pos: & fruct:	*Sequeſtratione poſſeſſionum, & fructuum.*
Servis non ord:	*Servis non ordinandis, & eorum manumiſſione.*
Simon:	*Simonia, & ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur, & repromittatur.*
Solut:	*Solutionibus.*
Sortil:	*Sortilegiis.*
Sponſ: & matrim:	*Sponſalibus, & matrimonio.*
Sponſa duor:	*Sponſa duorum.*
Statu Monach:	*Statu Monachorum, & Canonicorum regularium.*
Succeſs: ab inteſt:	*Succeſſionibus ab inteſtato.*
Sum: Trin: & Fide Cath:	*Summa Trinitate, & Fide Catholica.*
Suppl: negli: Præl:	*Supplenda negligentia Prælatorum.*
Synd: & Act:	*Syndico, & Actore.*
T	**T**
De Temp: ordin: & qualit:	*De Temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorũ.*
Teſtam: & ult: volun:	*Teſtamentis, & ultimis voluntatibus.*
Teſt: & atteſt:	*Teſtibus, & atteſtationibus.*
Teſt: cog: vel non.	*Teſtibus cogendis vel non.*
Torneam:	*Torneamentis.*
Tranſac:	*Tranſactionibus.*
Treug: & pa:	*Treugua, & pace.*

Digitized by Google

Abbreviati	*Leguntur*
V	V
De Verb: ſign: ſeu V. S.	*De Verborum ſignificatione.*
Vita, & hon: Cler:	*Vita, & honeſtate Clericorum.*
Voto, & vo: redemp:	*Voto, & voti redemptione.*
Vſur:	*Vſuris.*
Vt Eccleſiaſt: benef:	*Vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.*
Vt lite non conteſt:	*Vt lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem, vel ſententiam definitivam.*
Vt lite pendent:	*Vt lite pendente nihil innovetur.*

PROE-

Digitized by Google

PROEMIUM.

1 IUS omne, quo utimur ex *l.* 1. *ff. de Statu hominum*, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones; ideoque facilior methodus inveniri non potest tradendi studiosis Junioribus Jus Canonicum universum, quàm per divisionem illius in tres libros, quorum Primus sit de Personis: Secundus de Rebus: Tertius de Actionibus, ideſt de Judiciis, Criminibus, & Pœnis Ecclesiasticis. Oportet autem præmittere aliquam brevem notitiam nominis Juris Canonici, librorum, in quibus continetur, & modi, quo allegatur.

2 Prætermissis itaque aliis acceptionibus nominis Juris, quæ videri possunt apud Patrem Franciscum Antonium Phœbeo in suis Institutionibus Juris Canonici §. 1. *tituli proemialis*, dico, quòd nomen, Jus, quod dividitur in Canonicum, & Civile, derivatur à verbo Jubeo; ideoque idem est, ac Jussum, seu lex. Dicitur autem Jus, positivum, quia pendet à voluntate hominum, adeoque mutabile est. Dicitur præterea, Canonicum, à verbo græco, Canon, quod vertitur latinè, Regula: & quamvis omnis lex sit regula justi; tamen Lex Pontificia dicitur antonomasticè Canonica, ideſt Regularis, quia ortum habet à supremo Principe totius Ecclesiæ Christi, & est directa ex instinctu Spiritus Sancti, ut dicitur *Can. Violatores Canonum.* 25. *quæst.* 1. ibi *Et Sancto Spiritui, cujus instinctu, ac dono dictati sunt.*

3 Est igitur Jus Canonicum lex constituta à summis Pontificibus; unde etiam dici solet Jus Pontificium, pro

Digitized by Google

gubernatione Ecclesiæ, ac Animarum ad divinum cultum, & finem supernaturalem. Contra verò Jus Civile est lex constituta ab Imperatoribus; unde etiam dici solet Jus Cæsareum, seu Romanorum, pro gubernatione politica, & conservatione pacis, atque justitiæ.

4 Continetur Jus Canonicum in his libris, nimirum Decreto, Decretalibus, Sexto Decretalium, Clementinis, Extravagantibus Joannis XXII. & Extravagantibus communibus.

5 Decretum fuit à Gratiano Monaco Benedictino compilatum ex Sententiis Sanctorum Patrum, & Conciliorum; ideoque dicitur, Decretum Gratiani. Dividitur in tres partes: Prima continet Distinctiones centum, & unam, quarum quælibet habet suos Canones, seu Capitula; quamvis in allegando Decreto, Moderni legant potius *Canones*, quàm *Capitula*. Capitula autem legunt in allegandis Decretalibus: quem morem nos sequemur. Allegatur igitur Decretum, seu citatur per Verbum initiale Canonis addito numero distinctionis, & ponitur ante verbum illud, quod est initiũ Canonis, litera, C, seu Can. Quod idẽ servatur in omnibus aliis e.g. *Can. Nullus ordinetur. dist.* 24. legitur: *Canone Nullus ordinetur. distinctione vigesima quarta*.

6 Secunda pars Decreti continet Causas triginta sex, quæ dividuntur in quæstiones divisas in Canones. Citatur per Initium Canonis, numerum Causæ, & Quæstionem cum suo numero. Unde numerus, qui ponitur post verbum, quod est initium Canonis, est numerus Causæ, & ideo generis fœminini e. g. *C. Non est à plebe 2. quæst.* 7. legitur *Canone Non est à plebe. Causa secunda. Quæstione septima*. Sed quia *in causa 33. quæst.* 3. agitur de Pœnitentia per septem distinctiones; ideo citatur per initium Canonis, addito, *de Pœnitentia*, & per numerum distinctionis e. g. *C. Quicumque ausus. de Pœnit. dist.* 1. legitur *Canone Quicumque ausus. de Pœnitentia. distinctione prima*.

7 Ter-

Digitized by Google

7 Tertia pars Decreti est de Consecratione, & citatur per initium Canonis, addito, de Consecratione, & per numerum distinctionis. Est enim hæc tertia pars Decreti divisa in quinque distinctiones: e. g. *C. Nihil est. de Cons. dist.* 4. legitur *Canone Nihil est. de Consecratione. distinctione quarta.*

8 Decretales, quæ sunt Epistolæ responsoriæ Summorum Pontificum, decernentes, quid fieri debeat; fuerunt authoritate Gregorii IX. à Sancto Raimundo de Pennafort compilatæ, & ideo dicuntur Decretales Gregorii IX. Dividuntur in quinque libros, qui habent suos titulos, qui continent sub se Capitula. Allegantur per vocem, quæ est initium Capituli, ante quam ponitur litera C. deinde ponitur titulus, e. g. *C. Grave gerimus. de Offic. Jud. ord.* legitur: *Capitulo Grave gerimus. de Officio Judicis Ordinarii.*

9 Sextus Decretalium fuit additus à Bonifacio Octavo, & habet Titulos, & Capitula: sed quia tituli iidem inveniuntur in Decretalibus Gregorii IX. ideo ad distinctionem illorum ponitur *in 6.* e.g. *C. Detestanda. de Concess. præben. in 6.* legitur: *Capitulo Detestanda. de Concessione præbendæ in Sexto.*

10 Accidit aliquoties, quod sub eodem titulo inveniuntur plura Capitula incipientia eodem verbo; e. g. *C. Ex parte. de Privilegiis*; & tunc ponitur post ly: *Ex parte. il primo, il secondo, &c.*

11 Clementinæ sunt Constitutiones Clementis Quinti, quæ sunt in volumine prædicto, quod dicitur *Sextus*; & post Clementinas sunt Extravagantes Joannis XXII, & Communes. Citantur Clementinæ per initium Constitutionis, ante quod ponitur *Clement*: & deinde titulus: e. g. *Clement. Cum rationibus. de Elec. & electi potes.* legitur: *Clementina Cum rationibus. de Electione, & electi potestate.*

12 Extravagantes Joannis XXII. citantur per Initium Constitutionis, ante quod ponitur *Extra.* & additur *Joannis*

Digitized by Google

nis 22. & deinde titulus; e. g. *Extrav. Execrabilis. Joannis 22. de præben. & dignit.* legitur: *Extravagante Execrabilis. Joannis 22. de præbendis, & dignitatibus.* Eodem modo citantur Exravagantes Communes, demptis illis verbis, *Joannis 22.* e. g. *Extrav. Ad Conditorem de Ver. signific.* legitur: *Extravagante Ad Conditorem. de Verborum Significatione.*

13 Hinc qui vult invenire textum allegatum, advertat quomodo citetur. Si enim citatur per distinctionem cum suo numero; erit in prima parte Decreti: si per quæstiones cum suo numero ante, & post; erit in secunda parte Decreti, ita ut numerus ante quæstionem post verbum initiale Canonis, sit numerus Causæ; numerus autem post quæstionem, sit ipsius quæstionis. Si citatur cum addito, de Pœnitentia; erit in causa 33. quæst. 3. Si cum addito, de Consecratione; erit textus in 3. parte Decreti. Ut autem facilius inveniatur textus citatus, videri debet Index Canonum, seu Capitulorum, qui est in initio Decreti, ordine alphabetico dispositus. Quod si textus allegetur per Capitulum, & Titulum e. g. *De Præbendis. de Electione. de Officio Judicis Ordinarii, &c.* erit in Decretalibus. Si vero addatur *in 6.* erit in Sexto Decretalium, in quo volumine etiam reperiuntur Extravagantes omnes, & facilè invenientur textus allegati, si legatur Jndex Titulorum, & Capitulorum, qui est in initio ipsorum librorum.

14 Tria remanent notanda: Primum est, quod Decretum Gratiani, quia fuit à privato homine compilatum; censent plures Doctores, quos citat Diana *Par. 5. tract. 14. Miscell. resol. 68.* non habere vim legis. Verùm quia à Gregorio XIII. fuit numeratum ut pars Juris Canonici, & à Doctoribus allegatur tamquam lex; videtur habere vim legis. Legatur Prosper Fagnanus *in primum lib. Decretal. cap. Statuta. de Constit. n. 46.* ubi dicit, quod Gregorius prædictus approbavit Decretum quo ad dicta Cõciliorum,

&

Digitized by Google

& Summorum Pontificum, quæ ibi adducuntur; non verò quo ad leges civiles non insertas in Sacris Canonibus, neque quo ad dicta Gratiani, aut alterius, etiamsi Sancti Patris, non habentis potestatem condendi leges.

15 Secundum est, quod præter dicta volumina sacrorum Canonum, quæ dicuntur Corpus Juris, habent etiam vim legis Constitutiones Pontificiæ, quæ continentur in Bullario; & Concilia Oecumenica, ideſt Generalia, ad quæ vocantur Episcopi totius Ecclesiæ, qualia sunt: Nicænum primum, & secundum; Constantinopolitanum Primum, Secundum, Tertium, & Quartum; Ephesinum; Chalcedonense; Lateranense Primum, Secundum, Tertium, Quartum, & Quintum; Lugdunense, Primum, & Secundum; Viennense in Gallia; Florentinum, & Tridentinum. His omnibus Conciliis à Sede Apostolica congregatis, & approbatis obedire debent omnes Fideles, eorumque Statuta vim legis habent.

16 Sunt alia Concilia partim approbata, partim reprobata, ut Francofordiense, Costantiense, & Basileense, quorum omnium annum, in quo celebrata sunt; & causam, & sub quo Pontifice, & Imperatore, si quis videre cupiat, legat Phœbeum *in titulo proemiali suarum Institutionum Juris Canonici*.

17 Sunt etiam Conclia particularia, quæ sunt, vel Diœcesana, vel Provincialia, vel Nationalia. Diœcesana sunt, quæ fiunt in aliqua particulari Diœcesi, convocatis ab Episcopo Præsbyteris suis. Provincialia sunt, quæ fiunt à Metropolitano, seu Archiepiscopo, convocatis Episcopis suffraganeis unius Provinciæ; e.g. Concilium Mediolanense. Nationalia sunt, quæ fiunt ab una Natione, vel Regno, convocatis à Primate, vel Patriarcha omnibus Archiepiscopis, & Episcopis illius Nationis, seu Regni, e. g. Concilium Romanum, Toletanum, Africanum, &c. Atque hæc pro Diœcesi, Provincia, vel Natione vim legis habent.

18 Ter-

Digitized by Google

18 Tertium, quod ſcire oportet, eſt, quod declarationes Sacræ Congregationis Cardinalium non habent vim legis ex Sententia plurium Doctorum; ſed ſunt merè doctrinales, quia non fiunt à perſonis habentibus poteſtatem ferendi leges: habent tamen magnam authoritatem. Plures verò Doctores affirmant habere vim legis, & obligare in utroque foro, interno ſcilicet, & externo: quod puto verum eſſe, ſi conſtet, quod ſint authenticæ, & authoritate Summi Pontificis publicatæ. Videri poſſunt Barboſa *lib.* 1. *Juris Eccleſ. cap.* 4. *n.* 81. Fagnanus *in* 1. *lib. Decretal. cap. Quoniam. de Conſtit. à n.* 6. *uſque in finem*, & Diana *part.* 1. *tract.* 10. *reſol.* 29. *& part.* 5. *tract.* 2. *reſol.* 96.

✠✠✠



IN-

Digitized by Google

INSTITUTIONUM JURIS CANONICI LIBER PRIMUS.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

1 DUO sunt genera personarum ad Ecclesiam Christi pertinentium: aliud Laicorum, aliud Clericorum. Laici sunt, qui nullo ordine Sacramentali, nec Prima Tonsura sunt ad officia Ecclesiastica deputati; & vocantur Laici, quasi de populo. *Laos* enim græcè, vertitur latinè, *Populus*. Clerici autem dicuntur, qui per Primam Tonsuram, aut aliquem ordinem sunt muneribus Ecclesiæ destinati; & vocantur Clerici à verbo græco, *Cleros*, quod latinè est *Sors*, vel *Hæreditas*, quia de Sorte Domini sunt. Ita *Can. Cleros, & Clericos. distinct.* 21. & *Can. Clericus.* 12. *quæst.* 1. & *Can. Duo sunt genera. eadem causa, & quæstione.*

2 Jam plures sunt gradus inter Clericos, qui omnes in dicto *Can. Cleros, & Clericos* numerantur, de quibus singillatim est nobis agendum in hoc primo Libro. Servabimus ordinem, quo in prædicto Canone recen-

Digitized by Google

recenſentur, nimirum à minimo uſque ad maximum gradum, imitantes in hoc omnium magiſtram naturam, quæ in ſuis operibus à minimis, & imperfectis ad majora, & perfecta gradatim progreditur: & ſequentes exemplum Doctoris Zegerii Bernardi Van eſpen Sacrorum Canonum profeſſoris in Academia Lovanienſi, qui Jus Canonicum univerſum, hodiernæ diſciplinæ accommodatum, hoc ordine in lucem edidit anno 1700. Lovanii, & Bruxellis.

3 Primò igitur de Clericis in minoribus: Secundò de Clericis in Sacris: Tertiò de Dignitatibus in communi: Quartò de Dignitatibus in particulari; ubi de Canonicis, & Capitulo, tam vivente, quàm mortuo Epiſcopo, adeoque de Vicario Capitulari: Item de Referendariis, & Prothonotariis Apoſtolicis: Quintò de Parochis: Sextò de Abbatibus, & Abbatiſſis: Septimò de Epiſcopis: Octavò de Archiepiſcopis, Primatibus, & Patriarchis, eorumque Vicariis: Nonò de Legatis, & Nunciis Apoſtolicis: Decimò de Cardinalibus: Undecimò de Summo Pontifice: Duodecimò de Privilegiis Clericorum, nimirum Canonis, & Fori, Exemptionum à Tributis, & Gabellis, & Cap. Odoardus. de Solutionibus: Decimo tertiò de Vita, & Honeſtate Clericorum: & tandem de Regularibus, & Monialibus.

CAPUT PRIMUM.

DE CLERICIS IN MINORIBUS CONSTITUTIS.

SUnt in Eccleſia Clerici in minoribus, qui minores ordines habent, nimirum Pſalmiſta, ſeu Tonſuratus, Oſtiarius, Lector, Exorciſta, & Acolytus. De eorum officiis breviter nunc agendum.

§. PRI-

Digitized by Google

§. PRIMUS.

DE PSALMISTA, ET TONSURATO.

1 PSalmista est, qui Psalmos, & cæteras Laudes in Ecclesia cantat. *Can. Clerici. dist. 21. ver. Psalmista*. Hoc autem ministerium non pertinet per se ad aliquem ordinem, cum possit quisque fidelis canere Psalmos, & potest quisque jussu Præsbyteri officium Psalmistæ exercere. *Can. Psalmista dist. 23.*

2 Confunditur Psalmista cum Tonsurato, & Psalmistatus cum prima Tonsura, ut air Antonius Thimotheus *in annotat. ad tit. 23. lib. 1. Lancellotti*, §. *Annumerari*. Sed officium Psalmistæ videtur multò inferius, quàm primæ Tonsuræ, & Clerici: quia Tonsuram nemo deferre potest, nisi eam ab Episcopo accipiat; canere verò Psalmos de Jussu Præsbyteri, quisque potest. Barbosa *lib. 1. Jur. Eccl. cap. 38. n. 35.*

3 Est quæstio celebris inter Canonistas, & Theologos, utrùm Psalmistatus, seu prima Tonsura sit Ordo. Resolvenda tamen est, quod ubi in sacris Canonibus Tonsuratus, aut Psalmistatus numeratur inter minores ordines, intelligendi sunt textus in lata significatione, quatenus ordo importat aliquem gradum, seu designationem ad cæteros ordines; seu quatenus Tonsura ponit inter Clericos, quod idem est, ac ponere in ordine Clericali. Quando autem Theologi negant, primam Tonsuram esse ordinem; intelligendi sunt de ordine stricte sumpto, nempe prout importat munus pertinens ad Eucharistiam, & Missæ Sacrificium. Atque ita docent cum Divo Thoma Barbosa citatus *n. 47.*

Digitized by Google

§. SECUNDUS

DE OSTIARIO.

4 OStiarius idem est, quod Janitor Templi. *Can. Cleros. §. Ostiarii dist.* 21. Ejus officiū ēst, claudere, & aperire Templum Dei, & omnia, quæ sunt intus, & extra custodire; Fideles recipere, Excommunicatos, & Infideles repellere. *dicto Can. Cleros. dist.* 21. & *Can. Perlectis. dist.* 25.

5 Vocatur Sacrista, Custos, & Thesaurarius, si ei committatur Cura Sacrorum Vasorum, & Thesauri Ecclesiæ, & tunc competunt ei, quæ dicentur de Sacrista, Custode, & Thesaurario.

§. TERTIUS

DE LECTORE.

6 OFficium Lectoris est, clarè, & distinctè pronunciare ea, quæ Prophetæ dixerunt, & populo annuntiare. *dicto Can. Perlectis. dist.* 25. hoc autem officium prohibetur in pulpito fieri ab aliis, qui non sunt Lectores ordinati, ut manifestè dicitur *Can. Non licet. dist.* 92.

§. QUARTUS

DE EXORCISTA.

7 EXorcista idem est, ac adjurans, seu increpans *dicto Can. Cleros. §. Exorcistæ. dist.* 21. Ejus officium est, exorcismos memoriter retinere; ac manus super Energumenos, & a malis Dæmonibus obsessos

cum

Digitized by Google

cum invocatione nominis Jesu imponere. *dicto Can. Perlectis. §. ad Exorcistum. dist.* 25.

8 Est autem Exorcismus adjuratio contra Dæmones, quæ non solum exercetur circa corpora obsessa, verùm etiam circa animas obsessas per peccatum, vel infidelitatē. *Can. Ante viginti. de Consecr. dist.* 4. & *Can. Sicut nostis. Eadem.* Exorcizare autem Baptizandos, est proprium Sacerdotis. *Can. Sacerdotes. eadem dist.* quamvis Simplex Exorcista id valeat, sicut in obsessis Corporibus. Quolibet die est licitum exorcizare *Can. Omni die. de consecr. dist.* 5. Non debent exorcistæ miscere colloquia curiosa, nec jocari cum Dæmone, nec petere aliquid ab eo in auxilium, aut ad discendum; quia hoc est peccatum mortale ex Divo Thoma, Navarro, Layman, & aliis: debet enim Dæmon ut hostis haberi, & in eum exerceri imperium, non familiaritas. Videatur Layman *Lib.* 5. *tract.* 9. *Cap.* 14. *n.* 7. Denique licèt exorcizare sit proprium officium Exorcistæ, tamen de consuetudine totum fit a Sacerdote. Ita Divus Thomas *in* 4. *dist.* 6. Silvester *v. Catbechismus. n.* 4. *quæst.* 6.

§. QUINTUS.

DE ACOLYTO.

9 AColytus idem est, ac sequens, quia sequitur Subdiaconum, eique ministrat. Vocatur etiam Ceroferarius, quia fert Candelabrum cum cereo, quem ipse accendit. *Can. Cleros. §. Acolyti. dist.* 21.

10 Ejus officium est, Candelabra, & Luminaria ad Altare deferre, quando legendum est Evangelium, aut Sacrificium offerendum, Urceolos ad altare deferre, & necessaria pro Eucharistiæ Ministerio præparare Subdiaconis. *Can. Perlectis. §. Ad Acolytum. dist.* 25.

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

DE CLERICIS IN SACRIS CONSTITUTIS.

1 TRiplex est ordo Clericorum in Sacris constitutorum: primus est eorum, qui curam animarum habent, & Jurisdictionem exercent, ut sunt Prælati, & Pastores omnes. Secundus est illorum, qui in cantandis divinis laudibus in Choro assistunt in Ecclesiis collegiatis, & Episcopo inserviunt in Ecclesiis Cathedralibus. Tertius est eorum, qui nec curam animarum habent, nec dignitatem in Collegiata, aut Cathedrali Ecclesia; sed solum adstringuntur divinis officiis in Sacro Ordine; atque hi vocantur simpliciter Clerici. Primò de Istis; Secundò de Secundis; & Tertiò de Primis.

§. PRIMUS.

DE SUBDIACONIS.

2 SUbdiaconus, græcè Hipodiaconus, idem est, ac subminister, seu Diacono ministrans. *Can. Clerus. ver. Hipodiaconus. dist.* 21.

Ejus officium est, Calicem, & Patenam ad Altare deferre, & Diacono tradere; eique ministrare; Urceolum quoque aquæ, & Mantile seu linteolum tenere; Episcopo, Præsbytero, & Diacono pro lavandis ante Altare manibus aquam præbere. *Can. Perlectis dist.* 25. Insuper legit Subdiaconus Epistolam solemniter ex præcepto Ecclesiæ, non ex vi suæ ordinationis, quia alicubi legit Acolytus ex consuetudine; & quia traditio Epistolarum non est de essentia ordinis, nec materia ejus, ut est communis opinio, quam plu-

Digitized by Google

pluribus citatis Doctoribus, sequitur Barbosa *lib. 1. Jur. Eccl. cap. 37. n. 6. 9. & 31.*

§. SECUNDUS.

DE DIACONIS.

4 Diaconus idem sonat, ac Minister: quia Sacerdoti ministrat, & aliis Clericis ministeria dispensat, & populo res sacras administrat. *Can. Cleros. dist. 21. ver. grecè Diaconi.* & *Can. Diaconi sunt. dist. 93.* Est igitur Diaconus propriè Minister, quia ad ipsum spectat Sacerdoti Sacra facienti ministrare, & sacrata populo dispensare, ideoque reliqui Clerici dicuntur assistentes: aliud enim est Minister, aliud Assistens, ut dicitur *Can. Nullus Acolytorum. dist. 24.* Dicuntur etiam Diaconi, Levitæ, à Tribu Levi, à qua in Lege Veteri originem habuerunt Diaconi. *dicto Can. Cleros. dist. 21. & dicto Can. Diaconi sunt. distin. 29.*

5 Officium Diaconorum in primitiva Ecclesia erat distribuere Eleemosynas bonorum communium, ut habetur in Actis Apostolorum. Item Diaconi ministrabant Calicem cum Sanguine Christi Fidelibus. Item ad ipsos spectabat assistere Episcopo prædicanti, & custodire, nè ab insidiatoribus læderetur, & ideo oculi Episcoporum vocantur. *Can. Diaconi qui.* & *Can. Diaconi Ecclesiæ. dist. 93.* & debebant esse tales Diaconi assistentes Episcopo, septem, juxta textum in *dicto Can. Diaconi qui.* & *Can. Diaconi Septem. eadem distinct. 93.*

6 Hodie autem officium Diaconi est, ut habetur in *Can. Perlectis. dist. 25. vers. ad Diaconum*, assistere Sacerdoti, & ministrare in omnibus, quæ peraguntur in Sacramentis Christi, in Baptismo scilicet, in Chrismate, in Patena, & Calice, oblationes quoque ad Altare inferre, & dispo-

Digitized by Google

disponere in altario, componere etiam mensam Domini, atque vestire, Crucem deferre, & prædicare Evangelium. Item Diaconus præmonet aures haberi ad Deum, ipse hortatur, ipse donat pacem, & ipse annuntiat.

7 Hinc Diaconus habet ex officio preparare materiam Eucharistiæ, populo legere Evangelium, seu decantare, nō autem prædicare, cum non conveniat ex officio, & vi suæ ordinationis Diacono prædicare, quamvis de licentia Episcopi, aut Prælati habentis Jurisdictionem id possit. Ita Navarrus *Consil. 2. de officio Delegati.* Valentia *tom. 4. disp. 9. de Sacram. ordin. q. 1. punt. 3.* Barbosa *lib. 1. Juris Eccles. cap. 35. n. 27. & Alii.*

8 Dices: in *Can. Perlectis. Jupracit.* dicitur [*Prædicare Evangeliū*] & *Can. in Sacra disc. 92.* dicitur [*ad prædicationis officium vocatos esse Diaconos.*] ergo ad Diaconum spectat prædicare verbum Dei.

Respondeo in *Can. Adjicimus. 16. quæs. 1. dicitur* [*hoc specialiter statuentes, ut præter Domini Sacerdotes, nullus audeat prædicare.*] Textus autem in *Can. Perlectis.* & *Can. in Sancta.* intelligendi sunt non de prędicatione verbi Dei, sed de decantatione, seu explicatione, aut lectione Evangelii a Diacono facienda. Ita Glossa *in dictum Can. Adjicimus. ver. Sacerdotes.* Possunt autem Diaconi, ut dicebam, imò etiā alii nō in Sacris cōstituti, prędicare ex privilegio, pro ut nostri Juniores ex cōcessione Gregorii XIII. in Constitutione, quę incipit *Vigore. to. 2. in Bullario novo pag. 481.*

9 Hodie non possunt Diaconi solemniter Baptizare ex officio suo, ut constat ex *Can. Diaconos. dist. 93.* & *Can. constat. de Consecr. dist. 4.* Possunt tamen in casu necessitatis absente Episcopo, vel Præsbytero non solemniter baptizare. Glossa *ver. Necessitas. in dictum Can. Diaconos. dist. 93.* ubi ait, quod in Ecclesia in præsentia Præsbyteri non potest, etiamsi sit necessitas, nisi jussus à Præsbytero, puta si multi sunt baptizandi, & Præsbyter non potest omnibus baptis-

mum

Digitized by Google

mum conferre, & det licentiam Diacono, ut conferat. Nec Diacono ratione officii sui licet Eucharistiam ministrare Fidelibus, cum id Sacerdoti soli competat: *Cap. Firmiter. ver. Si verò. de Summ. Trinit.* In absentia autem Sacerdotis, vel in ejus præsentia, data necessitate, & jussu Sacerdotis, potest: ut habetur *in Can. supradicto Diaconos. distin. 93.* ubi Glossa [*Si multi sunt qui volunt accipere Corpus Christi, nec Præsbyter sufficit omnibus.*] prout dixerat de Baptismo. Atque ita docent plures, quos seguitur Barbosa *dicto Cap. 35. lib. 1. Jur. Eccles. n. 23.*

10 Denique monentur Diaconi à Tridentino *Sess. 23. de reform. cap. 13.* ut sumant Eucharistiam diebus saltem Dominicis, & solemnibus, cum Altari ministraverint.

§. TERTIUS.

DE DIACONISSIS.

Fit mentio in Sacris Canonibus de Diaconissis; ideo de illis brevem notitiam dare lubet.

11 Diaconissæ ordinabantur, seu potius benedicebantur: Fœmina enim est Jure divino incapax ordinis, ut tenent omnes Catholici Doctores, & probat argumentum textus, *in Cap. nova. de Pœnitent. & remissionib.* Unde malè aliqui putant ex *Can. Diaconissam 27. q. 1.* & *Canon. Præsbyter*, & *Can. mulieres. distin. 32.* mulieres ordinatas esse Diaconissas, & Præsbyteras. Nam dicto *Can. Præsbyter* vocatur Præsbytera ea, quæ fuerat uxor cujusdam, qui cum uxoratus esset, factus est Præsbyter, & cum ea tamquam cum Sorore convivebat, abstinens se ab omni familiaritate maritali. *& dicto Can. mulieres.* dicitur, quod illæ, quæ a Græcis Præsbyteræ vocantur, apud latinos sunt illæ, quæ Viduæ, Seniores, Univiræ, & Matricuriæ dicuntur, idest habentes curam de rebus Ecclesiasticis; nec in Ecclesia tam-

Digitized by Google

tamquam ordinatas constitui debere. Velabantur igitur Diaconissæ, & benedicebantur ab Episcopo cum certa orationis forma, quæ videri potest apud Barbosam *lib. 1. Jur. Eccles. Cap. 36. n. 4.* & debebant esse in ætate quadraginta annorum, ex *dicto Can. Diaconissam.*

12 Earum officium erat foribus Ecclesiæ, per quas solæ mulieres intrabant, præesse, sicut ostiarii præerant foribus, per quas intrabant viri. Secundò, instruere mulieres de rebus, de quibus agere debebant cum Episcopis, aut Diaconis. Tertiò, abstergere mulieres oleo sancto, quo ungebantur a Diaconis, quando baptizabantur. Quartò, ministrare Præsbyteris, quando baptizabantur mulieres, & ideo debebant esse instructæ, ut possent pro imperitis mulieribus baptizandis respondere interrogationibus baptizantis. Quintò, quando Episcopus volebat de aliquo admonere mulieres, non mittebat Diaconum ad earum domum, sed Diaconissam. Videatur Vasquez *in 3. par. to. 3. dis. 245. cap. 3.* & Barbosa *loco cit. n. 7.*

13 Tenebantur servare Castitatem ex dicto *Can. Diaconissam*; ubi statuitur, quod habeatur tamquam anathema Diaconissa, quæ post benedictionem nupserit, & vir qui eam duxerit etiam anathema sit: & ita in Concilio Romano sub Gregorio primo excommunicatur Adrianus, qui Epiphaniam Diaconam uxorem duxit.

14 Postea decursu temporis ob aliqua incommoda Diaconissarum gradus abolitus est in Ecclesia Dei, sicut usus Chorepiscoporum, idest eorum, qui erant inferiores Episcopis, & Superiores Præsbyteris, & poterant minores ordines conferre, & prædicare verbum Dei, & Confessiones audire. Glossa *ver. Plurima. in Can. Quamvis distin. 68.* Sicut igitur iste ordo Chorepiscoporum sublatus fuit, quia cum non essent Episcopi, præsumebant gerere munia Episcoporum; ita sublatus fuit gradus Diaconissarum, quia multa præsumebant, quæ fæminis non debentur;

Digitized by Google

tur: & quidem ſublatus fuit apud Græcos in Concilio Laodicenſi *Can.* 11. & refertur in *Can. mulieres. diſtin.* 32. Apud latinos verò fuerunt ſublatæ Diaconiſſæ in Concilio Arauſicano 1. *Cap.* 26. & Concilio Arauſicano 2. ſub Silverio Papa *Cap.* 18. Verum ſi poſt dicta Concilia reperiantur fuiſſe Diaconiſſæ; dicendum eſt, quod ſicut Præsbyteræ apud Græcos dicuntur Sacerdotum uxores; ita Diaconiſſæ dictæ ſint a viris, qui erant Diaconi. Ita cum aliis Barboſa *loco citato n.* 12.

§. QUARTUS.

DE PRÆSBYTERIS, SEU SACERDOTIBUS.

15 SAcerdotes ſunt in triplici ordine, nimirum Summi, Majores, & Minores. Summi ſunt Pontifices Romani. Romanus enim Pontifex eſt Epiſcopus Epiſcoporum, ut dicetur ſuo loco. Majores ſunt Epiſcopi, de quibus etiam ſuo loco. Inferiores, ſeu Minores ſunt reliqui Sacerdotes: nam Chriſtus Dominus ſic diviſit Sacerdotes, quia Petrum creavit Summum, & Caput Eccleſiæ: Apoſtolos reliquos creavit Majores, quorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi: & ſeptuaginta duos Diſcipulos inſtituit Minores Sacerdotes, quorum locum obtinent reliqui Sacerdotes in Eccleſia. Ita *in Can. in novo diſt.* 21.

16 Nomine, Sacerdotis, in odioſis non veniunt Epiſcopi, quamvis veniant in favorabilibus. Abbas *in Præfatione ad titulum de vita & honeſt. Cleric. n.* 10.

17 Dicuntur Sacerdotes à Sacris faciendis, ſicut Reges a regendo: vel dicuntur Sacerdotes, quaſi Sacri duces. *Can. Cleros. verſu. Sacerdos autem diſtint.* 21.

18 Dicuntur etiam Præsbyteri, quaſi Seniores; ſed potius a maturitate, prudentia, & ſapientia, qua iter

Digitized by Google

præbent aliis ad salutem, quàm ab annis. dicto *Can. Cleros. versu Præsbyter græce. distin. 21.*

DE OFFICIO, ET POTESTATE PRÆSBYTERI.

19 OFficium Præsbyterorum est, Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi conficere, & Deo in Sacrificium offerre; super populum orare; à peccatis absolvere; & benedicere dona Dei; baptizare etiam, & alia Sacramenta populis ministrare, præter Confirmationem, & Ordinem, quæ ad solos Episcopos pertinent; denique verbum Dei prædicare. *Can. Perlectis. §. ad Præsbyterum. distin.* 25. Barbosa *lib. 1. Jur. Eccles. cap. 34. n.* 22. Quod autem Confirmare, & Ordinare ad solos Episcopos pertineat; constat *ex cap. Quanto. de consuetudine*, & Can. *Quamvis. distin.* 68. & Tridentino *sess. 23. cap. 4.* & *Can. 7.* ut dicetur suo loco.

20 Nec obstat textus in *Can. Pervenit. distin. 95.* ibi [*Ubi desunt Episcopi, Præsbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus*] quia ut soluit Gratianus in *Can. Præsbyteros. ejusdem distinctionis*; fuit hoc concessum propter aliquorum scandalum vitandum. At observandum est, quod dicitur in dicto *Can. Præsbyteros*, & *Can. Quamvis.* in quibus solis Episcopis conceditur, posse ungere in fronte Baptizatos.

21 Prædicta officia conveniunt Sacerdoti de Jure divino; officium vero prædicandi ita ipsis de Jure divino competit, ut possit etiam aliis non Sacerdotibus committi, ut dictum fuit. Et quidem quod potestas consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi competat ex divina institutione Sacerdotibus; patet ex *Cap. 1. de summa Trinitate. §. una vero. vers. & hoc.* ubi sic: [*Et hoc utique Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordi-*

na-

Digitized by Google

datus secundùm claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorumque successoribus Jesus Christus.] Item ex Tridentino *sess.* 23. *cap.* 1. ibi: [*Atque Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus, & Sanguinem ejus, &c.*] Unde Catholicum dogma est, solos Sacerdotes posse conficere Sacramentum Eucharistiæ, & Missas celebrare, itaut non possit Papa committere non Præsbytero, ut sacrificet. Abbas in *Cap. Quanto. n.* 9. *de consuetud.* Suarez *de Sacram. disp.* 61. *sec.* 3. *ver. sed Quares.* Ubi dicit, certum esse de fide non posse aliquem non Sacerdotem conficere Sacramentum Eucharistiæ, nec in casu necessitatis, nec ex aliqua dispensatione.

22 Ex hoc sequitur, quod nullo modo possit Sacerdotibus talis potestas tolli: quia talis potestas est in charactere ordinis indelebilis; ideoque quantumvis excommunicatus, Degradatus, Hæreticus, & Schismaticus fiat Sacerdos, semper validè Sacramentum conficit, ut probat Glossa *in Cap. si quis Præsbyter. ver. degradatus. de Clerico excommunicato, deposito, vel Interdicto ministrante*; & sustinent omnes Theologi cum Suarez *loco citato, versi. Ultimo addendum, & versu occurrit tamen*, & cum Divo Thoma 3. *par. quæst.* 82. *art.* 5. 7. & 8.

23 Ex eodem Jure divino competit Præsbytero, ministrare aliis Eucharistiam: quamvis in casu necessitatis possit talis ministratio committi Diaconis, ut diximus, & resolvunt plures Theologi, quos sequitur, & adducit Barbosa *loco citato n.* 28. & Layman. *lib.* 5. *trac.* 4. *cap.* 7. *n.* 2.

24 Quo ad absolutionem à peccatis habent etiam potestatem soli Sacerdotes de Jure divino. Constat ex Concilio Florentino in literis Eugenii quarti, & Constantiensi *sess.* 8. & Tridentino *sess.* 14. *Can.* 3. & ideo etiam si mali sint, & in peccato mortali Sacerdotes; adhuc vere absolvunt peccata pœnitentium, ut docet idem Tridentinum

Digitized by Google

ibidem Can. 10. Et Ratio est, quia potestas hæc absolvendi fundatur in ordine Sacerdotali, qui propter peccatum non amittitur. Confirmatur veritas prædicta *ex Can. Si Justus. 1. q. 1. & Can. multi. eadem*, ibi [*Unde sive per bonos, sive per malos Ministros intra Dei Ecclesiam dispensetur, Sacramentum tamen est: quia Spiritus Sanctus mysticè illud vivificat.*] Id ipsum habetur *Can. Dominus, & Can. Non nocet. eadem causa & quæst. 1.*

25 Quo ad Sacramentum Baptismi est etiam ex vi suæ consecrationis Sacerdos minister ordinarius. Ita Concilium Florentinum in Decreto Eugenii. Ita etiam *Can. Diaconos. distin. 93.* & *Can. Constat. de Consecr. distin. 4.* Stat autem quod valeat Baptismus etiam a laico collatus in casu necessitatis, ut habetur *eodem Can. Constat.* & *Can. in Necessitate. eadem dist. 4. de Consecr.*

26 Denique Sacramẽti extremæ unctionis esse Sacerdotem solum Ministrum, de fide est ex divo Jacobo, & Tridentino *Sess. 14. cap. 3.* & *Can. 1. de Sacramento extremæ Unctionis.*

27 Hæc omnia potest ex vi suæ ordinationis Sacerdos; sed tamen aliqua, quæ requirunt Jurisdictionem non potest in actum reducere licitè, nisi de licentia Superioris, ad quem spectat ex officio. Aliqua autem, nec validè: & quidem quo ad potestatem absolvendi a peccatis, non potest Sacerdos ea uti sine approbatione, & licentia Episcopi, aut nisi Parochiale Beneficium obtinuerit: ex Tridentino *Sess. 23. de reform. cap. 15.*

28 Nec sufficit potestas ordinis ad validè absolvendum, sed requiritur ulteriùs potestas Jurisdictionis, quam dat Summus Pontifex, vel Episcopus, vel alius Prælatus, qui eam habet ordinariam. Est enim potestas Jurisdictionis auctoritas in alium ut subditum, quam ordinariam habet Papa respectu totius orbis, Episcopus in suæ Diœcesi, Parochus in suo Territorio, & alii Prælati respectu

Digitized by Google

tu suorum, quia ratione officii habent curam illarum animarum, quæ subditæ sunt ipsis tale officium habentibus. In articulo vero mortis Jure Ecclesiastico conceditur Jurisdictio cuicumque Sacerdoti.

29 Similiter ad valorem Matrimonii requiritur ex Tridentino assistentia Sacerdotis, cui data sit licentia a Parocho, vel Episcopo proprio conjugum, ideoque alio Sacerdote assistente, invalidum est Sacramentum.

30 Reliqua Sacramenta jam dicta, quamvis validè ministrare possit Sacerdos, tamen non licitè sine facultate Superioris. Unde Missam celebrare licitè non potest sine licentia Episcopi. Tridentinum *Sess. 22. in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ* ibi [*in suis Diœcesibus interdicant, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat.*] Item celebrans coram Episcopo non potest benedicere populum sine licentia Episcopi. Item Eucharistiam licitè non potest ministrare sine licentia Papæ, vel Episcopi, vel Parochi expressa, aut saltem præsumpta. Barbosa dicto *lib. 1. Jur. Eccl. cap. 34. n. 43.* Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 7. n. 3.* Couinch *de Eucharistia quæst. 83. art. 3. n. 28.* qui addunt, quod privilegium Religiosorum ministrandi Eucharistiam in suis Ecclesiis sine licentia Parochorum, intelligitur de Communione libera ex devotione, non vero de Communione in Paschate sub præcepto, nec de Viatico.

31 Atque hic nota, quod non desunt Doctores, qui dicant Communionem liberam ex devotione posse licitè a quocumque Sacerdote ministrari. Verum secura sententia est, quod hodie ex licentia tacita Parochorum, qui non contradicunt, dicitè ministretur per annum a quocumque Sacerdote Eucharistia. Atque ita cum aliis Leander a Sanctissimo Sacramento *trac. 7. de Eucharistia. disp. 4. quæst. 2. & 3.* Item extremam unctionem, aut Baptismum sine necessitate non potest licitè ministrare absque licentia Pastoris,

ſtoris Sacerdos non Paſtor.

32 Ratio horum omnium eſt, quia munus Paſtoris eſt paſcere oves ſuas. Ergo Sacerdos, qui non eſt Paſtor, nec oves habet ſuas, non poteſt paſcere per Sacramenta, niſi facultatem habeat a Paſtore proprio illarum ovium. In caſu autem neceſſitatis extremæ, communi Jure conceſſum eſt omnibus Sacerdotibus, non ſolùm Euchariſtiæ, Extremæ Unctionis, & Baptiſmi Sacramenta miniſtrare, ſed etiam Sacramentum Pœnitentiæ, ad quod requiritur Jurisdictio, non ſolùm quo ad licitam miniſtrationem, ſed etiam quo ad valorem Sacramenti. Eſt enim Sacramentalis abſolutio actus Judicialis ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. qui nullus eſt à non habente Jurisdictionem, aut ordinariam, aut delegatam.

33 Eſt igitur quilibet Sacerdos conſtitutus Judex in foro Sacramentali ex vi ſuæ ordinationis; ſed quia ſubditos non habet, cum quiſque fidelis ſubditus ſit proprio Prælato, vel Parocho, & omnes fideles ſubditi ſint Papæ, qui eſt omnium Paſtor; ad hoc ut validè judicialem ſententiam, ſeu abſolutionem proferat, requiritur, quod Prælatus deleget ipſi ſuam auctoritatem, quam habet in ſuos ſubditos; vel quod Papa reſpectu omnium fidelium auctoritatem deleget. Suam autem auctoritatem Parochus alteri delegare non poteſt (ut dicetur ſuo loco) quo ad Abſolutionem Sacramentalem, quia Tridentinum *ſeſſ.* 28. *cap.* 15. ſtatuit, ut nemo confeſſiones audiat, niſi approbatus ab Epiſcopo. Denique verbum Dei prædicare non poteſt Sacerdos ſine licentia Epiſcopi. Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 4. *verſu, Nullus.*

34 Hæc omnia ſpectant ad Sacerdotem, & communia ſunt etiam Epiſcopis: ſunt autem Epiſcopis reſervata, Eccleſias erigere, conſecrare, reconciliare, ſacrum Criſma conficere, Clericos ordinare, excommunicare, pœnitentes publicè abſolvere: *Can. quamvis. diſt.* 68.

35 Nec

Digitized by Google

35 Nec potest Episcopus Sacerdoti committere ea, quæ sunt propria Ordinis Episcopalis, sed solum alteri Episcopo committere potest. Reliqua vero, quæ sunt Jurisdictionis, committere potest simplicibus Sacerdotibus, ut suo loco dicetur. Excommunicandi autem facultas potest transire in non Episcopos.

36 Sacerdotes tenentur ad ea, quæ sacri Canones præcipiunt de vita, & honestate Clericorum, quæ explicabuntur *Cap. 13. hujus primi libri*. Item tenentur sub mortali aliquoties in anno, saltem ter, vel quater in solemnitatibus majoribus celebrare, nisi fuerint legitimè impediti. Ita communiter Theologi. Monentur a Tridentino *Sess. 23. de reform. cap. 4* saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus celebrare, & quidem si Episcopus mandet, ut sic faciant, tenebuntur sub peccato. Ita Busembaum *lib. 6. tract. 3. cap. 3. dub. 1. n. 1.*

CAPUT TERTIUM.

DE DIGNITATIBUS IN COMMUNI.

AD secundum genus Clericorum venimus, nimirum eorum, qui aliquam dignitatem habent, aut officium, & Choro assistunt in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis. Primò de istis Dignitatibus in genere; deinde in particulari.

§. PRIMUS.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT DIGNITAS Ecclesiastica; quæ ætas, quæve qualitas ad eam obtinendam requiratur.

1 NOmine Dignitatis Ecclesiasticæ venit Beneficium habens administrationem rerum Ecclesiasti-

siasticarum. Hæc est definitio communis, ut ait Panormitanus *in Cap. De multa. de Præben. & Dignitatib. n.* 2. Dicitur autem habere beneficium cum Jurisdictione ille, qui potest Clericos punire pœna excõmunicationis; in carcerem detrudere; animadvertere aliis pœnis; & absolvere.

2 Non differt in substantia Dignitas a Personatu per ipsum Panormitanum *ibidem*, imó sæpe confunduntur, sed ex consuetudine; & varietate locorum insurrexerunt ista vocabula, quibus distinguitur Dignitas a Personatu, & Officio. Juxta igitur horum trium vocabulorum usum, Dignitas est administratio rerum Ecclesiasticarum cum Jurisdictione; Personatus est quædam prærogativa in Ecclesia sine Jurisdictione, ut qui habet Stallum in Choro præ aliis, vel quid simile. Officium autem est administratio rerum Ecclesiasticarum sine Jurisdictione. Ita Archidiaconus *in Cap. 1. de consuetudine*, quem refert Panormitanus *ibidem*, & sequuntur communiter Doctores; ut videre est apud Barbosam *de Jure Eccles. lib. 1. cap. 21. a n.* 20. & Azorium *part. 2. lib. 3. cap. 13. quæst. 5.*

3 De Jure sunt, & vocantur Dignitates Archidiaconus, & Archipræsbyter, qui habent officium cum Jurisdictione. Ex consuetudine autem locorum, vel institutione Ecclesiæ sunt nomina Dignitatum: Primicerius, Præpositus, Prior, Decanus, Magister Scholæ, Thesaurarius, & similes, atque etiam Canonicus, qui largè inter Dignitates numeratur; ut ait Barbosa *loco citato n.* 19. de Jure Primiceriatus, Præpositura &c. propriè officia sunt, ut bene notat ipse Barbosa *a n.* 23. *usque ad* 44.

4 Notandum, quod Episcopatus est certissimè Dignitas, sed non comprehenditur sub nomine Dignitatis in odiosis, ut fusè probat Barbosa ex variis Doctoribus *in tract. de Appellativa Verborum utriusque Juris significatione. appellativa 72. n.* 10. Est enim Culmen Dignitatum. Vocantur autem prædicta officia hoc speciali nomine Digni-

Digitized by Google

gnitatis respectu inferiorum, & inter Capituli, & Cleri collegas, ac fratres. Dignitas igitur prout sumitur *in tit. de Præbendis, & Dignitatibus* non comprehendit Episcopos, & alios Prælatos Superiores; comprehendit tamen in iis, quæ pertinent ad favorem, & gratiam. Azorius *loco citato q. 3.*

5 Ad Dignitatem habentem adnexam curam animarum, requiritur ætas vigintiquinque annorum; & quod Promovendus fuerit versatus in Clericali Ordine; & doctrina præditus ad suum munus necessaria. Ita colligitur ex *Cap. Cum in cunctis. de Electione.* & *Cap. Licet Canon. eodem titulo in 6.* Et ex Tridentino *Sess. 24. de reform. cap. 12.* & docent communiter multi, quos citat, & sequitur Gonzalez, Tellez *in lib. 1. decretal. tit. 6. de Elect. & Electi potestat. cap. 7. §. 2. n. 8. & 10.*

6 Ad cæteras verò Dignitates, vel Personatus, quibus non est adnexa cura animarum, sufficit ætas vigintiduorum annorum. Tridentinum dicto *Cap. 12. ver. Ad Cæteras.* Debent autē esse completi vigintiduo anni, ut docent Navarrus *Consilio 4. de ætate, & qualitate &c.* Sayrus *in Floribus decisionum sub eo titulo. Decis. 4.* & alii; quia cum Concilium dicat, ut non sit minor vigintiduobus annis; insinuat, debere tales annos esse completos.

7 Qui est promovendus ad Dignitatem, debet esse in eo ordine sacro, quem Dignitas requirit, aut saltem in tali ætate, ut intra tempus statutum a Jure, & Synodalibus statutis possit ordinari. Tridentinum *Sess. 22. de refor. cap. 4. ver. nec Alii*; Nam Dignitates in Cathedralibus, aut Præbendæ habent adnexum ordinem Præsbyterii, Diaconatus, & Subdiaconatus ex Tridentino *Sess. 24. cit. cap. 12.* Gonzalez, Tellez *cit. n. 10. prope finem.*

8 Denique Provisi de Dignitatibus, aut Canonicatibus in Ecclesiis Cathedralibus, tenentur a die Possessionis, intra duos menses, professionem fidei facere in Capitulo

Digitized by Google

coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali. Tridentinum *Sess. 24. de reform. cap. 12. de hac profess. agit* Barbosa dicto *cap. 21. lib. 1. Jur. Eccles. a n. 54. usque ad 78. & de officio & potestate Episcopi alleg. 61. & de ea redibit sermo cap. 5. §. 3. a n. 23. usque ad 33.* ubi plura dicemus.

§. SECUNDUS.

DE ORDINE, ET GRADU INTER DIGNITATES, & Personatus, & Officia; & de his, quæ spectant ad primam Dignitatem.

9 ORdo, & gradus in sedendo, sive in aliis actibus exercendis, dupliciter consideratur: primò, secundum titulum, secundò Secundum ordinem Sacrum. Secundum titulum Dignitatis de Jure communi Archidiaconus præcedit Archipræsbytero, Archipræsbyter reliquis. Secundum verò consuetudinem Ecclesiarum alicubi præcedit Archipræsbyter, vel Præpositus, vel Decanus. Ideoque ex consuetudine debet dignosci quænam sit prima Dignitas in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata: cum potius consuetudini, quam Juri communi attendendum sit, ut ostendit cum multis Doctoribus Barbosa *dicto cap. 21. n. 80.* & defacto in nostra Cathedrali Panormitana Ecclesia Prima Dignitas est Cantor, ut videre est in Synodo Diœcesana sub Cardinali Doria *part. 1. cap. 8.* Secundùm verò Ordinem Sacrum ille præcedere debet, qui est in Superiori ordine, aut antiquior in eodem ordine. Ita si sunt Canonici Præsbyteri præcedere debent Diaconis, & hi Subdiaconis, quamvis fuerint v. g. Subdiaconi priùs in Ecclesia recepti, quàm Diaconi; & hi priùs admissi, quàm Præsbyteri. Sic declaratum esse à Sacra Congregatione non obstante consuetudine Ecclesiæ, quæ fuerit in contrarium, refert Barbosa *n. 87.* cum quo tamen

stat,

Digitized by Google

stat, quod ubi in Ecclesia est consuetudo, ut ille obtineat primum locum, qui prius fuerit admissus in Præbendam, si omnes sint actu Præsbyteri, potest secundùm hanc consuetudinem fieri, quamvis Præbendę sint distinctæ in Præsbyterales, Diaconales, & Subdiaconales, quia sacra Rituum Congregatio, quam refert Barbosa *n.* 88. & 89. declaravit servandam esse consuetudinem Ecclesiæ circa vocem, & locum in Capitulo inter Dignitates, & Canonicos Præbendatos.

10 Quod si nova Dignitas instituatur, quæ a solo Romano Pontifice potest instituì, ut videre est apud eumdem Barbosam *n.* 4. debet habere eum locum, quem sine præjudicio alterius, vel consuetudinis Ecclesiæ poterit obtinere.

11 Ad Primam Dignitatem spectat, absente, vel impedito Episcopo, celebrare Missas solemnes, & alias functiones facere, quas faceret Episcopus, sive ea Dignitas sit Decanatus, sive Archidiaconatus, sive alio nomine nuncupetur. Ita declaratum pluries a Sacra Rituum Congregatione refert idem Barbosa *n.* 98.

12 Quod si ipsa prima Dignitas noluerit, aut non potuerit facere functiones in Choro, quas faceret Episcopus; non potest delegare alteri, sed Dignitas post ipsam immediatè sequens, vel primus Canonicus, & sic successivè per ordinem debet eas functiones facere. Atque ita declaratum pluries refert idem Barbosa *n.* 101. Hoc autem procedit, nisi habeatur consuetudo, quod ad Canonicum hebdommadarium, licèt non sit prima Dignitas, spectet, absente Episcopo, functiones facere, sed donec probetur talis consuetudo, debet prima Dignitas manuteneri.

13 Insuper taliter spectat ad primam Dignitatem, & alios successivè, ut dictum est, functiones Episcopales facere, absente, vel nolente Episcopo, ut Vicarius Generalis, nec Episcopo absente, nec Sede vacante, possit has functiones facere, ut constat ex variis declarationibus Sacræ

Digitized by Google

Rituum Congregationis, quas refert idem Barbosa *n.* 102.

14 Denique ad primam Dignitatem spectat, exercere officium Præsbyteri assistentis, & ideo Episcopo celebranti cum pluviali assistere. Item Candelam benedictam, ac palmam Episcopo ministrare. Item asperforium cum aqua benedicta porrigere Episcopo intranti in Ecclesiam Cathedralem. Quod si in Ecclesiam Parochialem ingrediatur Episcopus; debet aqua benedicta porrigi Episcopo a digniori persona illius Ecclesiæ.

CAPUT QUARTUM.

DE DIGNITATIBUS IN PARTICULARI.

QUÆ de singulis in Sacris Canonibus dicuntur, breviter explicabo.

§. PRIMUS.

DE ARCHIDIACONO, ET ARCHIPRÆSBYTERO.

1 ARchidiaconus est Princeps Diaconorum, quia inseruit Episcopo, in omnibus, in quibus diximus, quod ex munere suo alii Diaconi inserviunt Sacerdoti. Vocatur etiam oculus Episcopi, & Vicarius ejus; ideoque vult Tridentinum *Sess. 24. de reform. cap. 12.* ut sit Doctor in Theologia, vel Jure Canonico: dignior est in Jurisdictione Præsbytero, & Archipræsbytero, qui debent ejus Jurisdictioni subjacere. *Cap. Ad hæc. de officio Archid.* Omnis Cleri cura tam in Urbe existentis, quam extra per Parochias, ad ipsum pertinet. *Cap. Ut Archidiaconus. de Officio Archidiaconi.* Item tertio quoque anno si Episcopus fuerit impeditus, visitare debet Diœcesim. *dicto Cap. Ut*

Digitized by Google

Archidiaconus; & cuncta quæ correctione indigent, corrigere, nisi fuerit excessus ita gravis, ut indigeat auctoritate Episcopi *Cap. Ad hæc. de offic. Archid.*

2 Multa alia incumbunt Archidiacono, ut videre est in toto titulo de officio Archidiaconi. Verùm quia prævalet in hac re consuetudo Ecclesiarum juxta *Cap. cum olim. de consuetud*; ideo tali consuetudini Ecclesiarum standum est, adeoque tantùm potest Archidiaconus, quantùm sibi in Ecclesia, in qua est, statuta ejusdem Ecclesiæ, & consuetudo concedunt.

3 Hinc in nostra Cathedrali Panormitana Ecclesia est secunda Dignitas post Cantorem; adeoque Cantore absente, munia ejus exercet: sedet à destris Archiepiscopi Pontificialia facientis. Examinationi Ordinandorum assistit, & illos probatos præsentat in Ecclesia Archiepiscopo, ut ordinentur. Pertinet ad ipsum notitiam habere per testes eorum, qui volunt Matrimonio conjungi, & fidem facere Parochis, quòd possint de illis fieri denunciationes solitæ pro ineundo Matrimonio. Videatur Synodus Panormitana, *titulo de Archidiacono*.

4 Archipræsbyter adjuvat Episcopum in iis, quæ pertinent ad Sacerdotium, sicut Archidiaconus in his, quæ spectant ad Diaconum *Cap.* 1. 2. & 3. *de officio Archipræsbyteri*. Alius est Urbanus, Alius Ruralis, seu Foraneus. Archipræsbyter Urbanus est, qui in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia Dignitatem habet, quæ de Jure est Prima post Archidiaconum, ut probat textus *in Cap. de officio Archipræsbyteri*. Verùm Archipræsbyteri Jurisdictio nunc est limitata per contrariam consuetudinem, ut bene notat Barbosa *de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 25. *n.* 25. & 26. prout diximus de Archidiacono.

5 Ruralis autem, vel Foraneus est, qui præest Ecclesiæ Parochiali, seu Plebaniæ. Hic autem nullam aliam authoritatem habet, præter eam, quam habent Parochi, nisi

quam

Digitized by Google

quam illi Episcopus dare voluerit: unde etiamsi de Jure, ut constat ex *Cap. finali de officio Archipræsbyteri*, debeat curam habere de Præsbyteris, & plebe, tamen nihil potest statuere, inconsulto Episcopo, ut notat Barbosa cum aliis *loco citato n.* 27. Igitur omnia debet Episcopo denuciare, ejusque Jussa exequi. Nec potest authoritate propria aliquem incarcerare, aut in forma Judicii procedere contra quempiam, sed solùm amicabiliter componere potest jurgia inter Clericos.

§. SECUNDUS.

DE DECANO.

6 TOtum officium, & Authoritas Decani pendet à consuetudine, quia in Jure Canonico non habetur titulus de Officio Decani. Fit tamen mentio Decani *in Cap. dilectis. de Appellationibus cap. dilecti. de Sent. Excomm. in 6.* & *cap. dilectus. il Terzo de Præbendis.*

7 Aliquando Archipræsbyteri vocantur Decani. Ita in *Cap. ad hæc. de officio Archipræsb.* dicitur: *Archipræsbyteteri autem, qui a pluribus Decani nuncupantur* Sed hìc sumimus Decanum prout distinctum ab Archipræsbytero, & is in pluribus Ecclesiis, ut ait Azorius *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 17. *q.* 1. est ille, qui præest toti Collegio Canonicorum in Choro, in confessu, in comitiis, & suffragiis ferendis; cum tamen in aliis Ecclesiis, qui præest, non Decanus, sed Præpositus vocetur. Azorius citatus *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 17. *quæst.* 1. In illis igitur Ecclesiis Collegiatis, vel Cathedralibus, in quibus obtinet locum Archidiaconi, qui de Jure est primus, Decanus est Prima Dignitas post Pontificalem. Barbosa cum aliis, *de Jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 26. *n.* 2. & 3.

8 De Jure Canonico Decanus habet dignitatem, vel Personarum, ut colligitur *ex cap. Super Specula. Ne Clerici*

vel

Digitized by Google

vel Monachi, ibi: *Ad Archidiaconos, Decanos, Præpositos, Cantores, & Alios Clericos Personatus habentes* Idcoq; quę continentur in *cap. de Multa. de Præbend.* & in *Extravag. Joann. 22. Execrabilis. de Præbend.* & in *dicto cap. Super Specula. Ne Clericis, vel Monachi.* habent locum in Decano. In Ecclesia autem nostra Panormitana Decanus est tertia Dignitas post Cantorem, & Archidiaconum.

9 In multis Ecclesiis habet Jurisdictionem, & excommunicare potest Canonicos. Azorius *loco citato q. 3.* Et cōstat ex *Cap. dilecto. de Sent. Excommun. in 6.* Hinc ubi Decanus Jurisdictionem habet, ea est ordinaria, non delegata. Idem Azorius *q. 4.*

10 Non est necesse, ut Decanus sit Doctor, aut Licentiatus. Ita decisum esse testatur Barbosa citatus *n. 8.*

11 Denique ex variis declarationibus Decano, & non Cantori pertinent aliquæ præeminentiæ in Choro, præsertim mandare incipi officia, dare signum incipiendi Lectiones, & facere signum exeundi de Choro. Verūm, ut toties diximus, standum est consuetudini Ecclesiæ.

§. TERTIUS.

DE THESAURARIO, SACRISTA, & Custode.

12 THesaurarius dictus est, cui Thesauri Ecclesiæ custodiendi traduntur. Olim erat Sacellarius, qui parvum saccum ferebat ad reponendas pecunias Ecclesiæ: græco nomine Thesaurarius dicitur, Cimiliarcha, ideſt rerum pretiosarum Asservator, & Custos. Locus autem, in quo asservantur, dicitur Cimiliarchium, vel Cimiline, seu Cimilia. *Cap. cum inter. de Verb. signif. cap. Ea quæ de officio Archid.*

13 Hinc olim Thesaurarius nullam Dignitatem habebat;

Digitized by Google

bat; sed solum officium: ita cum Robuffo, & aliis Barbosa *de Jure Eccles. lib.*1. *cap.* 27. *n.*4. Postea verò ex consuetudine, & Statutis Ecclesiarum Cathedralium fere omnium inter Dignitates numerari cæpit. Abbas *in cap. de Multa n.* 23. *v. Secus. de Præbend. & Dignitat.* Azorius, & Barbosa *dicto n.*4. cum aliis. Habentur variæ declarationes, in quibus Thesaurarius dicitur Tertia Dignitas; de cætero, ut dictum fuit, quæ sit prima, quæ secunda, quæ tertia Dignitas in Capitulo Canonicorum ab Institutione Ecclesiæ, & consuetudine pendet.

14 Custos est, cui committuntur custodienda ea, quæ sunt Ecclesiæ. Unde non videtur differre a Thesaurario, seu Sacrista; attenta tamen origine nominis, & diversitate titulorum in Decretalibus, ubi duo sunt diversi tituli *de officio Sacristæ*, & *de officio Custodis*, dicendum est, Custodem fuisse tantum ministrum Sacristæ, & ad ipsum spectasse custodire utensilia Ecclesiæ, ut constat ex *Cap.*1.*de officio Custodis.* Item dare signa pro horis Canonicis, & lumen pro Sanctissimo Sacramento custodire, ne extinguatur; Vinum, & Hostias pro Sacrificiis præparare, & Eleemosynas de jussu Archidiaconi distribuire *Cap.*2. *eodem tit.* Hæc omnia Sacristæ, seu Thesaurario de Jure non competunt; ergo in hoc distinguntur Custos a Thesaurario, seu Sacrista; Hic autem ex *Cap. Unico. de officio Sacristæ* curam habet Thesauri, ideoque cum Thesaurario confunditur.

15 In aliquibus autem Ecclesiis nunc Thesaurarius minor officium Custodis gerit. Custos autem non est Dignitas, sed subest Thesaurario majori.

§. QUARTUS.

DE PRIMICERIO, SEU CANTORE.

16 PRimicerius, seu Præcentor, seu Cantor est nomen Dignitatis in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis.

Digitized by Google

giatis. De Præcentore fit mentio in *Cap. cum olim de consuetudine.* Nomen Primicerius ortum habuit, ex Azorio *supra citato cap.* 22. ex eo, quod in Ecclesia olim erat Schola Cantorum ad divinas Laudes in Choro decantandas; & qui præerat toti Scholæ, Primicerius dicebatur: eodem modo, qui toti Choro cantantium in Ecclesia præest, vocatus est Cantor, seu Præcentor, seu Primicerius: hæc enim tria nomina idem significant officium, ut bene advertit Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccles. cap.* 28. *n.* 10.

17 Officium Primicerii est de Jure communi docere Clericos formam cantandi, & lectiones ad matutinum distribuere, & modum cantandi pro tempore, & solemnitatibus ordinare, atque chorum regere *Cap. unico. de offic. Primicerii.* Ex consuetudine tamen, in aliquibus Cathedralibus Primicerius idem munus exercet, ac Archidiaconus de Jure communi; unde in talibus Ecclesiis est prima Dignitas; & talis est in nostra Panormitana: in aliis secunda; adeoque locum illum habere debet in Choro, Comitiis, & Processionibus, qui juxta locorum consuetudinem statutus est. Debet tamen in Processionibus capere pluviale, sicut Dignitas, non planetam sicut Canonicus. Atque ita declaratum refert Barbosa *n.* 9.

18 Dicitur Cantor habere officium non simplex, sed cum administratione, eo quia primus intonat in Choro, & dat ordinem gerendorum in eodem Choro. Azorius *cit. cap.* 22. *q.* 1.

19 Habetur alicubi Succentor, de quo fit mentio in *Cap. Inter dilectos. de excessibus Prælatorum*, ad quem spectat, absente Primicerio, seu Præcentore, incipere Cantum in Choro. In aliquibus Ecclesiis vocatur Vicecantor.

Digitized by Google

§. QUINTUS.

DE PRÆPOSITO.

20 PRæpositus est præfectus Clericorum alicujus Ecclesiæ: ideoque licèt in Jure communi non habeatur titulus de Præposito, tamen de eo fit mentio *in Can. Salvator 1. q. 3. & Cap. cum inter. il Primo. de Elect. & Cap. Dudum. il primo. eodem tit.*

21 Igitur licèt de Jure communi non sit Dignitas Præpositura, sed officium; est tamen introductum in quibusdam Ecclesiis Canonicorum, quod sit Dignitas; & Præpositus sit ille, qui omnibus Canonicis præest, & præcipuam habet Dignitatem cum Jurisdictione, & cura animarum. Ideoque in locum de Jure competentem Archidiacono succedit, ac propterea honorabiliorem locum habet in Choro, & cæteris, imò ubi Præpositus curam animarum habet, præsumitur de Jure, quod sit Dignitas. Ita, citatis Decis. Rotæ, Barbosa cum aliis pluribus *Cap. 27. lib. 1. Jur. Eccles. n. 18. 19. & 20.*

§. SEXTUS.

DE MAGISTRO SCHOLÆ.

22 ECclesiæ Cathedrales olim cõstituebant unum, qui Clericos doceret linguam latinam, cantum, & reliquas disciplinas juxta *Cap. de Magistris*, & hic vocabatur Magister Scholæ, nunc alicubi dicitur Sholarcus, seu Scholasticus. Huic debet assignari competens Beneficium, ut gratis doceat. *eodem Cap. 1. de Magistris*. Est hodie Dignitas ex Institutionibus Ecclesiarum Cathedralium, ut videre est apud Azorium *par. 2. lib. 2. cap. 23.* & Bar-

Digitized by Google

& Barboſam *lib.* 1. *Jur. Eccleſ. cap.* 29. cum pluribus, quos citat *numero primo.*

23 De Scholaſtico, ſeu Scholaſteriam obtinente loquitur Tridentinum *ſeſſ.* 23. *de reform. Cap.* 18. *v. deinde*: ubi ſtatuitur his verbis: *De cætero vero officia, ſeu Dignitates illæ, quæ Scholaſteriæ dicuntur, non niſi Doctoribus, vel Magiſtris, aut licentiatis in ſacra pagina, aut in Jure Canonico, &c. conferantur.* Unde infert Barboſa cum aliis *n.* 3. quod Scholaſteria, collata non Doctori, vel Magiſtro, vel licentiato ſit nulliter collata.

§. SEPTIMUS.

DE CAPPELLANO MAXIMO, SEU MAJORE.

24 IN aliquibus Eccleſiis Cathedralibus inter alias Dignitates, ſeu Perſonatus, datur, qui Cappellanus maximus vocatur; cujus munus, & officium ex ipſa Eccleſiarum conſuetudine, & more pendet. Azorius *dicto lib.* 2. *cap.* 24. Dictus eſt Cappellanus Major, eo quia aliis Cappellanis honore, & dignitate præſtat; ideoque ſupponitur in Eccleſia eſſe plures Cappellanos, quorum curam habet Cappellanus Major, ut ſuis temporibus illi officium exequantur.

§. OCTAVUS.

DE PRIORIBUS.

25 PRiores alii ſunt Sæculares, alii Regulares: Sæculares alii ſunt Rurales, alii Collegiales. Rurales ſunt, qui curam animarum habent abſque Collegio Canonicorum, & ideo ſunt veluti Parochi, & eorum

Digitized by Google

Ecclesiæ sunt Curatæ, non Collegiatæ. Collegiales verò sunt, qui præsunt toti Collegio Canonicorum, & isti sunt Dignitates. Barbosa cum aliis *lib. 1. Jur. Eccles. cap. 30. n. 4.* & Fagnanus *in Cap. Ad hæc. de Præbendis n. 31.* Hinc quia talis Prior regulariter curam Animarum habet, debet esse in ætate 25. annorum, juxta superius dicta de Dignitatibus in communi. Non est tamen necesse, ut sit Doctor, vel Licentiatus in Theologia, aut Jure Canonico, quia hoc nullibi habetur. Nec Tridentinum *sess. 24. Cap. 12. de reform.* præcipit, sed hortatur, ut Dignitates conferantur Doctoribus. Ita Garzias *de Benefic. par. 7. cap. 7. n. 33.* & Barbosa *loco citato n. 6.* Potest Prior suos Canonicos excommunicare, quia ordinarius est. Fagnanus *in Cap. cum in Ecclesiis. de majorit. & obedien. n. 2.*

26 Priores Regulares alii sunt Conventuales, alii Claustrales: sunt Conventuales illi, qui habent Ecclesiam Collegiatam; ideoque nomine Prioratus conventualis venit Ecclesia Collegiata Regularis; & isti Priores dicuntur habere Dignitatem. Fagnanus *in Cap. sanè. il secondo n. 33. de officio Delegati.* Et possunt esse Delegati Sedis Apostolicæ; Delegationes enim istæ solent committi personis in Dignitatibus constitutis. Fagnanus *in Cap. cum olim. il secondo. n. 10. de Privilegiis.*

27 Sunt etiam Priores Conventuales illi, qui præsunt Conventui Religiosorum cum administratione Bonorum Conventus, & Jurisdictione in jis, quæ regulam concernunt. Atque hi comparantur Abbatibus, & de eorum potestate loquemur *in Cap. 6. de Abbatibus.* Sunt etiam isti in Dignitate constituti. Barbosa cum aliis. *n. 17.*

28 Sunt etiam alii Priores Conventuales, qui ponuntur ab Abbatibus, quoties Abbas habet sub sua potestate alias Ecclesias curatas regulares, vel Conventus subordinatos, quæ Ecclesiæ vocantur obedientiariæ. *Cap. cum ad Monasterium. §. Tales. de statu Monachorum.* Isti Prio-

res

Digitized by Google

res amoventur ab Abbatibus, & ponuntur ad beneplacitum. An autem possint amoveri sine ulla causa, fusè disputatur a Fagnano in dictum *Cap. cum ad Monasterium. a n.* 23. *usque ad* 47. & 33. resoluit quod possint; quamvis aliqui Priores conventuales, qui canonicè eliguntur a Capitulo, & confirmantur solùm ab Abbate, vel Superiore; non possint sine causa amoveri juxta textum citatum *in Cap. Monachi.* §. *Priores de statu Monachor.*

29 Priores Claustrales sunt illi, qui in eodem Conventu intra Claustrum præficiuntur Regularibus, & habent post Abbatem Jurisdictionem solùm circa ea, quæ ad Claustrum, & Regulam Monachalem spectant; & vocantur Superiores, vel Vicarii. Isti non habent Dignitatem; ideoque nulla istis potest fieri Delegatio a Sede Apostolica. Ita Barbosa citatus cum aliis *n.* 23.

§. NONUS.

DE CANONICIS.

Quid, & Quotuplex sit Canonicus, & quæ ejus Dignitas.

30 CAnonicus, dictus est a Canonica portione, ideest certa annona assignata, ut ait Azorius *part. 2. lib. 3. cap.* 11. Aliis autem Clericis dabantur, quæ incerta erant ex oblationibus fidelium. Non est idem Canonicus, ac Præbendatus, quia Canonia non est idem ac Præbenda, quamvis ex ipsa Canonia pendeat Præbenda, & hæc ad illam necessario sequatur. *Cap. cum M. Ferrariensis de Constitutionibus.*

31 Est igitur Canonia quoddam Jus proveniens ex electione, & receptione in fratrē Episcopi, propter quod Jus competit Jure communi locus in Choro, & vox in Capitulo.

Digitized by Google

lo. Ita Fagnanus in *dictum cap. cum M. Ferrarienſis. de conſtitut. n. 26.* Præbenda autem propriè, & ſtrictè eſt Jus ordinatum Jure Canonico ad utendum, & fruendum rebus, & juribus ad hoc deputatis, & ad recipiendum, & adminiſtrandum eas res, & Jura, ſeu ut ait Lancellottus *lib. 1. Inſtitutionum Juris Canonici tit. 26.* Præbenda eſt Jus percipiendi proventus Eccleſiaſticos, tamquam uni de Collegio competens, & ex Canonia procedens.

32 Hoc igitur Jus deſcendit ex Canonia, quia eo ipſo quod quis habet officium, debet habere Præbendam, ſeu beneficium. *Cap. Relatum. & Cap. Dilectus. il primo, e ſecondo. de Præbend.* Hinc fit, ut ſi Collator conferat præbendam vacantem alicui, eo ipſo conſtituit eum Canonicum, vel viceverſa ſi Canonicum inſtituit, ei præbendam confert propter connexionem, quam habet Canonia, & Præbenda, quamvis conſultius ſit dicere: Confero tibi Præbendam cum Jure Canoniæ. Fagnanus ex aliis *ibidem n. 29.* Dixi (Præbendã vacantem) quia poſſunt aliquando creari aliqui Canonici Supernumerarii, qui Canoniam habeant actu, & non Præbendam, & iſti habent Jus ſedendi in Choro, & ſuffragium in Capitulo. Utrum autem poſſint percipere diſtributiones quotidianas, eſt in quæſtione, & alii affirmant, alteri negant. Videatur Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 11. q. 5. & 13.* Dixi, item ſupra (Præbendam ſtrictè, & propriè) quia largè ſumpta accipitur pro Jure percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis, quos Canonici percipiunt, quod Jus datur etiam aliis non Canonicis ratione alicujus officii in Eccleſia Canonicorum: atque hi Præbendati non habent in Capitulo vocem; cum eis non ſit collata Præbenda, ut Canonicis, ſeu ex Canonia procedens.

33 Canonici officium eſt valde honorificum; vocantur enim Canonici a Tridentino *ſeſſ. 23. de reform. cap. 12.* Senatus Eccleſiæ, & Fratres Epiſcopi, ſicuti Cardinales dicuntur Fratres Papæ. Panormitanus *in cap. Novit. n. 2. de*

iis

Digitized by Google

iis quæ fiunt a Prælatis &c. Atque ideo in materia favorabili veniunt sub nomine Clericorum, & in materia odiosa nõ veniunt, sicut nec alii in Dignitate constituti. Ita Fagnanus cũ Aliis *in cap. Bonæmemoriæ. de Postul. Præf. n.* 29. & 12.

34 Est autem Canonicorum officium assistere Episcopo celebranti, divina officia per se obire, & Psalmos in Choro devotè canere. Tridentinum *sess.* 24. *de reform. cap.* 12. *ver. Præterea*, & *ver. omnis verò*. Habent insuper vocem in Capitulo. Qui autem fuerit Canonicus nondum in Sacris constitutus, non habet vocem in Capitulo, ex Tridentino *sess.* 22. *de reform. cap.* 4.

35 Duplex est Canonicus, alius enim est in Ecclesia Cathedrali; idest ubi Episcopus suam Sedem, seu Cathedram habet; alius in Ecclesia Collegiata. Qui sunt Canonici in Ecclesia Cathedrali præcedunt alios, qui sunt in Collegiata; quia Cathedralis Ecclesia est dignior, quàm omnis alia. Insuper Canonici Cathedralis Ecclesiæ possunt esse Delegati Papæ, non minus ac alii, qui Dignitatem habent. *Cap. Statutum. de Rescriptis.* Non autem possunt eligi in Judices conservatores Regularium de Jure Communi, quia propriè non sunt Dignitates, quamvis sint omnibus Clericis digniores. Azorius cum aliis communiter *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11. *q.* 16. & constat ex *cap. Final. de officio, & potestate Judicis Delegati in* 6. & Glossa notat *ver. Quæritur, qui possint esse Conservatores.* Stante tamen Constitut. Gregorii XV. de Conservatoribus, possunt in Conservatores eligi; quando fuerint Judices Synodales. Fagnanus *in cap. Si Clericus. n.* 56. *de foro Competenti.*

36 Denique Canonici Cathedralis Ecclesiæ, etiamsi sint Regulares, prout sunt in Ecclesia Monregalensi, præcedunt Canonicis Collegiatæ, & Clericis omnibus Sæcularibus. Pignatelli *tom.* 4. *consult.* 26. *n.* 18.

§. DE-

Digitized by Google

§. DECIMUS.

DE OBLIGATIONIBUS CANONICORUM.

37 CAnonici tenentur ex Jure communi, ut probat Fagnanus *in cap. Jam dudum n. 13. de Præbend.* ad reſidentiam perſonalem continuam. Hodie autem ex Tridentino *ſeſſ. 24. de reform. cap. 12.* ita ad reſidentiam tenentur, ut ultra tres menſes quolibet anno ſive continuos, ſive interpolatos non liceat ipſis abeſſe ab Eccleſia ſub pœna privationis fructuum pro dimidia parte in primo anno: in ſecundo verò omnium fructuum annualium: creſcente autem contumacia debet contra non reſidentem procedere Epiſcopus, ita ut poſt lapſum trium annorum privare eum poſſit Canonicatu. Videatur Fagnanus *in cap. Ex tuæ. n. 14. & 31. de Clericis non reſident.* & *in cap. licet n. 26. de Præbend. & Dignitat.* Tribus autem menſibus prædictis nulla licentia, aut cauſa requiritur, ut Canonicus poſſit ab Eccleſia abeſſe. Ita idem Fagnanus *in cap. Relatum n. 16. de Clericis non reſident.* & *in cap. Licet n. 52. de Præbendis, & Dignitatibus.*

38 Item tenentur pſallere in Choro, itaut ſi in Choro ſint, & non canant officium, ſed illud vel ſubmiſſa voce, vel domi ſuæ recitent, non poſſint diſtributiones quotidianas acquirere, ut docent graves Auctores, quos citat, & ſequitur Fragoſus *part. 2. lib. 3. diſp. 8. §. 2. n. 29.* Barboſa *de Offic. & Poteſt. Epiſc. allegat. 53. n. 131.* Bonacina *de horis Canonicis diſp. 2. q. 4. pun. 1. n. 13. ver. Ego arbitror.* Fagnanus *in Cap. Licet. de Præbend. n. 89.* Et ratio eſt, quia Tridentinum dicit: *Atque in Choro ad Pſallendum inſtituto hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter diſtinctè, devotèque laudare.* Sunt nonnulli, qui cum Caetano in ſumma *v. Horæ Canonicæ*; docent, Canonicos intereſ-

ſen

Digitized by Google

sentes Choro, & non canentes posse distributiones acquirere; sed judicent alii de probabilitate hujus opinionis, præsertim cum a Fagnano afferatur Decisio *ex Bullis Julii Secundi, Gregorii XIII. & Sixti V.* in qua, *die* 12. *Novembris* 1592. statutum fuit, ut Canonici teneantur alta voce canere in Choro. Sunt alii, quos citat, & sequitur Diana *p.* 2. *trac.* 12. *& resol.* 33. qui concedunt Canonicum assistentem Choro, & non canentem, posse sibi medietatem distributionum retinere.

39 Tenentur præterea ex eodem Tridentino, vestitu decente uti tam in Ecclesia, quàm extra: abstinere ab illicitis Venationibus, Choreis Tabernis, Lusibus, & ea morum integritate vivere, ut meritò dici possint Ecclesiæ Senatus.

40 Per se ipsos ex eodem Tridentino tenentur functiones sacras exercere, & Episcopo celebranti assistere. Quod si quis fuerit legitimè impeditus; poterit de licentia Episcopi alium Canonicnm ejusdem gradus substituere, dummodo pro ea hebdomada hic non sit obligatus Missam, vel Evangelium cantare. Ita docet Pignatelli ex variis declarationibus *to.* 1. *consul.* 129. *n.* 46. *& deinceps.* & Fagnanus *in cap. cum omnes. de Constitution. n.* 28. Hæc autem potestas substituendi de licentia Episcopi habet locum inter præsentes, non verò in absente: nam absens non potest substituere; sed amittit distributiones. Idem Fagnanus *n.* 29.

41 Præterea tenentur Canonici Cathedralis Ecclesiæ omnes accedere ad excipiendum Episcopum ex aula, cum pontificaliter ad Ecclesiam celebraturus progreditur. *lib.* 1. *Cerem. cap.* 15. Pignatelli *to.* 4. *consult.* 94. & *consult.* 102. varias declarationes circa Episcopi associationem faciendam à Canonicis affert. Duo autem Canonici tenentur inservire Episcopo in visitatione, & aliis functionibus.

42 Denique ex eodem Tridentino tenentur Canonici

Digitized by Google

Cathedralis Ecclesiæ ordinem sacrum accipere juxta divisionem Canonicatuum in Subdiaconos, Diaconos, & Presbyteros, ab eodem Tridentino statutam, ita videlicet, ut dimidia pars sint Præsbyteri, cæteri verò Diaconi, & Subdiaconi. Unde *sess. 22. de reform. cap. 4.* dicit, quod nullus promoveatur, nisi habeat ætatem ad suscipiendum infra annum ordinem requisitum ad ejus officium in Cathedrali, vel Collegiata. Videatur Pirhing *lib. 1. Decretal. tit. 14. de ætate, & qualitate. n. 12. ver. verùm quidquid.*

43 Notandum tamen est ex Fagnano in *Cap. cum in cunctis. de Elect. n. 71.* & eodem Pirhing, quod ubi nondum est facta ab Episcopo, cui a Tridentino committitur facienda de consensu Capituli ordinum distributio, potest quis eligi in Canonicum in ætate requisita a Tridentino *sess. 23. de reform. cap. 6.* nimirum anno 14. completo, & a Jure communi, ut notant Doctores cum Glossa *in cap. superinordinata de Præben.* & affert Fagnanus Decisiones Congregationis Concilii contra Episcopum, volentem privare Canonicatu quemdam Ferdinandum, qui erat in ætate annorum decem, & octo.

44 Præterea si in fundatione Canonicatus expressè cautum sit a fundatore, ut non servetur ætas a Jure communi, aut a Tridentino requisita; potest Canonicatus conferri ei, qui potest in Minoribus ordinari, nimirum in ætate septem annorum: quia lex fundationis omnino servanda est ex communi Doctorum opinione cum Glossa *in cap. cum dilectus. ver. constitutum. de Consuetud.* Habetur etiam Decisio Rotæ, ait Fagnanus in dictum *Cap. cum in cunctis, de Elect. n. 72.*

45 Notandum præterea, quod Canonicus Pœnitentiarius debet esse Doctor, vel Licentiatus in Theologia, aut in Jure Canonico, & in ætate 40. annorum ex Tridentino *Sess. 24. de reform. cap. 8. §. in omnibus etiam.* Ubi tamen non sit talis, poterit eligi aptior pro loci qualitate.

§. UN-

Digitized by Google

§. UNDECIMUS.

DE CANONICIS COLLEGIATÆ.

46 CAnonici Collegiatæ non dicuntur habere Dignitatem, neque æquiparantur Dignitatibus, ſicut Canonici Cathedralis: ideoque non poſſunt Canonici Collegiatæ eligi in Judices Synodales, neque in Judices Conſervatores Regularium; quia tam *in Capitulo Statutum. de Reſcriptis*; ubi de qualitatibus in eligendis in Judices, quàm in Bulla Gregorii XV. de Conſervatoribus, ſolùm fit ſermo de Canonicis Cathedralium; quinimmo, ut ſuprà notavi, & bene probat Fagnanus *in cap. Si Clericus. de Foro compet: a n.* 53. *uſque ad finem*; ipſimet Canonici Cathedralium non poſſunt hodie eligi in Conſervatores, niſi fuerint electi Judices Synodales.

47 Inſuper Canonici Collegiatæ neque dicuntur habere Perſonatum, quia Perſonatus eſt Dignitas media inter Dignitates, & Canonicos (Pignatelli ex variis Doctoribus, & Deciſionibus *tom.* 4. *Conſult.* 157.

48 Item: Canonici Collegiatæ, quia ſunt Clerici ſecundi gradus, reſpectu Canonicorum Cathedralis, qui ſunt Clerici primi gradus; Major enim eſt honor, ait Innocentius *in cap. Fraternitatem. de Sepult.* eſſe Canonicum Cathedralis Eccleſiæ, quàm alterius, ideo cedere debent locum Canonicis Cathedralis, & etiam Portionariis, ſeu Beneficiatis illius: quia Caput non debet ſeparari a ſuis membris. Unde ſi accidit fieri Funus Canonici Collgiatæ in ipſa Eccleſia Collegiata, & interveniant Canonici Cathedralis cum ſuis Portionariis, debent hi præcedere. Pignatelli *tom.* 4. *Conſult.* 97.

49 Tenentur Canonici Collegiatæ ad reſidentiam, & cætera, quæ diximus de Canonicis Cathedralis, quia Iuri-

Digitized by Google

dentinum loquitur de omnibus, ac etiam de Portionariis, de quibus infra.

50 Quo ad ætatem tamen non sunt Canonici Collegiatæ, sicut Canonici Cathedralis adstricti esse in ætate illa, qua possint ordinem sacrum infra annum suscipere, si facta sit distributio ordinum ab Episcopo, juxta superiùs dicta; sed possunt Canonici Collegiatæ fieri in ea ætate, quæ requirebatur ante Concilium, nimirum 14. annorum Pirhing *lib. 1. tit. 14. §. 2. n. 12. ver. Porro*. Et quamvis aliqui ætatem a Jure communi requisitam dicant esse septennium completum; tamen ex Regulis Cancellariæ requiritur annus decimus quartus, & ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii, quam affert Fagnanus *n. 85. in dictum cap. Cum in cunctis. de Elect.* dicitur, quod hæc ætas est generaliter præfixa a Tridentino ad obtinenda Beneficia Simplicia. *Sess. 23. cap. 6.* Unde hodie Canonicus Collegiatæ, ubi a Fundatore non sit præfixa ætas, debet habere 14. annum inchoatum.

§. DUODECIMUS.

QUIBUS IN CASIBUS CANONICI ABSENTES lucrentur fructus Præbendæ, aut etiam distributiones.

51 REspondeo ex Fagnano *in cap. licet. de Præbend. & Dignitat.* ubi fusè per totum de his discurrit, quod Canonici absentes de licentia Episcopi studiorum Causa, quæ licentia ad quinquennium, & non ultra concedi potest. *Cap. Finali. de Magistris*, non privantur fructibus Præbendæ; privantur tamen distributionibus quotidianis, quæ etiamsi dividantur in fine anni, adhuc censentur quotidianæ, dummodo divisio fiat pro ratha servitii. Hæc Conclusio, quod scilicet absens studiorum cau-

Digitized by Google

causa percipiat fructus Beneficii, non autem distributiones quotidianas, ex multis probatur a Gonzalez Tellez *in lib. 3. Decretal. cap. licet. de Præbend. & Dignitat.* Hoc privilegio percipiendi fructus in absentia gaudent non solùm studentes in Theologia, & Jure Canonico in publica Universitate, sed etiam Docentes: in publica, inquam Universitate; nam non gaudent tali privilegio, qui in Villa, vel Castello studet, ubi nullum est competens studium. Item qui studet non debet excedere annum ætatis suæ 25. ex declaratione Sacræ Congregationis Concilii apud Fagnanum citatum *n.* 73.

52 Secundò lucrantur fructus Præbendæ illi duo Canonici, qui absunt causa inserviendi Episcopo: quod idem verificatur de Canonicis Familiaribus Papæ. Similiter illi, qui per tres menses absunt ab Ecclesia, juxta superiùs dicta. Non lucrantur autem distributiones quotidianas, neq; qui inserviunt Episcopo, neque qui absunt per illos tres menses, neque qui sunt dispensati ad percipiendos fructus in absentia, quamvis in dispensatione dicatur: *habeantur pro præsentibus.* Quod si in dispensationibus diceretur; *ac si divinis interessent*, lucrarentur distributiones. Quod si non haberentur alii reditus, nisi distributiones, absentes nunc ob prædictas causas lucrarentur eas: tum quia aliàs Privilegium lucrandi fructus in absentia esset inutile; tum quia nunc distributiones habentur loco Præbendæ.

53 Distributiones igitur quotidianas non lucrantur, qui absunt causa pestis, nisi habeatur consuetudo, quod absentes ex juxta causa lucrentur distributiones: neque qui absunt causa Dioecesim visitandi cum Episcopo: neque qui absunt, quia sunt Examinatores Synodales; aut voluntariè se exponunt Confessionibus audiendis: neque qui associant Episcopum volentem celebrare non pontificialiter in Ecclesia non Cathedrali, aut volentem velare moniales, aut examinare promovendos in Seminario: neque Canonicus,

qui

qui sit Vicarius Episcopi: neque qui prædicat: neque qui assistit Congregationi rerum Spiritualium: neque qui celebrat submissa voce tempore, quo horæ Canonicæ recitantur, nisi compulsus fuerit ad celebrandum in illa hora: neque Peregrinantes devotionis causa. Debet igitur Choro assistere vel cantando, vel celebrando Missam solemnem, qui distributiones velit percipere quotidianas.

54 Notandum, quod Inquisitores contra hæreticam pravitatem, si sint Canonici, ex concessione Pauli III. & Pii V. lucrantur distributiones quotidianas una cum fructibus præbendæ in absentia. Ita Royas *de Privilegiis Inquisitorum n.* 420. & Fragosus *par.* 2. *lib.* 3. *disp.* 8. §. 2. *n.* 33. Fagnanus autem *n.* 104. *in dictum Cap. Licet. de Præben.* ait, quod ex sententia Sacræ Congregationis non lucrantur distributiones quotidianas in absentia. Quapropter standum est praxi.

55 Si aliquo statuto in fundatione, aut privilegio Apostolico firmatum sit, quod absentes Canonici ex justa causa, lucrentur distributiones quotidianas, tunc poterunt eas lucrari. Nec obstat Tridentinum, ut bene dicit idem Fagnanus *n.* 130. 131. & 132. *in dict. cap. Licet. de Præbendis.*

56 Casus in Jure expressi, in quibus absentes lucrantur distributiones, habentur *in cap. Unico. de Clericis non residen. in 6.* Et sunt: Infirmitas, justa, & rationabilis necessitas corporalis, Utilitas evidens Ecclesiæ. Atque in tribus his casibus potest Episcopus excusare Canonicum a residentia Chori, neque requiritur consensus Capituli.

57 Notandum primò, quod etiamsi habeatur Statutum Capituli, quod absentibus, ratione Infirmitatis, non dentur distributiones, adhuc debent dari; quia tale statutum non approbatur, cum non sit rationabile.

58 Notandum secundò, quod ille Canonicus, cui Medicus dixit, non posse eum assistere maturinis horis sine periculo vitæ, habetur pro infirmo, & ideo absens lucrari

debet

debet distributiones quotidianas.

59 Notandũ tertiò, quod Canonicus cæcus sicut nõ tenetur horas recitare, ita nec interesse Choro, & tamen debet distributiones acquirere. Atque ita declaratum a Sacra Congregatione refert idem Fagnanus *n.* 143 cum aliis Doctoribus.

60 Notandũ quartò, quod Canonicus senio cõfectus habetur pro infirmo; & ideo potest distributiones acquirere, quamvis non intersit Choro. Atque ita declaratum refert idem Fagnanus *n.* 146.

61 Notandum quintò, quod etiamsi Canonicus culpa sua in morbum incidisset, adhuc lucratur distributiones, ut censuit Sacra Congregatio, & approbavit Gregorius XIII.

62 Notandum denique, quod hæc intelliguntur dicta pro eo Canonico, qui dum sanus erat, solebat assistere: nam si non erat solitus assistere sanus, infirmitas non est causa non assistendi, & ideo non lucratur distributiones tempore Infirmitatis: sicut nec ille, qui tribus mensibus vacationis corripitur infirmitate. At si Infirmitas protrahitur ultra tres menses; & ipse si sanus esset, veniret ad Chorum, tunc causa absentiæ est infirmitas, & ideo lucratur distributiones ab eo tempore, quo fuisset venturus. Ita declaratum testatur idem Fagnanus in dictum *Cap. licet. de Præbend. n.* 149.

63 Secundus casus, in quo distributiones debentur absenti, est Corporalis necessitas, nimirum si Canonicus medicinam sumpsit: si tempore seditionis absque sua culpa ejectus est a Civitate: si injustè sit detentus in Carcere: si apud Judicem se velit defendere: si injustè fuerit excommunicatus, &c. Ita ex pluribus Doctoribus idem Fagnanus *n.* 156. *usque ad* 157.

64 Tertius casus est utilitas Ecclesiæ in specie, nimirum ejus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, in qua est Canonicus, non autem alterius Ecclesiæ.

65 No-

Digitized by Google

65 Notandum primò, quod Canonicus, vel Dignitas habens ex officio sui Canonicatus, vel Dignitatis curam animarum in eadem Ecclesia, dum eam exercet audiendo Confessiones, habetur pro præsente, quia laborat pro utilitate Ecclesiæ, & ideo supra *n.* 53. dixi, qui voluntariè se exponunt confessionibus audiendis, distributiones non lucrantur: nam si ex officio tenentur in eadem Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, lucrantur.

66 Notandum secundò, quod si fuerit statutum in Ecclesia, quod qui 40. annis servierint, sint Canonici Jubilati, & a Choro exempti, poterunt hi distributiones acquirere: quia tale statutum est in utilitatem Ecclesiæ, cum alacriori animo inserviant ipsi Ecclesiæ, qui sciunt, se in senectute acquisituros distributiones, etiamsi non intersint Choro.

67 Notandum tertiò, Canonicum, qui pro negotiis Capituli abest, debere habere distributiones, quia abest ob utilitatem Ecclesiæ suæ.

68 Notandum quartò, quod Canonici, qui tenentur assistere Episcopo pontificaliter celebranti, sive in Cathedrali, sive extra, ex Decreto Sacræ Congregationis Concilii, lucrantur distributiones.

69 Notandum quintò, quod qui theologalem præbendam habet, tempore quo docet, si abest a Choro, lucratur distributiones.

70 Notandum denique, quod Canonicus Pœnitentiarius Cathedralis habendus est pro præsente in Choro, dum audit confessiones in Ecclesia. Ita Tridentinum *sess. 24. de reform. Cap. 8. in fine.* Quod ipsum dicendum, si quia audit Confessiones, non potest comitari defunctum eunte Capitulo ad comitandum; ideoque debet lucrari distributiones, non solùm debitas assistentibus Choro, sed etiam comitantibus Defunctum. Ita declaratum a Sanctissimo refert Fagnanus *in dictum Cap. licet. de præbend. n.* 171.

§. DE-

Digitized by Google

§. DECIMUSTERTIUS.

DE PORTIONARIIS.

71. Beneficiarii in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, qui non sunt Canonici, sed unà cum Canonicis assistunt Choro, & altaris ministeriis, dicuntur Portionarii, a portione ipsis data ad vitam sustentandam. Alio nomine vocantur Assisii. *in cap. cum ad hæc. de Clericis non resident.* quasi Assidui; & in aliis Ecclesiis vocantur Mansionarii, alibi dicuntur Clerici talis Ecclesiæ, alibi Canonici de mensa, alii Canonici secundarii, alibi simplices Beneficiati.

72. Hi non habent suffragium in Capitulo, nec cum Canonicis sedent in Choro, tenentur tamen ad residentiam, non minus ac Canonici, ex dictis.

73. Non licet post Tridentinum in duabus Ecclesiis portiones habere, nec aliud Beneficium potest Portionario dari, si curam animarum, ac residentiam requirat. Potest tamen Episcopus habenti portionem conferre aliud simplex beneficium, quod neq; ex fundatione, neq; ex consuetudine, neque de jure residentiam requirat; dummodo non sit in eadem Ecclesia Collegiata, vel Cathedrali, nec alterum sufficiat ad commodè Clericum sustentandum. Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 10. quæst. 4.*

§. DECIMUSQUARTUS.

DE CAPITULO VIVENTE EPISCOPO.

AGemus de iis, quæ spectant ad Capitulum, vivente Episcopo, nam de potestate Capituli, Sede vacante, postea loquemur.

74 Nomine Capituli veniunt omnes Canonici, prout conſtituunt unum Corpus cum Epiſcopo; Epiſcopus autem eſt Caput, Canonici membra. *cap. novit. de iis quæ fiunt a Prælatis ſine conſenſu Capituli*. Ideoque ſeparari non debent, ac proinde multa nō poteſt Epiſcopus ſine conſenſu, juxta titulum prædictum *de iis, quæ fiunt a Prælatis, &c.*

EXPLICANTUR EA, AD QUÆ REQUIritur Conſenſus Capituli.

75 Dico 1. Ad hoc ut Epiſcopus alienet bona Eccleſiaſtica, ſive immobilia, ſive mobilia pretioſa, quæ conſervari poſſunt, requiritur conſenſus Capituli, ita ut nec vendere, nec donare, nec permutare poſſit Epiſcopus ſine tali conſenſu; aliter irrita eſt alienatio. *cap. Irrita. de his quæ fiunt a Prælatis &c.* Abbas in dictum *cap. Irrita n.* 1. Pirhing *in lib.* 3. *Decretal. tit.* 10. §. 1. *n.* 1. Barboſa *lib.* 1. *Jur. Eccl. cap.* 32. *n.* 7. Quod ſi Epiſcopus non habeat ſecum Canonicos ob aliquam cauſam, debet convocare loco Canonicorum alios Clericos. Abbas *n.* 7. Pirhing. *loco citato in fine*. Plura eſſent hic quærenda. Verùm opportuniùs de illis cum, Deo favente, agemus de rebus Eccleſiæ non alienandis in 2. libro.

76 Dico 2. requiritur conſenſus Capituli in Unione unius Eccleſiæ facienda ab Epiſcopo alteri Eccleſiæ, vel Dignitati, vel Præbendæ; aut in concedenda Eccleſia Religioſis. Dicitur Unio Eccleſiarum, vel Beneficiorum, quoties duæ Eccleſiæ, vel duo beneficia connectuntur authoritate Superioris in perpetuum, vel ad tempus ob Eccleſiarum neceſſitatem, vel utilitatem. Azorius *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 28. *q.* 1. Quod autem non poſſit Epiſcopus Eccleſias, aut Beneficia unire ſine conſenſu Capituli, conſtat ex *Cap. tua nuper. de jis, quæ fiunt a Prælatis, &c.* & *Clementina ſi una Eccleſia. de rebus Eccleſiæ non alienandis.* Atque ita docent

cent Rebuffus in regula de Unione. Glossa 11. *n.* 2. Azorius *loco citato q.* 12. Barbosa *cap.* 32. *lib.* 1. *Juris Eccles. n.* 8. Aliique plures.

77 Notandum primò, quod etiamsi Unio fiat ab Episcopo, tamquã Sedis Apostolicæ Delegato, requiritur consensus Capituli prædictus vigore Tridentini *Sess.* 21. *de reform. cap.* 5. ibi: *juxta formam Juris.* & ita decisum refert Barbosa *de Offic. & Potest. Episcopi. part.* 3. *allegat.* 66. *n.* 29.

78 Notandum secundò, quod, quando Unio fit in favorem Capituli, requiritur auctoritas Papæ, quia Capitulum non potest authorizare in facto proprio. Si autem fieret Unio in favorem non Capituli, sed alicujus Dignitatis, aut Canonici particularis ipsius Capituli, tunc Capitulum potest authorizare. Quod si omnes Præbendæ fuerint tenues, & tenues distributiones; vel hæ nullæ sint, & Præbendæ tenues, tunc poterit Episcopus facere Unionem omnibus Præbendis simul, vel distributionibus simul, quia in hoc casu succurri potest per remedium juxta Tridentinum *Sess.* 21. *de reform. cap.* 3. *&* *Sess.* 24. *cap.* 15.

79 Notandum tertiò, quod si Unio fiat a Legato a Latere, tamquam Delegato Papæ, & non tamquam Ordinario, non requiritur consensus Capituli, quia sicut Pontifex potest unire sine tali consensu, ita & commissionatus ab ipso. Si verò eam faciat ex sua potestate ordinaria, indiget etiam Legatus a latere consensu Capituli, quia non habet potestatem majorem, quàm Episcopus, dum sic operatur. Ita Sanchez *in Decal. to.* 2. *lib.* 7. *cap.* 29. *n.* 166. Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccl. cap.* 32. *n.* 12.

80 Notandum denique, quod si fuerit justa Causa uniendi, & Canonici nolint consentire, possunt ab Episcopo compelli; sicut e contra si fuerit justa Causa contradicendi ex parte Capituli, sufficit ad impediendam Unionem. Ita Rebuffus, Azorius, & Barbosa *n.* 13.

81 Dico 3. requiritur consensus Capituli in omni ne-

Digitized by Google

gorio, quod pariter præjudicium Ecclesiæ Cathedrali, nec spectat ad interesse Capituli. Præterea ubi fuerit consuetudo, quod aliqua fiant a Prælato sine consensu Capituli, debet servari, & In iis, quæ spectant ad Capitulum simul, & Episcopum, nimirum, quia vel sunt promiscuæ Jurisdictionis, vel quia sit ea consuetudo, vel quia sic mandavit Sedes Apostolica.

82 Denique requiritur Consilium Capituli, ut Episcopus instituat, vel destituat Ecclesiasticas personas. *cap. novit. de jis, quæ fiunt a Prælatis, &c.* & ut præsentet ad Beneficia *ex cap. ea noscitur eodem titulo* requiritur etiam consensus, ut dispenset, & confirmet electos: ut negotia alia Ecclesiæ resolvat, requiritur consilium Capituli *ex cap. quanto. eodem titulo.* ut inquirat, corrigat, & puniat excessus subditorum, quamvis videatur requiri etiam consensus, tamen videtur sufficere Consilium Capituli *cap. non est. de consuetudine in 6.*

83 Similiter ubi adest consuetudo, quod sine Consilio Capituli Episcopus corrigat, & puniat, non requiritur tale Consilium ex *dicto cap. non est.* In edicendis Processionibus, & dirigendis Consilium Capituli requiritur, non consensus, ex declaratione Sacræ Congregationis relata a Barbosa *dicto lib. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 20.* Item ad indicendam, & publicandam Synodum Diœcesanam, vel faciendas edicta pro generali Visitatione, nec consensus, nec consilium Capituli requiritur. Barbosa *n. 22. in fine.*

DE IIS, QUÆ POSSIT CAPITULUM STATUERE.

84 POtest Capitulum aliqua statuta facere interveniente præsentia, & consensu Episcopi. Abbas *in cap. 1. n. 14. de his, quæ fiunt a majori parte Capituli.*

Re-

Requiritur autem talis præsentia, & consensus Episcopi in his, quæ pertinent ad Ecclesiam universalem, & Jura Episcopi. In his autem, quæ pertinent ad negotia particularia Capituli, non requiritur. Ita Glossa in *cap. constituimus de Verborum significat. in 6. §. statuimus.* Et docent communiter Doctores, ut videre est apud Barbosam citatum *n.* 16.

85 Non potest autem Capitulum, etiam cum consensu Episcopi, facere statuta contra Jus commune, quia in his requiritur consensus Papæ, & non sufficit Episcopi consensus. In Synodis Provincialibus vocandæ sunt Capitula Cathedralium, aut eorum Nuntii. In his autem, quæ in Synodo Diœcesana Episcopus decernit, non tenetur sequi consilium Capituli, cum ad ipsum spectet statuta facere, & Decreta. Debet tamen petere Consilium Capituli, non autem est obligatus sequi, nisi in casibus in Jure expressis. Ita decisum refert Barbosa *disq. dib.* 1. *Jur. Eccles. cap.* 32. *n.* 23.

§. DECIMUSQUINTUS.

DE CAPITULO SEDE VACANTE.

86 MOrtuo Episcopo, vel capto a Paganis, vel translato ad Ecclesiam aliam, succedit Capitulum in Jurisdictione Spirituali, & Temporali. *cap. si Episcopus de Supplenda neglig. Prel. in 6. & cap. Ecclesiæ Cathedrali eodem.* Et Concilium Tridentinum *Sess. 24. de reform. cap.* 16. In hoc Paragrapho agemus de his, quæ pertinent ad Electionem Vicarii, in sequenti de potestate Capituli Sede vacante.

DE

DE IIS, QUÆ PERTINENT AD Electionem Vicarii Sede vacante.

87 DEbet Capitulum ex citato Concilio Tridentino vel Vicarium jam existentem confirmare infra octo dies, vel Officialem, seu Vicarium eligere, qui sit Doctor in Jure Canonico, vel Licentiatus, vel aliàs quantum fieri potest Idoneus. Quod si negligens fuerit Capitulum in eo eligendo, poterit vel Metropolitanus, si Ecclesia fuerit Episcopalis, vel antiquior ex Suffraganeis, si Ecclesia fuerit Metropolitana, vel vicinior Episcopus, si Ecclesia fuerit exempta, Vicarium constituere. *cap. Ecclesiæ Cathedrali. in 6. de Supplenda neglig. Prælat.*

88 Quæritur hìc a quo die sunt computandi dies octo ad electionem Vicarii, & an possint restringi ad pauciores ab ipso Capitulo, & an Capitulum possit purgari de mora, si ipsi dies sunt transacti?

89 Respondeo ad primum, quod sunt computandi a primo die post mortem, vel a die, quo habetur notitia. Addit Joannes Antonius Massobrius *in praxi habendi concursum. requisit. 1. dub. 9.* quod resolutum sit in Curia Romana, quod eo ipso quòd Episcopus habet notitiã ex Testimonio Secretarii Sacri Collegii, quod absolutus sit in Consistorio a vinculo prioris Ecclesiæ, etiamsi non dum fuerint expeditæ literæ, nec possessionem novæ Ecclesiæ acceperit, debet abstineri ab exercitio Jurisdictionis in prima Ecclesia, quam Jurisdictionem obtinet illico Capitulum; ac propterea debet hoc infra octo dies a notitia prædictæ absolutionis, eligere Vicarium.

90 Ad secundum respondeo, quod quamvis possit Capitulum quocumque die ex illis octo eligere Vicarium, tamen non potest sibi brevius tempus præscribere ad electionem Vicarii, ita ut debeat necessariò fieri tali die, quar-

Digitized by Google

quarto, vel tertio e.g. quia Capitulum non est superius se ipso. Quaranta tamen *in Summa Bullarii v. Capitulum Sede vacante q.* 12. §. *dubitatur primò* concedit posse Capitulum restringere sibi tempus statuendo brevius.

91 Respondeo ad tertium quod si transacti sunt dies octo a vacatione Sedis, electio devoluitur ad Superiorem juxta declarationem Concilii Tridentini, & Capitulum privatur Jure eligendi; nec potest purgari mora, quia quando Jurisdictio devoluitur ad Superiorem propter negligentiam, non habet locum pœnitentia. Atque ita Themudo *in decisionibus Archiepiscop. Ulissipon. par.* 1. *decis.* 22. *n.* 5. variis citatis.

92 Quæritur secundò. An si habeatur Doctor in Jure Canonico in gremio Capituli, possit eligi in Vicarium non Doctor, aut Doctor in Theologia, prætermisso Doctore in Jure Canonico?

Respondeo primò, quod secundùm declarationes Sacræ Congregationis Tridentini, quas adducit *Merolla tom.* 3. *disp.* 7. *cap.* 7. *dub.* 18. *n.* 186. & Garzias *de Benefic. tom.* 1. *par.* 15. *n.* 10. Electio Vicarii non Doctoris, quoties haberi potest Doctor, est nulla. Unde si Episcopus elegerit invita Vicarium Generalem non Doctorem, non potest Capitulum, Sede vacante, illum confirmare, quoties haberi potest alius, qui ex Capitulo sit Doctor. Ita Marcellus Uulpe *in praxi fori Ecclesiastici cap.* 44. *n.* 15. adducens alias declarationes Sacræ Congregationis Concilii Tridentini.

93 Respondeo secundò, quod ex Barbosa *trac. de Canonicis cap.* 43. *n.* 53. & Valenzuela *Consilio* 120. *n. finali.* Doctor in Theologia non potest eligi in Vicarium Sede vacante. Quod sic probatur: quia licet Doctores Theologi sint litteratissimi, tamen non habent praxim Jurisprudentiæ, quæ requiritur, & habetur in Doctore Juris Canonici. Atque ideo non debet præferri Theologus Canonistæ.

94 Re-

Digitized by Google

94 Respondeo tertiò, quod bene potest sustineri cum Solorzano *de Jure Indiarum tom. 2. lib. 3. cap. 13. n. 40.* & Riccio *par. 4. decis. 385.* validam esse electionem Vicarii Doctoris in Theologia, prætermisso Juris Canonici Docole, qui est in gremio Capituli, primò quia Solorzanus affert decisionem factam in Ecclesia Limana in favorem electi Vicarii Doctoris in Theologia, non obstante, quod plures erant Prebendarii in Jure Pontificio Doctores.

95 Secundò, quia Concilium volens electionem fieri Doctoris in Jure Pontificio non excludit electionem alterius Idonei dicens: *vel alias quantum fieri poterit Idoneus.* ergo relinquit arbitrio Capituli alternativam, ita ut quoties in Doctore Theologo reperiatur alia Idoneitas, quæ non habetur in Canonista, nimirum si Theologus sit vir ætate, & prudentia excellens Canonistam, possit Capitulum Theologum eligere, omisso Canonista. Atque ita docent Navarrus *Consil. 2. de offic. Vicar.* Sayrus *in floribus decisionum. decis. 2. eodem tit.* Henriquez *Consil. 90.* Riccius *in Praxi Archiepiscopali decis. 473. n. 2.* & Alii apud Diaz *par. 8. tract. 4. resol. 56.*

96 Addit Solorzanus, quod etiam possit eligi non Doctor, dummodo illi assignetur pro assessore Doctor Juris Pontificii, quoties Capitulum ita judicaverit pro bono Ecclesiæ, nec officere, ait declarationes Cardinalium, ubi non sunt receptæ, aut publicatæ, nec posse tales declarationes vincere dispositionem Concilii Tridentini concedentis Capitulo hanc alternativam. Hæc ille. Sed non videtur recedendum ab hoc, quod electio sit facienda Vicarii Doctoris, quoties haberi potest. Atque ita docet Pignatelli *Consult. 117. to. 1. n. 1.* ubi ait, quod electio Vicarii non Doctoris, quoties haberi potest Doctor, est irrita, quia contra formam præscriptam a Concilio Tridentino, & contra declarationem Sacræ Congregationis quam ipse affert.

97 Quæritur tertiò an Vicarius, sede vacante, debeat eligi ex gremio ipsius Capituli. 98 Re-

Digitized by Google

98 Respondeo non teneri Capitulum de necessitate ad eligendum aliquem ex ipso Capitulo, quamvis si in Capitulo sit aliquis Idoneus, debeat, cæteris paribus, præferri aliis omnibus extra Capitulum, ut censuit Sacra Congregatio Concilii Tridentini. Ita Marcellus a Vulpe *in praxi fori Eccles. cap.* 44. *n.* 25. Merolla *to.* 3. *disp.* 7. *cap.* 7. *dub.* 18. *n.* 187. ubi vult, quod etiam quando electio ob negligentiam Capituli devoluitur ad Metropolitanum, vel ad Episcopum antiquiorem, &c. non tenetur Metropolitanus eligere unum de Capitulo.

99 Insurgit hic aliud dubium, an scilicet possit Metropolitanus eligere aliquem extra Capitulum, quoties in Capitulo habetur Idoneus, nimirum Doctor?

Respondeo, quod tenetur eligere eum, qui est Idoneus in Capitulo, quia tunc Metropolitanus succedit loco Capituli; ergo sicut Capitulum tenetur eligere Vicarium ex gremio, quando habetur idoneus; ita, & Metropolitanus, & sicut non potest eligi non Doctor, si habetur Doctor, ita neque extraneus, si habetur æque Idoneus in Capitulo.

100 Addit Garzias *de Benefic. to.* 1. *par.* 5. *cap.* 5. *n.* 13. quod existentibus Doctoribus, vel Licentiatis in Capitulo, debet eligi Vicarius Doctor de necessitate; si verò in Capitulo non sint Doctores, tunc poterit eligi aliquis ex ipso Capitulo, quantùm fieri potest Idoneus. Verùm non placet hoc, quia tunc videtur debere ex Capitulo eligi, qui est Idoneus, quamvis non Doctor, quoties nec in Capitulo, nec extra Capitulum habetur Doctor. At si in Capitulo non habentur Doctor, & habeatur Doctor extra Capitulum, videtur eligendus iste extraneus, qui est Doctor. Moveor, quia Concilium Tridentinum prius requirit Doctoratum, & deinde dicit [*vel alias Idoneus,*] & non determinat electionem ad aliquem ex Capitulo; ergo ex mente Concilii Tridentini priùs inquiri debet Doctor, & si non inveniatur ex ipso Capitulo, neque extra, poterit eli-

Digitized by Google

eligi Idoneus, quamvis non Doctor ex ipso Capitulo, secus verò non potest eligi non Doctor.

101 Non omittam tamen, quæ dicit ex quadam declaratione Cardinalium Jacobus Pignatelli *to. 1. consult. 411.* inquirens quomodo intelligenda sint illa verba: [*cæteris paribus*] nimirum quod intelligi debent hoc pacto, quod si in Capitulo habetur habilis, etiam si extra Capitulum habeatur magis habilis, præferendus est ille ex Capitulo.

102 Quæritur quartò an possit Capitulum, Sede vacante, eligere in Vicarium Parochum, aut Canonicum non Sacerdotem?

Respondeo ad primum ex Barbosa *trac. de Canonicis. cap. 42. n. 37.* & *lib. 1. Jur. Eccles. cap. 32. n. 38.* quod si Parochus habeat Parochiam extra Civitatem, in qua est Sedes Episcopalis, non potest eligi. Si verò ejus Parochia sit in eadem Civitate, potest. Ratio est, quia sic declaratum est a Sacra Congregatione 19. *Martii* 1619. quam declarationem idem Barbosa affert.

103 Hinc quando dicitur, quod Parochus non possit esse Vicarius Capitularis, ut scribit Marcellus Vulpe *in praxi fori Eccles. cap. 44. n.* 18. intelligitur de Parocho habente curam animarum extra Civitatem, in qua est Sedes Episcopalis.

104 Respondeo ad 2. quod quamvis Novarius *in summa Bull. to. 1. tit. de Capitulo Sede vacante n.* 19. dicat, quod non potest eligi Canonicus non Sacerdos in Capitularem Vicarium, quia quamvis Concilium Tridentinum nihil dicat circa hoc; tamen Clemens VIII. per suas literas expressit in Vicario Capitulari ordines sacros; nihilominus dico cum Merolla *to. 3. disp. 7. cap. 7. dub. 18. n.* 189. quod dictæ literæ Clementis non sunt authenticæ, nec reperiuntur, imò si reperirentur, adhuc non obligarent, quia cum contineant præceptum latum ab homine,

præ-

Digitized by Google

præceptum illud expiravit morte Clementis; unde nunc bene potest eligi in Vicarium a Capitulo Canonicus non Sacerdos alioqui habilis, quia Concilium Tridentinum nihil statuit in contrarium.

105 Quæritur quinto an in eligendo Vicario, debeat servari forma electionis præscripta *in cap. quia propter de elect.* & *in cap. 6. Concilii Tridentini sess. 25. de Regular. & Monial.*

106 Pro responsione supponitur, quod in dicto *Cap. quia propter de Elect. & electi potest.* statuitur modus eligendi per vota secreta, & in scriptis redacta, quæ a tribus fidedignis de Capitulo exquirantur, & collatione facta, eligatur ille, in quem omnes, vel major pars Capituli consentit; vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiæ viduatæ provideant de Pastore. Similiter in *Cap. 6.* citato Cõcilii Tridentini, decernitur ut Electio Abbatum Generalium, Abbatissarum, &c. fiat per vota secreta. His positis.

107 Respondeo ad quæstionem, non requiri in Electione Vicarii Capitularis formam præscriptam *in cap. quia propter.* Ratio est, quia Canon loquitur de Electione Episcoporum, dicit enim: [*Ecclesiæ viduatæ provideant de Pastore.*] Nec Ecclesiæ sponsus est Vicarius Capitularis, sed Episcopus, ob cujus mortem Ecclesia dicitur viduata. Neque requiritur forma Concilii Tridentini; quia ipsum loquitur de electione Superiorum Regularium. Unde potest fieri electio Vicarii Capitularis per vota publica. Atque ita sustinent Garzias *de Benefic. to. 1. par. 5. cap. 7. n. 22.* & alii, quos sequitur, & citat Diana *par. 8. trac. 4. resolut. 60.* quod ipsum dicunt de Electione Dignitatum, Personatuum, & Canonicatuum Joannes Andreas, & Abbas, quos citat, & sequitur Fagnanus *in cap. quia propter de Elect. n. 34. & 35.* Et nos notabimus cum de Electione ad Beneficium. *in lib. 2.*

Digitized by Google

108 Quæritur sexto an possit Capitulum removere ad libitum Vicarium a se electum?

109 Respondeo, quod attentis Juribus, potest Capitulum removere Vicarium, & alium eligere infra octo dies. Moveor, quia stante Jure antiquo ante Concilium Tridentinum, poterat Capitulum ad libitum removere Vicarium a se electum. Ergo etiam post Concilium Tridentinum; quia Concilium nihil de hoc statuit; ergo tamquam casus omissus remanet in dispositione Juris antiqui. Antecedens probatur, quia Capitulum succedit in Jurisdictione Episcopi, exceptis casibus in Jure expressis; sed Episcopus potest removere Vicarium a se constitutum. Abbas *in cap. licet ex suscepto n.* 2. *de foro compet.* & *in cap. cum non ignores. n.* 7. *de Præbend.* Ergo etiam Capitulum, &c. Atque ideo hanc sententiam sustinent Joannes Solorzanus *de Jure Indiarum to.* 2. *lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 55. Merolla *to.* 3. *disp.* 7. *cap.* 7. *dub.* 27. *n.* 266. qui citat Azorium, Molinam, & alios. Videatur Riccius *in Decisionibus Episcopal. par.* 4. *decis.* 178. & Pignatelli *to.* 1. *consult.* 23. *n.* 1. ubi alios adducit. Verùm *n.* 2. addit idem Pignatelli, quod Sacra Congregatio Episcoporum præcipit, ne Vicarius simpliciter electus removeatur a Capitulo absque causa, recognoscenda ab eadem Sacra Congregatione. Numero autem 10. advertit idem Doctor, quod ex decisionibus ejusdem Sacræ Congregationis Episcoporum statutum est, quod Vicarius Capitularis non possit eligi ad certum tempus, v. g. ad duos menses, sed eligendus est pro toto vacationis tempore, in quo removeri non potest sine causa, qualis esset si aliquid patiatur fieri contra immunitatem Ecclesiæ, si non resideat, si sit debitor Capituli; si odio habeatur a populo, &c. Quæ causa debet recognosci ab ipsa Sacra Congregatione Episcoporum. Quod ipsum dicit Vulpe *in praxi fori Ecclesiastici cap.* 44. *n.* 24. & Novarius in summa Bullarii *tit. de Capitulo Sede vacante n.* 6.

110 Denique Themudo *in decis. Archiepis. Ulissippo-nen. to. 1. decis. 23.* testatur sæpius decisum fuisse non posse a Capitulo ad libitum amoveri Vicarium electum. Et Quaranta *v. Capitulum Sede vacante. n. 3.* adducit hanc aliam rationem, nimirum: si posset Capitulum pro libito removere Vicarium electum, ipse Vicarius segniter se gereret in administranda Justitia in Canonicos particulares, vel in personas ab eis dependentes.

111 Quæritur ultimò, an si electio esset nulla, posset fieri a Capitulo, alterius Vicarii electio? Respondeo ex Jacobo Pignatelli *to. 1. consult. 23. n. 4.* & aliis, quos adducit; quod si electio Vicarii Capitularis fuerit nulla, potest Capitulum sine ulla alia causa ad novam electionem devenire, cum electio nulla non soleat a Superiore validari *Cap. nihil. §. Cæterum. de electione.*

112 Nullitas autem Electionis patebit, vel si non fuerint omnes Canonici vocati, etiamsi unus tantùm fuerit contemptus. Glossa, Abbas, & alii *in Cap. quod sicut. de Elect.* Vel si non sit habita major pars votorum, non quidem respectu aliorum, qui minora Suffragia habuerint; sed respectu totius Capituli eligentis; unde est quod medietas Suffragiorum non sufficit ad validam electionem; sed requiritur quod excedant vota, saltem in uno, medietatem. *Cap. cum Ecclesia vestra. Il secondo §. Verùm cum nuper. & cap. in Genesi. de Elect. Cap. cum in cunctis. de his, quæ fiunt a majori parte Capituli.*

113 Addit Pignatelli loco citato *n. 7.* quod etiamsi deinde major pars Canonicorum propria manu subscribat literas patentes electo Vicario cum sola medietate votorum, adhuc electio est nulla, quia Suffragia debent dari Collegialiter, & in Capitulo, non autem singulariter. Atque ita docent Innocentius *in cap. in Genesi. n. 7. ad finem.* Butrius *n. 28. de Electione.* Abbas *in cap. Auditis. n. 7. & 8. eodem titulo.*

Digitized by Google

114 Nec obstat quod diximus supra, quod non debet servari forma eligendi per vota secreta, & in scriptis, quia satis est, quod Concilium Tridentinum dicat: Electionem faciendam esse a Capitulo, ad hoc ut requiratur major pars votorum Canonicorum capitulariter congregatorum. Ratio est, quia non est electio a Capitulo facta, si non fiat ab eo Collegialiter congregato, & consentiente secundùm majorem partem in unum eligendum. Ita Pignatelli *n.* 28. ubi plures Doctores, & textus adducit.

§. DECIMUS SEXTUS.

DE POTESTATE CAPITULI Sede vacante.

115 EAm potestatem habet Vicarius electus a Capitulo, quam illi tradit Capitulum, penes quod ipsa est, nec transit tota authoritas Capituli in Vicarium, sed solùm ea, quæ non requirit speciale mandatum. Ita Barbosa *de Canonicis. cap.* 42. *n.* 103. & Novarius *in summa Bullar. tit. de Capitulo Sede vacante. n.* 10. Videndum igitur nunc est, quanta, & qualis potestas sit Capituli Sede vacante.

116 Quæritur primò an Capitulum succedat in omni Jurisdictione Episcopi ordinaria?

Respondeo quod Capitulum succedit in omnibus, quæ spectant ad ordinariam Jurisdictionem, & administrationem Episcopi, tum in spiritualibus, tum in temporalibus. *Cap. cum olim. de Majorit. & obedient. Cap. ad abolendam. de Hæreticis. Cap. si Episcopus. de Supplen. neglig. Prælat. in 6. & Cap. Ecclesiæ Cathedrali. eodem tit. Cap. Episcopali Sede vacante. de Major. & obedient. in 6.* Cap. *si Capitulum Sede vacante. de Institut. in 6.* & Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 16. de reformatione.*

117 Hanc

Digitized by Google

117 Hanc opinionem sustinent Solorzanus *de Jur. Indiarum to. 2. lib. 3. cap. 13. n. 2.* ubi citat tresdecim Doctores, quibus additur Merolla *to. 3. disp. 7. cap. 7. dub. 1. n. 9.* & alii multi.

118 Nec obstat quod dicitur *in Cap. illa Devotionis, Ne Sede vacante aliquid innovetur.* in quo prohibetur Capitulo, Sede vacante, collatio Beneficiorum, ibi: *cum nusquam inveniatur cautum in Jure, quod Capitulum Sede vacante utatur vice Episcopi in collationibus Præbendarum.*

119 Non obstat, inquam, hic textus, quia collatio Beneficiorum est quædam donatio, ut habetur *in Cap. de multa providentia. de Præbend. & Dignitat.* & ait Panormitanus *in cap. verum. de foro compet. n. 11.* & ideo computatur inter fructus, & bona Ecclesiastica, quæ non alienantur per Capitulum, Sede vacante, ideoque meritò dixit Innocentius III. *in Can. citato.* Capitulum non posse conferre Beneficia, quia hoc non est in Jure expressum, cum donatio non comprehendatur sub quacumque generali facultate concessa, nisi exprimatur *Cap. cum in generali. de officio Vicarii in 6.*

120 Succedit igitur Capitulum Episcopo in omni Jurisdictione tum necessaria, tum contentiosa, seu quæ est in his, quæ sunt de Justitia, tum voluntaria, seu in his, quæ sunt gratiæ, quia Jura absolutè dicunt Capitulum succedere in Jurisdictione ordinaria Episcopi; ergo non debemus distinguere, ubi Jura non distingunt, ut ait Panorminatus *in Cap. cum olim de major. & obedient. §. numquid.* Atque ideo ita sustinent Rebuffus in praxi *tit. de devolutionibus n. 58. & seq.* Genuensis *in Praxi Curiæ Archiepiscopali Neapolit. cap. 88.* Riccius, Molina, & alii.

121 Quæritur secundò an possit Capitulum, Sede vacante, conferre Beneficia, si ea sint necessaria, & debita?

Respondeo ex *Cap. illa Devotionis. Ne Sede vacante,* paulo ante adducto habetur, quod Beneficia libera, idest,

quæ

quæ pendent a libera voluntate Episcopi, non possunt a Capitulo conferri, Sede vacante. Atque ex hoc infertur ab aliquibus, quod neque possit Capitulum conferre Beneficia necessaria, nimirum electos ad Beneficia ab jis, qui potestatem habent eligendi, confirmare, aut instituere Præsentatos a Patronis.

122 Sed contrarium tenendum est cum Panormitano *in Cap. cum olim. de major. & obedient. §. sed communiter*, nimirum, quod quamvis Capitulum, Sede vacante, non possit conferre Beneficia libera, tamen potest instituere Præsentatos a Patronis, & confirmare electos. *cap. 1. de Instit. lib. 6.* ubi clarè dicitur, quod, & si Capitulum, Sede vacante, non possit Beneficia, quæ ad collationem Episcopi spectant, conferre; tamen potest Præsentatos a Patronis admittere, & si fuerint Idonei, eos instituere; unde sicut ad Capitulum devoluitur Institutio, ita Confirmatio.

123 Ratio diversitatis ex Panormitano, & aliis illum sequentibus est, quia collatio Beneficii est quædam donatio ut habetur *in Cap. finali. de officio Vicarii in 6.* Nam Prælatus utitur quadam liberalitate in eum, cui vult Beneficium conferre, ut *in Cap. Relato. de Præben.* Potest enim conferre cui vult, atque per hunc respectum, vocatur donatio, & ideo noluerunt Jura, quod hæc potestas liberalitatis transiret in Capitulum, sicut nec liberalitas dispensandi fructus provenientes, Sede vacante, ut *in Cap. quia sæpe. de Electione in 6.* In confirmatione autem, & institutione non exercetur liberalitas, quia si electus, vel præsentatus est dignus, tenetur Superior illum confirmare, &c. *ut in Cap. postquam. de Elect. & aliis capitulis*, in quibus Episcopus malitiosè recusans Præsentatum Idoneum, damnatur in pœnam delicti sui, ut provideat illi de competenti Beneficio. Igitur cum Confirmatio, & Institutio sit debita, nec in illis aliqua liberalitas exerceatur, debet potestas confirmandi, & instituendi transire ad Capitulum.

124 Quæ-

Digitized by Google

124 Quæritur tertiò an possit Capitulum conferre Beneficia, quæ competunt Episcopo Jure devolutionis.

Respondeo quod quoties ob negligentiam, vel delictum Inferioris, ad quem spectat collatio Beneficii, devoluitur Jus conferendi ad Episcopum, & Episcopus non habetur, quia vel defunctus, vel translatus, vel captus, potest Capitulum tale beneficium conferre. Ratio est, quia talis Jurisdictio competit Episcopo ratione utilis administrationis suæ Diœcesis, in bonum, & favorem non ipsius Episcopi, sed Beneficiorum, & animarum: sed in tali Jurisdictione succedit Capitulum, Sede vacante: ergo &c. Ita Joannes Andreas *in cap. Quamquam. de Elect. in 6.* & alii, qui hanc disparem rationem assignant, cur Capitulum non possit Beneficia conferre, & possit, quæ de Jure devoluto competunt Episcopo: quia illa nascuntur ut fructus ex *Dignitate Episcopali*; fructus enim Episcopo successori debentur, & ideo Capitulum non potest disponere de illis. Beneficia autem, quæ competunt Episcopo Jure devoluto, ex accidente proveniunt, scilicet ex negligentia Inferiorum, ad quam negligentiam supplendam est inventa devolutio. Ex hac enim dispari ratione solvitur quod à Doctoribus oppositum sustinentibus, dicitur, scilicet quod Jura generaliter loquuntur, dum prohibent Capitulo, Sede vacante, collationem Beneficiorum ad Episcopum pertinentium. Solvitur, inquam, quia distinctio in loquutionibus Juris, vel aliis locis ipsius Juris, vel ratione suppletur. Sed jam habetur dispar ratio assignata. Ergo bene potest distingui generalis locutio Juris prohibentis collationem Beneficiorum Capitulo, Sede vacante, dicendo, quod loquantur de Jure proprio, non de Jure devolutionis ad Episcopum spectante.

125 Consentit Panormitanus *in cap. Illa devotionis Ne Sede vacante n.* 3. ubi, postquam dixerit, quod, vacante Sede, etiam per longum tempus, non potest Capitulum

Digitized by Google

conferre Beneficia vacantia, ſed eſt recurrendum ad Papam, qui eſt Generalis Ordinarius totius orbis *Can. Cuncta per modum 9. q. 3.* addit hanc limitationem cum Joanne Andrea, quem ſuperiùs citavimus, ſcilicet quod procedit de Beneficiis Jure proprio ad Epiſcopum ſpectantibus, non de illis Jure devoluto ob negligentiam, vel delictum Inferioris; & adducit rationem jam dictam, quia devolutio non fit ad Epiſcopum favore ſui, ſed favore Beneficii: unde eſt, quod non debet expectari novus Succeſſor. Quæ ratio, ut ait Abbas, videtur ipſi multùm ſtringere, & fieri bona per textum cum Gloſſa *in Cap. Statutum. de Prabend. in 6.*

126 Quæritur quartò an poſſit Capitulum, Sede vacante, recipere reſignationes Beneficiorum?

Reſpondeo affirmativè; quia ille poteſt recipere reſignationem Beneficii, qui poteſt deſtituere, ſeu privare aliquem Beneficio, ut notat Innocentius *in cap. Quod in dubiis. de Renuntiat.* ſed Capitulum, Sede vacante, poteſt privare aliquem ex legitima cauſa, Beneficio: quia ſuccedit in Jurisdictione Epiſcopi: ergo, & reſignationem recipere. Atque ita docent Panormitanus *in cap. Cum olim. de Majorit. & obedient. §. 6. dubitatur.* Fridericus in tit. *de Rerum permutatione. q. 36.* Felinus *in Cap. Cum olim; citato. n. 4.* & plures alii.

127 Confirmatur. Quia Capitulum ſuccedit in omni Jurisdictione Epiſcopi, exceptis caſibus in Jure expreſſis: ſed recipere reſignationem Beneficiorum pertinet ad Jurisdictionem ordinariam Epiſcopi, & nullibi invenitur hoc denegatum Capitulo: ergo, &c.

128 Procedit aſſertio de reſignationibus ſimpliciter, non autem de his, quæ fiunt cauſa permutationis; nam quando reſignatio fit, ut alius acquirat Beneficium, & reſignans acquirat aliud; tunc ſolùm poteſt Capitulum, Sede vacante, admittere reſignationem, quando ipſi com-

pe-

Digitized by Google

petit collatio illorum Beneficiorum, ut ajunt communiter Doctores cum Glossa *in Clementina prima de rerum permutat*: si verò collatio non spectat ad Capitulum, sed ad futurum Episcopum, non potest Capitulum eam resignationem admittere.

129 Ratio est manifesta, quia licèt admittere resignationem, & conferre Beneficia sint distincta; tamen sunt omnino connexa: hac enim conditione procedit Resignans Beneficium, ut compermutanti concedatur: ergo Superior admittens resignationem, admittit eam conditionem: ergo si eam conditionem admittere non potest, quia ad ipsum non spectat collatio, neque potest admittere resignationem, ut bene ait Garzias *de Benefic. cap. 4. n. 5. par. 11.*

130 Accedit, quod neque potest Capitulum obligare Episcopum futurum ad conferendum Beneficium compermutantibus: unde si posset recipere tales resignationes, sequeretur hoc incommodum, quod scilicet, si nollet deinde Episcopus ea Beneficia compermutantibus conferre, non pateret quid faciendum esset: non enim, ut dicebam, potest cogi Episcopus ad conferendum Beneficium, quia est liberæ collationis; nec possunt permutantes ad priora Beneficia redire sine nova Collatione, ut asserunt communiter Doctores, quos citatus Garzias refert; quamvis quoties resignatio fit in manibus Papæ, si permutatio non habet effectum, possint permutantes ad priora Beneficia redire, ut probat idem Garzias *n. 7.* ergo non pateret quid esset faciendum; ac propterea concludendum est, quod non possit Capitulum, Sede vacante, recipere resignationes Beneficiorum ex causa permutationis, quoties non habet potestatem conferendi illa Beneficia.

131 Quod si Episcopus admiserit resignationes, & antequam ea Compermutantibus conferret, discederet vel è vita, vel à Sede; posset Capitulum Compermutantibus

Digitized by Google

dare: quia admissâ jam resignatione, collatio est necessaria. *Cap. unico de Rerum permut. in 6. & Clement. 1. eodem titulo.* Sed Episcopo succedit Capitulum in his, quæ sunt de necessitate, & obligatione, prout dictum fuit de Instituendis præsentatis a Patronis: ergo, &c.

132 Est igitur Resignatio causâ Permutationis facienda coram Superiore, qui habet potestatem in illo Beneficio: unde de Beneficiis, quæ reservantur Papæ, non potest Episcopus resignationem hanc admittere, propter eandem rationem, quia non potest ea Beneficia conferre. Atque ita docet idem Garzias *n.* 82. & alii, quos refert Castropalao *de Benefic. trac. 13. disp. 6. punct. 3. §. 3. n. 5.*

133 Quæritur quintò an Capitulum, Sede vacante, succedat solùm in Jurisdictione ordinaria Episcopi, an verò etiam in delegata?

Respondeo cum communi, quod Capitulum non succedit in potestate delegata Episcopi, nimirum in jis, quæ Episcopo competunt de mandato, aut commissione Summi Pontificis. Ratio est, quia licèt Capitulum succedat in Jurisdictione Episcopi; non tamen succedit in Persona, aut Dignitate. Cum ergo illa commissio, aut privilegium respiciat Personam, & Dignitatem Episcopi; non potest Capitulum in tali commissione, aut Privilegio succedere. Ita plures Doctores, quos sequitur, & citat Merolla *to. 3. disp. 7. cap. 7. dub. 1. n. 13.*

134 Quod ipsum confirmatur *ex Cap. Quoniam Abbas de Offic. & Potest. Judicis deleg.* ubi dicitur, quod quando delegatio est facta Dignitati, transit ad Successorem in Dignitate, si non fuit expressum nomen proprium: præterea privilegium non debet excedere personam privilegiati *ut in cap. Sanè de Privil. & can. Petisti. 7. q. 1.* Hinc stilus Curiæ Romanæ est, non dirigere dispensationes Capitulo, Sede vacante, sed viciniori Episcopo.

135 Quæritur sextò an Capitulum possit dispensare in

Digitized by Google

Interstitiis quo ad Ordines recipiendos?

Respondeo, quòd quamvis Machadus *de Perfecto Confessario tom. 2. lib. 4. part. 4. tract. 1. docum. 9. n. 4.* affirmet, absolutè posse Capitulum, Sede vacante, dispensare in Interstitis, quo ad ordines, eo quia Capitulũ succedit Episcopo in omni jurisdictione ipsi competente, quatenus Episcopus est; tamen mihi placet Sententia Zipæi *de Jure Pontificio novo lib. 3. tit. 9. n. 2.* & Solorzani *de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 13. n. 14.* nimirum, quod Capitulum, Sede vacante non possit intra annum dispensare in Interstitiis; sed possit bene post elapsum annum.

136 Moveor, quia Capitulo dempta est per Concilium Tridentinum *Sess. 7. de reform. cap. 10.* & *Sess. 23. cap. 10.* facultas concedendi dimissorias, seu licentiam suscipiendi Ordines suis subditis infra annum à die vacationis: ergo dempta est potestas dispensandi in Interstitiis; quæ dispensatio solùm conducit ad Ordines suscipiendos. Consequentia tenet: quia *de Regul. Jur. in 6. in additione ad regulã 39.* quę dicit: *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quę sequuntur ex illo.* sic legitur: *Est regula huic similis, aliquo prohibito, omne id prohibetur, per quod pervenitur ad illud; & hæc loquitur de consequentia prohibitionis mediorum, per quæ pervenitur ad extremum. Illa verò loquitur de consequentia prohibitionis extremorum, quæ procedunt ex primo prohibito, & in hoc pone a simili exemplum ff. de Sponsal. l. Oratio.* ubi habetur, quod prohibito Matrimonio, prohibentur Sponsalia. Si igitur prohibitum est Capitulo, Sede vacante, infra annum concedere subditis licentiam recipiendi Ordines, sequitur prohibitum esse dispensare in Interstitiis, per quam dispensationem pervenitur ad Ordines. Quod autem possit dispensare elapso anno, est manifestum; quia ex una parte habet Jurisdictionem Episcopalem, & ex alia parte, jam tunc potest dare licentiam recipiendi Ordines.

137 Ad-

Digitized by Google

137 Adverto hic, quod si subditus Capituli, Sede vacante intra annum, habeat Breve Apostolicum, per quod concedatur, ut ordinari possit a quocumque Episcopo de licentia proprii Ordinarii, tunc poterit Capitulum, non licentiam, ut ille ordinetur, quam jam habet a Papa, sed testimonium suæ vitæ dare, seu quod idem est literas commendatitias, seu testimoniales. Ita Pignatelli *tom. 3. consult. 8. n. 3.* Ac propterea cum isto tali habente licentiam ut ordinetur, posset Capitulum dispensare, si opus fuerit in Interstitiis; quia in tali casu dispensandi facultas, non censetur prohibita.

138 Similiter in sententia eorum, qui volunt, Religiosos indigere dispensatione Episcopi in Interstitiis, bene posset talibus Religiosis Capitulum, Sede vacante, etiam intra annum dispensationem concedere; quia Capitulum succedit Episcopo in Jurisdictione ex una parte; ex alia in hoc casu non dat licentiam ordines recipiendi, quia jam illi a suis Superioribus hanc licentiam habent. Præterea Capitulo restringitur potestas quo ad suos subditos. Regulares autem non sunt ejus subditi; ergo non est cur censeatur prohibita respectu Religiosorũ facultas dispensandi.

139 Denique in casu, quo infra annum potest Capitulum dare licentiam suscipiendi Ordines suo subdito, nimirum ut concedit Concilium Tridentinum, quando aliquis est arctatus ad Ordines suscipiendos, quia non potest per alium satisfacere Missas debitas ex beneficio recepto, vel recipiendo; tunc potest Capitulum, ex dictis, dispensare cum Hoc in Interstitiis.

140 Quæritur septimò. An possit Capitulum, Sede vacante, dare licentiam infra annum externo Episcopo, ut Ordines conferat non subditis Capituli, & an possit revocare licentiam exercendi Pontificalia, quam habuit externus Episcopus a defuncto Episcopo?

141 Respndeo ad primum cum Themudo *in decis. Archie-*

Digitized by Google

chiepis. Ulissipponen. par. 2. decis. 89. n. 3. & seq. quod possit. Ratio est, quia in tali casu non datur licentia ad Ordines suscipiendos. Hi enim qui non sunt subditi, v.g. Regulares, non indigent licentia Capituli, sicut neque Episcopi, quando habetur, sed suorum Superiorum, ut Ordines recipiant; solùm igitur datur licentia exercendi Pontificalia illi Episcopo in Diœcesi non sua; sed id quod prohibetur Capitulo, Sede vacante intra annum, est dare licentiam recipiendi Ordines, non autem prohibetur illi dare licentiam Episcopo exercendi Pontificalia; cum hæ duæ res sint valde diversæ. ergo, &c.

142 Hinc Clerici alienæ Diœcesis cum dimissoriis propriorum Episcoporum possunt ordinari in loco, in quo vacat Sedes, ab Episcopo habente licentiam exercendi Pontificalia. Quod ipsum confirmatur, quia prohibitio, quam habet Capitulum a Concilio Tridentino est quo ad suos subditos. Clerici autem alienæ Diœcesis, sicut, & Regulares, non sunt sui subditi.

143 Neque obstat Concilium Tridentinum dicens: quod non possit Capitulum dare licentiam Ordinandi, nam ly *ordinandi* non sumitur activè, sed passivè, idest non potest dare licentiam, ut subditi recipiant Ordines, non autem, ut exterus Episcopus det Ordines non subditis Capituli; & hoc probatur, quia Concilium Tridentinum ait: *aut literas dimissorias, seu Reverendas, ut aliqui vocant:* ergo loquitur de licentia ordinandi passivè, idest de licentia recipiendi Ordines respectu Subditorum; quia literæ dimissoriæ dantur solùm subditis volentibus recipere Ordines ab alieno Episcopo. Atque ita Portellius *in Respons. moralib. to. 2. casu 71. per totum.*

144 Respondeo ad secundum, quod potest Capitulum revocare licentiam habitam ab Episcopo mortuo. Ratio est, quia Capitulum succedit Episcopo. Ergo sicut poterat Episcopus vivens licentiam a se traditam revocare,

ita

Digitized by Google

ita & Capitulum ipsi succedens. Unde est, quod si Capitulum non revocet talem licentiam, poterit Episcopus exterus exercere Pontificalia in Ecclesia vacante ob licentiam habitam ab Episcopo mortuo. Atque ita docent Themudo *citatus decis.* 88. *n.* 9. & Portellius *loco citato n.* 4. *&* 5.

145 Quæritur octavò an possit Capitulum, Sede vacante, dispensare, & absolvere in omnibus, in quibus potest Episcopus ex vi Concilii Tridentini?

Concilium enim Tridentinum *sess.* 24. *de Refor. cap.* 6. statuit, quod Episcopi dispensent in omnibus irregularitatibus, quæ proveniunt ex delicto occulto, & in omnibus suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, & item quod possit absolvere ab omnibus casibus occultis, Sedi Apostolicæ reservatis in foro conscientiæ, per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputatum, sicut etiam ab hæresi per seipsos tantùm. Hoc posito.

146 Respondeo Capitulum, Sede vacante, posse in omnibus his casibus dispensare, & absolvere, excepta hæresi, stante Bulla Cœnæ, per quam etiam Episcopis tollitur talis potestas, quamvis plures Doctores contrarium asserant, qui possunt videri apud Dianam *par.* 1. *trac.* 5. *resol.* 2. præterquam quod docet Rodriquez *in summa to.* 1. *cap.* 71. *n.* 25. quod etiamsi non esset Episcopis derogata Potestas absolvendi ab hæresi, adhuc, quia solis ipsis fuit concessa incommunicabiliter a Concilio Tridentino, Capitulum, Sede vacante, eam non haberet.

147 Probatur assertio, quia Capitulum succedit, ut toties dictum est, in omni Jurisdictione Episcopali ordinaria, & solùm non succedit in his, quæ sunt Episcopo concessa ex gratia, seu specialiter ex privilegio, aut commissione summi Pontificis; sed hæc Jurisdictio, de qua loquimur, est ex Jure ordinario, annexa Juri Episcopali, &

non

Digitized by Google

non est ex speciali Privilegio, ut ex dicendis patebit: ergo, &c. Atque ideo hanc sententiam sustinent Baldellus *to. 2. lib. 1. disp. 48. n. 22.* Merolla *to. 3. disp. 7. cap. 7. dub. 1. n. 16.* Solorzanus *to. 2. lib. 3. cap. 13. n. 13. & alii*, quos sequitur Riccius *to. 3. resol. 265.*

148 Confirmatur, & simul ostenditur major argumenti adducti, quia Concilium Tridentinum concedit hanc facultatem Episcopis, non tanquam Delegatis Sedis Apostolicæ, sed simpliciter, dicit enim *liceat Episcopis, &c.* & non exprimit, ut solet in aliis locis, *tanquam Delegatis Sedis Apostolicæ*. ergo est annexa muneri Episcopali de Jure ordinario, & ideo transit ad Capitulum, Sede vacante, talis potestas, præsertim cum ea respiciat bonum animarum, quæ in discessu Episcopi non debent damnum accipere.

149 Hinc solutum remanet argumentum ex Innocentio *in cap. Cum incunctis. de Elect. n. 7.* & Abbatis *in cap. Verum. n. 9. in principio. de foro comp.* nimirum, quod Capitulum non succedit in his, quæ competunt Episcopo Jure speciali; solutum manet, inquam, quia hoc intelligitur in his, quæ competunt Episcopo Jure speciali gratioso, videlicet privilegio, aut commissione, non autem in his, quæ competunt Jure speciali ordinario; ideoque cum hæc facultas sit data Jure speciali Concilii Tridentini omnibus Episcopis ratione Jurisdictionis, & non quatenus Delegatis Sedis Apostolicæ, debet Capitulum, Sede vacante, in dicta Jurisdictione succedere.

150 Hinc ex Merolla *to. 3. disp. 7. cap. 7. dub. 1. n. 12.* Potest Capitulum, Sede vacante, dispensare in legibus Pontificiis, quando habetur necessitas, & non potest adiri Papa, quia hæc potestas est ordinaria Episcopis, cum sit perpetuò annexa Episcopatui. Præterea Abbas *in cap. Cum olim. de major. & obedient. §. Octavò dubitatur.* Concludit cũ Federico *Consil. 30.* quod Capitulum, Sede vacante, pos-

Digitized by Google

sit dispensare in casibus, in quibus permittitur Episcopo, quia dispensatio pendet a Jurisdictione, & quandoque est debita, ubicunque subest causa legitima dispensandi. Idipsum docet Silvester *v. Capitulum.*

151 Insuper ex dictis sequitur, quod possit Capitulum, Sede vacante, concedere Monitoria ad effectum revelandi res deperditas sub pœna excommunicationis, & constituere Pœnitentiarium, qui possit absolvere, &c. Denique quod possit Capitulum omnia illa, quæ Jure ordinario competunt Episcopo, & sunt in Sacris Canonibus concessa, & non revocata per Bullas sequentes, qualis est potestas absolvendi ab hæresi, & aliis similibus Criminibus in Bulla Cœnę contentis, a quibus absolvendis, quamvis ante Alexandrum VII, plures gravissimi Doctores, quos ut dixi, refert Diana *par. 1. trac. 5. resol. 2.* dixerint, quod non fuerit derogata potestas Episcopis per dictam Bullam Cœnæ; tamen post dictum Alexandrum eorum opinio non est ampliùs tenenda, cum per prohibitionem tertiæ propositionis inter damnatas die 24 Septembris 1665. a prædicto Pontifice, maneat damnata, ut docet Jacobus Illsung. *trac. 6. disp. 6. q. 6. art. 3. §. 3. n. 214.*

152 Quæritur 9. An possit Capitulum, Sede vacante, judicare de Causis pertinentibus ad Episcopum?

Respondetur ex Panormitano *in cap. Verum. de foro Comp. n. 12.* quod licèt Capitulũ succedat in Jurisdictionalibus, tamen si versatur aliqua quæstio super certo Jure, non succedit Capitulum in examine illius quæstionis, ne fortè succumbat in causa, & generetur præjudicium Ecclesiæ, vel Episcopo futuro. Si autem controvertatur de nudo exercitio Jurisdictionis, an talis v. g. deliquerit intra, vel extra Diœcesim; an contraxerit ibi, vel non: potest Capitulum cognoscere, ut videat an sua sit Jurisdictio, quia per hoc nullum præjudicium fit Ecclesiæ, vel Episcopo futuro. Ut notat Innocentius *in cap. Super literis. de rescri-*

scriptis. At verò si contenderetur super proprietate, v. g. an talis sit subditus, vel exemptus; an talis locus sit de Diœcesi, vel non; an aliquod Beneficium pertineat ad meum Episcopi Collationem, an verò sit de Jure Patronatus, & similia; non potest talis quæstio exagitari, Sede vacante, sed expectandus est Episcopus. Argumentum *Cap. Verum. de foro Compet.* & *in cap. finali. Ne Sede vacante.*

153 Quæritur 1o. An possit Capitulum, Sede vacante, visitare Diœcesim?

Respondeo certum esse, posse visitare visitatione particulari, nimirum quando occurrunt Crimina particularia, de quibus est infamia, quia hæc Visitatio est necessaria; de visitatione autem generali, quamvis Monachus *in cap. ultimo. De supplenda negligentia Prælat. in 6. n. 5.* Imola *in cap. 1. Ne Sede vacante n. 15.* & Boerius *decis. 2. n. 29.* sentiant, quod Capitulum non habet hanc potestatem; tamen videtur dicendum quod possit generaliter visitare, sicut potest Episcopus, quia cum talis potestas spectet ad Jurisdictionem Episcopi, non est cur in ea non succedat Capitulum. Atque ita docent Solorzanus *de Jure Indiar. to. 2. lib. 3. cap. 13. n. 18.* Marescotto *lib. 2. Variarum resolut. cap. 15. n. 14.* Silvester *v. Capitulum n. 3.* & alii cum Panormitano *in cap. Cum olim. de Major. & obedient. §. Quarò dubitatur.* Ubi assignat rationem hanc, quia Visitatio fit ex necessitate Juris, ut patet *in cap. Sopitæ de Censibus.*

154 Atque hinc solvitur argumentum contrariæ opinionis, scilicet, quod Capitulum sit Administrator necessarius, non voluntarius, ideoq; succedere debet in his, quæ sunt necessariò, non autem in his, quæ sunt voluntariè expedienda. Ergo cum generalis visitatio sit voluntaria Episcopo, particularis autem sit necessaria, debet posse Capitulum facere visitationem particularem, non autē generalem. Solvitur, inquam, hoc argumentum, quia fal-

falsum est, quod generalis visitatio non sit de necessitate Juris Episcopalis, cum verè sit necessaria, incumbens ex officio Habenti curam Episcopatus.

155 Confirmatur *ex cap. Ecclesiæ de supplenda negligen. Prælat. in 6.* ubi statuitur, quod Metropolitanus possit mittere Visitatorem, si Capitulum sit negligens in exequenda Jurisdictione Episcopali. ergo Capitulum habet potestatem visitandi generaliter. Si enim non haberet, non poneret negligentiam, ideoq; non posset Archiepiscopus mittere Visitatorem Ecclesiæ Cathedrali vacanti, ob negligentiam Capituli. Atque ita docet Panormitanus citatus.

156 Quæritur 11. An possit Capitulum, Sede vacante, visitare Monasteria Monialium exemptarum.

Respondeo negativè. Ratio est, quia Capitulum non succedit in his, quæ competunt Episcopo Jure delegato, sed solùm in his, quæ competunt Jure proprio, ut notat Innocentius *in cap. Ad abolendam, de hæreticis.* & Federicus *consil.* 30. & Confirmatur *ex cap. Pastoralis. §. Præterea. de officio Ordinarii.* ubi mortuo Episcopo delegato, expectatur Successor, & non recurritur ad Capitulum; sed visitare Monasterium exemptum competit Episcopo Jure delegato *in Clement. 2. de statu Monachor.* & Tridentino *sess. 21. de reform. cap.* 8. ergo in hac potestate non succedit Capitulum; atque ideo ita sustinent Merolla *to. 3. disp. 7. dub. 1. n. 50.* Garzias *de Benefic. par. 5. cap. 7. n. 45.* Barbosa *de Potest. Episc. allegat. 73. n. 25.* & alii.

157 Nec obstat, quod ait Moneta, nimirum quod Jurisdictio annexa in perpetuum Dignitati, censetur ordinaria; quia quoties Jurisdictio conceditur Episcopo cum addito *tanquam Sedis Apostolicæ Delegato* non potest censeri ordinaria, aliter illud additum [*Delegato*] nihil faceret. Potestas autem visitandi Monosteria exempta conceditur Episcopis verbis illis *tanquam Sedis Apostolicæ Delegato* a Tridentino citato.

§. DE-

Digitized by Google

§. DECIMUS SEPTIMUS.

DE REFERENDARIIS APOSTOLICIS.

158 SUb hoc cap. de Dignitatibus in particulari, agendum remanet de Referendariis, & Prothonotariis, qui Dignitatem simul cum officio dicuntur habere; & Dignitatibus prædictis, atque Canonicis in aliquibus sunt majores, ut constabit ex dicendis. In præsenti igitur Paragrapho de Referendariis, in sequenti de Prothonotariis agemus.

QUID SIT SIGNATURA GRATIÆ, ET JUSTITIÆ.

159 ROmani Pontifices volentes consulere indemnitati litigantium, duplicem Signaturam instituerunt, Gratiæ scilicet, & Justitiæ; atque ad utriusque Signaturæ ministeria deputati sunt Viri spectatæ virtutis, qui Referendarii vocantur.

160 Nomine autem Signaturæ, veniunt supplicationes, aut commissiones per summum Pontificem, aut in ejus præsentia, vel absentia signandæ ab alio Commisso. Seu Signatura est Scriptura conscripta in papyro a Papa, vel ab ejus Delegato, qui est Cardinalis Præfectus Signaturæ, absque Sigillo, in medio scripta, Partis supplicationem, Papæque concessionem breviter continens. Ita Petrus Rebuffus *in praxi Beneficiorũ de Signatura gratiæ n. 3.*

161 Dicitur Signatura, quia a Papa, vel ejus Commisso signari solet; ideoque Signatura idem est, ac scriptura signata, idest subscripta, non simpliciter, sed in medio, & statim a Partis petitione, quia postea Papa declarat, quid concedere intendit. Est absque Sigillo ad differen-

Digitized by Google

rentiam Brevis, aut Bullæ, in quibus ponitur Sigillum vocatum anulus Piscatoris, ideſt Divi Petri. Quod si supplicatio recuſetur, & non ſignetur, non dicitur Signatura. Idem Rebuffus *n.* 17.

162 Papa autem ſolet ſignare Signaturas gratiæ per *fiat*, *ut petitur*, vel per *fiat A, B. &c. Antonius, Benedictus*, *&c.* per primam literam nominis Supplicantis. Si verò ſignet Delegatus a Papa, ſignat *conceſſum ut petitur in præſentia Domini noſtri Papæ. N. N. Cardinalis.* quod ſi non fuerit in præſentia Papæ, ſignat Delegatus. *conceſſum ut petitur. N. N. Cardinalis.* Reliqua verò quo ad hoc videantur apud Rebuffum citatum.

163 Differentiæ autem inter Signaturam gratiæ, & Signaturam Juſtitiæ, variæ ſunt. Nam Signatura gratiæ ſignatur per *fiat*, a Papa, vel per ejus Cardinalem delegatum, per *conceſſum*. Signatura Juſtitiæ ſignatur per *placet*. A Cardinali Delegato ſignatur: *Placet Sanctiſſimo Domino Papæ. N. N. Cardinalis.* Videantur reliquæ differentiæ apud Rebuffum citatum *in Praxi Benefic. de Differentiis inter Reſcripta gratiæ & Juſtitiæ*.

164 Fuerunt autem Referendarii in Curia Principis illi, qui partium libellos, & ſupplicationes Principi referebant. Ut ait idem Petrus Rebuffus *de verb. ſignific. l.* 40. *in fine*. Unde bene in Curia Romana Referendarii vocantur illi, qui commiſſiones, & ſupplicationes ordinarias Juſtitiæ, ideſt de rebus pertinentibus ad juſtitiam, vel gratiæ, ideſt de rebus pertinentibus ad gratias Apoſtolicas, ut ſunt conceſſiones Beneficiorum, referunt ſummo Pontifici, & pro ipſis ſignandis aſſiſtunt, & laborant.

165 Hoc igitur eſt officium Referendariorum, nimirum libellos ſupplicatorios ſummo Pontifici oblatos accipere, & cauſas coram ipſo introducere, ſeu referre. Ita Proſper Fagnanus, & multi alii in 5. *librum Decretal. Cap. Ex parte. il ſecondo de Privileg. n.* 4. Plura ad eorum offi-

Digitized by Google

officium pertinentia habentur in Bulla Pii Quarti, quæ incipit *Cum nuper. in to. 2. Bullarii novi pag.* 84.

166 Multa sunt, quæ conceduntur Referendariis a Sede Apostolica, ut videre est in Constitutione Pauli III. quæ incipit: *Debita. to.* 1. *Bullarii novi pag.* 647. Aliqua concessit, & aliqua annullavit Sixtus V. in Constit. quę incipit. *Quemadmodũ. decimo Kal. Octobris* 1586. *t.* 2. *Bul. pag.* 543.

167 Statuit igitur Sixtus V. prædictus, ut Referendarii non sint, nisi 100. & ex his 70. sint Signaturæ gratiæ. Item ne ullus admittatur intra numerum Referendariorum Signaturæ Justitiæ, nisi sit de legitimo Matrimonio natus, & Clericus, ac utriusque, vel Juris Canonici Doctor, & in Curia Romana per biennium versatus, & in ætate 25. annorum, & quod habeat ex bonis suis, vel ex Beneficiis Ecclesiasticis, unde vivere decenter in Dignitate possit. Item quod nullus possit ascendere ad Signaturam gratiæ, nisi priùs per triennium laudabiliter fuerit versatus in Signatura Justitiæ, exceptis Auditoribus causarũ Palatii Apostolici, & Clericis Cameræ Apostolicæ, qui quovis tempore valeant ascendere ad utramque Signaturam. Denique quod super concessione Referendariatus infra tres menses, debeant expediri literæ Apostolicæ.

168 Concessit præterea quod Referendarii sint commensales, & familiares summi Pontificis, & ideo sint exempti a Jurisdictione Ordinarii loci. De hac exemptione vide plura apud Fagnanum *in lib.* 5. *Decretalium cap. Ex parte. il secondo de Privil. an.* 19. *usque ad finem.* Item, quod eo ipso habeantur tamquam viri nobiles, & possint gestare insignia Romani Pontificis unà cum armis seu insignibus propriæ familiæ.

169 Item ut possint, si sint Abbates Commendatarii alicujus Monasterii, in quo Abbates præteriti habuerunt usum mitræ, baculi, & anuli, etiam ipsi in jisdem Monasteriis uti mitrâ, & cæteris, & exercere Pontificalia. Præ-

te-

Digitized by Google

cerea concedit facultatem eligendi Confessarium approbatum ab Ordinario, qui semel in vita, & in morte plenariam indulgentiam eis concedat. Ut possint celebrare, aut facere celebrare circa auroram, etiam in locis interdictis. Denique quod gaudeant Dignitate, & taliter sunt Dignitates Referendarii, ut extra Ecclesiam Cathedralem, vel Collegiatam debeant præcedere non solùm Canonicis, verùm etiam ipsis Dignitatibus, ut declaratum esse testatur Barbosa *lib. 1. de Jur. Eccles. cap. 22. n. 16.*

§. DECIMUS OCTAVUS.

DE PROTHONOTARIIS APOSTOLICÆ SEDIS.

170 OFficium Prothonotariorum Sedis Apostolicæ ab ipsa ineunte Ecclesia fuit institutum, nimirum ad scribenda Sanctorum Martyrum gesta. Fuerunt autem hi numero septem destinati a Sancto Clemente Primo.

171 Eorum igitur officium est authentica conficere instrumenta de rebus, quæ ad Ecclesiam pertinent, & in scriniis Ecclesiæ recondere.

172 A Sixto V. in Constit. quæ incipit. *Romanus Pontifex. 16. Kalendas Octobris* 1585. *in to. 2. Bullar. novi pag.* 502. fuit ampliatum Collegium Prothonotariorum ad numerum duodenarium. Deinde idem Sixtus in alia Constit. quæ incipit. *Laudabilis nonis Februarii* 1586. *in eodem to. 2. pag.* 503. Constituit Privilegia pro supradictis Prothonotariis, qui vocantur Participantes, qui sunt de dicto Collegio, & participant de mensa Papali. Ad differentiam aliorum Prothonotariorum non participantium, idest extraordinariorum, seu ut dicuntur Titularium, aut Honorariorum; in Bullis autem Pontificiis non appellantur Protho-

thonotarii, sed Notarii, in regulis verò Cancellariæ ponitur illud nomen Prothonotarius, idest primus Notarius Sedis Apostolicæ. Utuntur prædicti Rocchetto, & Mantelleto violaceo, vel nigro.

173. Sixtus igitur prædictus in primis confirmat omnia, quæ septem antiquorum Collegio fuerunt ab aliis Pontificibus concessa, nimirum quod habeantur tanquam Prælati domestici Papæ, deinde concedit eis potestatem doctorandi, Notarios creandi, Spurios legitimandi, statuta pro Collegio Notariorum condendi.

174. Præterea concedit illis panem honoris, qui solitus est dari familiaribus Papæ, & Clericis Cameræ Apostolicæ. Item concedit ipsis vestes lugubres ratione obitus summi Pontificis, & violaceas ratione Coronationis novi Pontificis dandas esse. Item locum in Cavalcatis duobus Collegio Prothonotariorum concedit, ut eant immediatè post Barbatos assistentes. Item literæ Apostolicæ pro eis gratis expediantur, si quando obtinuerint Beneficia, vel alias gratias, & emolumenta illis assignata, nunquam diminuantur, ut possint Arma alias prohibita deferre, exceptis armis brevioris mensuræ tam ipsi, quam eorum familiares in toto fere Ecclesiastico. Ut possint testari, etiam de acquisitis ex bonis Ecclesiasticis ad valorem Ducatorum decem millium. Ut sint exempti a Jurisdictione quorumcunque Ordinariorum, vel Judicum. Ut sint soli Sedi Apostolicæ immediatè subjecti. Item locum eis assignat in Signaturis, nimirum, quod in Signaturis gratiæ semper assistere possit unus ex eis antiquior, & quod si fuerint Doctores utriusque Juris, possint adscribi numero Referendariorum utriusque Signaturæ. Ut intervenient in actibus publicis Consistorii, in quibus unus ex ipsis, vel alii ibi præsentes, si rogentur, instrumenta conficiant ad perpetuam rei memoriam. Ut in Canonizationibus Sanctorum, & in fabrica ad processum unus ex illis, una cum

uno ex Auditoribus causarum Palatii Apostolici, intervenire, & procedere debeat. Ut in Cappella Papali habeant Candelas, & Palmas ejusdem qualitatis, ac Episcopi assistentes. Ut monetas aureas solitas dari Clericis Cameræ Apostolicæ in die Coronationis Papæ habeant & ipsi Prothonotarii.

175 Denique concedit ipsis usum Pontificalium etiam in Ecclesiis Cathedralibus, sine licentia Prælatorum, si hi fuerint absentes. Si verò Prælati fuerint præsentes, de illorum licentia. Item concedit altare portatile, ut ubicunque celebrare possint; & ut si per decennium fuerint in tali officio, possint postquam resignaverint, gaudere per aliud quinquennium privilegiis Prothonotariorum. Hæc in Bulla citata Sixti V.

176 Sunt etiam alia Privilegia ab aliis Pontificibus concessa, nimirum, ut possint Prothonotarii Participantes deferre pileum nigrum cordulis violaceis circumornatum, & etiam Serico violaceo suffultum cum floccis, & ornamentis ejusdem coloris. Paulus V. *die 17. Februarii 1617.*

177 Item quod in Banco Cappellæ Papalis præcedant Sacristam in thurificatione, & receptione pacis, & quod Præceptor Sancti Spiritus, Archimandrita Messanensis, & alii Abbates mitrati post ipsos sedeant in eadem Cappella. Item quod in Ecclesiis Patriarchalibus Romæ sedeant immediatè post Episcopos supra Canonicos, quod ipsum servandum in aliis quibuscunque Cathedralibus extra Romam. Idem Paulus V. *die 4. Maii 1613.* Denique quamvis Episcopi præcedant Prothonotariis tam in Urbe, quam extra, tamen in Cappella Papali quatuor ex his, qui rogari solent, ut conficiant instrumenta de rebus ibi gestis, præcedunt Episcopis, & sedent in loco honorabiliori. Pius II. *in Constitut. quæ incipit Cum servare. in Bullario novo tomo 1. pag. 316.*

178 Sunt alii Prothonotarii non Participantes, seu ut

 dicun-

dicuntur Honorarii, qui propter dignitatem præferuntur aliis Clericis. Verum eorum Dignitas hodie propter numerum illorum excessivum, vilescit, ut ait Barbosa *lib. 1. de Jur. Eccles. cap. 23. n. 15.*

179 Horum Privilegia restricta sunt juxta varias Sacræ Rituum Congregationis declarationes. In primis utuntur Carbasina Præsulari, seu ut dicitur Rocchetto, & amiculo brevi, seu ut dicitur Mantellecto coloris violacei, vel nigri, nec possunt prohiberi deferre illum habitum in concionando, & in aliis functionibus Ecclesiasticis, & cum eo incedere loco suo juxta Ceremoniale mox citandum, ut declaratum est in quadam Mazariensi 28. *Septembris* 1630. & in quadam Catanensi 5. *Julii* 1631. quas declarationes refert Barbosa citatus *n.* 18. & Pignatelli *to. 4. cons. 22.*

180 Quod si aliquis fuerit simul Prothonotarius honorarius, & Canonicus, vel Dignitas in Cathedrali, vel Collegiata, non potest in Choro, nec in Processionibus uti habitu Prothonotarii, & non Canonici, sub pœna non lucrandi fructus, & distributiones Canonicatus. Ita plurimæ declaratum esse refert Barbosa *n.* 19. *& 20.* & Pignatelli *tom. 4. consult. 76.* Potest tamen portare Sottanam violaceam, dummodo in cæteris gerat insignia Canonicorum. Quando verò operatur non ut Canonicus, potest in illis functionibus indui insigniis Prothonotarii.

181 Quod si cum insigniis Prothonotarii fuerit in Choro, non potest habere locum, nec supra, nec inter Canonicos, sed tanquam extraneus reputari. Pignatelli *loco citato*, & juxta Ceremoniale Episcoporum *lib. 1. cap.* 13. sedere, nimirum post Abbates habentes usum mitræ, quos tamē Prothonotarii Participātes præcedūt. Locus autem talium Abbatum in Choro ex eodem *cap.* 13. *Ceremonialis* est nec supra, nec inter Canonicos, sed locus decens pro judicio, & prudentia Episcopi. Unum est notandum, quod si Prothonotarius fuerit prima Dignitas conce-

dit Pignatelli *tom. 4. cons. 183. n. 4. versu. Non est enim.* quod possit deferre habitum Prothonotarii in Stallo sui Chori; secus autem si non est prima Dignitas.

182 Hinc in Ecclesia, ubi sunt Canonici, non habet Prothonotarius locum supra illos, nec inter eos, nisi etiam ipse sit Canonicus, & utatur Insignis Canonicorum. Ubi autem non est Collegiata potest Prothonotarius sedere cum habitu Prælatitio in Presbyterio, & incedere in Processionibus post Sanctissimum Sacramentum, vel post Celebrantem.

183 Item cedere debent Prothonotarii locum Vicario Generali Episcopi, quamvis præcedant Canonicis non collegialiter incedentibus. Ita declaratum referunt idem Barbosa *à n. 22. usque ad 26.* & Pignatelli *tom. 4. consul. 88.*

184 Possunt apponere pileum super Insignibus, & vestem Dignitatem habent, sed non possunt vestiri pro Missa in Altari, sed debent in Sacristia, nec paramenta benedicere possunt. Ita declaratum refert. Idem Barbosa. *à n. 27. usque ad 33.*

185 Sunt exempti à Jurisdictione ordinaria Episcoporum, quamvis ex Tridentino *sess. 24. de reform. cap. 11.* in his, quæ spectant ad Episcopos tanquam Sedis Apostolicæ Delegatos ipsis subjiciantur. Item ad ipsos spectat Cura, & munus conficiendi examinis, seu processus in loco super Canonizationem, & gesti Sanctorum. Forma literarum, quibus prædicti Prothonotarii creantur a Collegio Prothonotariorum Participantium de mandato Sanctissimi videri potest apud Barbosam *n. 34.*

(✠) (✠) (✠)

CAPUT QUINTUM.

DE PAROCHIS.

AD primum Clericorum Ordinem pervenimus, nimirum eorum, qui curam animarum habent cum Jurisdictione. Plures gradus habet hic Ordo, quorum infimus est Parochorum, medius Abbatum, Supremus Episcoporum; ac proinde juxta nostrum morem incipimus a Parochis.

§. PRIMUS.

QUID VENIAT NOMINE PAROCHI, & quam Jurisdictionem habeat.

NOmen, *Parochus*, derivatum est *a Præbendo*, quia scilicet Parochi vocabantur, qui necessaria præbebant Regum, Populorumque legatis. Optimè datum est illis, qui Christi Fideles pascunt Sacramentis; adeoque apud nos Parochus est, qui auctoritate Episcopi præest alicui Ecclesiæ, & pabulum Sacramentorum Fidelibus subministrat. Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 12. quæst. 1.* Unde Parochia, seu Parœcia est locus certis limitibus statutus, in quo degit Populus commissus Parocho, & Fideles in eo loco habitantes dicuntur Parochiani, seu Parœciani, & Ecclesia illa, in qua munus Parochi exercetur dicitur Parochialis. Videatur Barbosa *lib. 1. Juris Ecclesiastici cap. 20. n. 1. & seq.*

2 Parochi etiam Rectores dicuntur ex Tridentino *sess. 23. de reformat. cap. 1.* & *sess. 24. cap. 12.* & *cap. 1. de Cappellis Monachorum* & *cap. Ut quisque. de Vita, & honest. Cleric.* quia regunt plebem sibi commissam cum cura animarum,

marum; unde etiam Curati vocantur, & Plebani. *cap. finali Ne Clerici, vel Monachi*. Nomen autem plebis non sumitur strictè, sed latè pro quocunque genere personarum, ideoque complectitur Nobiles, & Magnates, qui Parocho certissimè subjiciuntur in spiritualibus. Dicitur denique Parochus in *cap. Omnis utriusque. de Pœnit. & Remission.* proprius Sacerdos, quia ipse solus ex officio, & obligatione Sacramenta ministrat.

3 Hinc Jurisdictio Parochi est ordinaria in foro interno, quia competit ipsi ex munere suo Sacramentorum pabulo, & doctrinâ Parochianos suos nutrire. Dixi in foro interno, quia de Jure communi nullam Jurisdictionem in foro externo habet. Unde non potest Parochus dispensare in Præceptis Ecclesiasticis, occurrente necessitate, nisi de commissione Episcopi, qui habet talem potestatem in tali necessitate. Quod si fuerit consuetudo legitimè introducta dispensandi in prædictis casibus, utique poterit Parochus dispensare, quia Consuetudo dat Jurisdictionem *ex cap. Cum contingat. de foro compet.* nunquam tamen in votis, vel Juramentis possunt Parochi, quatenus Parochi dispensare, nec aliquem excommunicare. Pirhing. *lib. 1. tit. 31. sec. 5. n. 140. & 141.*

§. SECUNDUS.

DE QUALITATIBUS PAROCHORUM.

4 Ex Tridentino *sess. 7. de Reform. cap. 3.* habemus *Beneficia Ecclesiastica, præsertim animarum habentia Personis dignis, & habilibus, & conferantur, &c. aliter autem facta collatio, seu provisio omnino irritetur.* Ex quo varia ex variis Juribus in eligendo Parocho, ut valida sit electio, requiruntur; & quidem

5 Requiritur Primò, ut sit legitimus. *Cap. Innotuit de Elect.*

Elect. & Cap. *Ut filii de filiis Presbyterorum.* & Cap. 1. & 2. *eodem tit. in 6.* & Cap. *Nisi cum pridem. de Renunciat.* ubi dicitur, quod qui curam animarum habet, debet esse immunis a quocunque vitio corporis, & animæ, quod irregularitatem inducit. Sicut enim quisque irregularis excluditur ab Ordine, ita a Beneficio. Et similiter qui sunt excommunicati, vel suspensi sunt inhabiles ad Beneficium Parochiale. Castropalao *trac. 13. de Benefic. disp. 4. punct. 8. n. 1.*

6 Requiritur Secundò, ætas 25. annorum saltem inceptorum. *Cap. Cum in cunctis. §. Inferiora. de Elect.* & Tridentinum *sess. 24. de reform. cap. 12.* Hæc autem ætas debet haberi, non solùm tempore Possessionis, sed etiam Electionis, vel Præsentationis, imò etiam tempore Concursus, nec in tali ætate potest Episcopus dispensare. Ita Castropalao cum Pluribus, quos affert *dict. disputat. 4. de Benefic. pun. 3. n. 20.*

7 Advertо Primò cum Piphing. *lib. 1. tit. 14. n. 14.* quod prædicta ætas est necessariò requisita ipsi Parochatui per se, si verò alicui Ecclesiæ Parochialis, seu Curatæ sit unita alteri Dignitati, vel Canonicatui, ita ut ipsa Ecclesia Curata accessoriè se habeat, tunc potest ab Habente ætatem requisitam ad Canonicatum, vel Dignitatem illam, obtineri talis Ecclesia Parochialis, quamvis exercui per seipsum a tali Canonico officium Parochi non possit, sed per Vicarium.

8 Advertо Secundò, quod Dispensatus quo ad ætatem pro Sacerdotio, non potest Beneficium parochiale obtinere. Ratio est, quia ætas 25. annorum inceptorum requiritur tum pro Sacerdotio, tum pro Parochatu; sed Dispensatus propter unum titulum, non intelligitur dispensatus propter alium, ut est certum; ergo &c. Item ætas prædicta requiritur ad Parochatum non accessoriè, ratione scilicet Sacerdotii, sed per se, ratione officii requirentis ma-

maturitatem in eo, qui debet animas regere: nam non requiritur actu Sacerdotium, quando quis eligitur in Parochum; requiritur autem actu illa ætas, quando eligitur ergo non quia dispensatus est aliquis quo ad ætatem ad suscipiendum Sacerdotium, ideo dispensatus intelligitur ad Parochialem Ecclesiam obtinendam.

9 Requritur Tertiò, ut Eligendus in Parochum sit in Clericali Ordine versatus ex Tridentino *sess. 24. de reform. cap. 12.* Docent autem plures cum Castropalao *dicto trac. 13. de Benefic. disp. 4. pun. 7. n. 1.* Fagnano *in cap. Præterea. de Ætat. & qualit. &c. n. 8. in fine* quod sufficiat, ut Promovendus habeat primam Tonsuram, dummodo sit in ætate 25. annorum inceptorum, adeoque possit, sicut debet, infra annum ordinari Sacerdos, ita ut si infra annum non ordinetur, ipso Jure, absque ulla prævia monitione, & declaratione privetur Beneficio Parochiali. Ex *cap. Licet Canon.* & *cap. Commissa. de Electione in 6.*

10 Adverto Primò, quod si quis per fraudem se reddidit inhabilem ad Ordines infra annum suscipiendos, est etiam privatus Parochiâ, quia fraus nemini patrocinari debet. Si autem ex legitimo impedimento non potuit ordinari, non est privandus; quia prædicti Canones supponunt culpam, & item quia tempus a Canonibus præfixum non currit legitimè Impedito juxta *Cap. Quia diversitatem. de Concess. Præben.* Et Cap. *Quam sit. de Elect. in 6.* Legitimum autem impedimentum esset, si electus Parochus toto anno ægrotaret, aut si Episcopum non haberet, qui vellet ordinare eum. Pirhing *lib. 1. tit. 6. sect. 2. n. 84.* & sub *eodem numero ver. Notandum 2.* ubi etiam addit, quod non currit annus ei, qui pacificam possessionem non habet Beneficii.

11 Adverto Secundò, quod Parochus, qui non actu obtinet Parochialem Ecclesiam, sed in potentia, vel habitu; eo quod omnes Parochiani, vel ob Pestem, vel ob Bel-

Bellum, vel alia causa aliò migrarunt, aut mortui sunt; tunc excusatur a susceptione Ordinis infra annum, quia cessat ratio, ob quam tenetur ad Ordinem suscipiendum, nimirum ut pascat gregem. Quod si populus redierit, vel alius de novo in ea Parochia congregetur, tenebitur a die, quo grex venerit, infra annum ordinari. Ita Pirhing *lib.* 1. *tit.* 6. *n.* 81. cum Azorio *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 8. *quæst.* 9.

12 Quæritur hìc Primò, an si Parochia sit insufficiens ad congruam sustentationem Parochi, teneatur Parochus infra annum ordinari?

Respondeo, quod quamvis Pirhing citatus *n.* 84. *versu Notandum.* 2. affirmet teneri, quia aliter Ecclesia privaretur Pastore, & sibi imputare debet Parochus, quod acceptaverit tale Beneficium; tamen Garzias *de Benefic. par.* 2. *cap.* 5. *n.* 121. & alii sustinent, quod non teneatur, sed poterit curare, ut summus Pontifex declaret, eum posse illam Parochiam dimittere, ex quadam declaratione Sacræ Congregationis Concilii.

13 Quæritur Secundò, an qui sine animo suscipiendi Ordines sacros infra annum, acceptet Parochiale Beneficium, peccet mortaliter, & teneatur ad fructus restituendos?

Respondeo peccare mortaliter, quia caret voluntate adimplendi obligationem; & teneri ad fructus restituendos, ex *cap. Commissa.* §. *Cæterum. de Elect. in* 6. nisi infra annum mutaverit voluntatem, & ordinatus fuerit; tunc enim ex eodem Canone ad nullos fructus restituendos tenetur. Si verò quis cum intentione suscipiendi Ordines Parochiam acceptavit, & postea, mutatâ voluntate, non suscepit Sacerdotium, peccavit mortaliter, sed non tenetur ad fructus restituendos, nisi post elapsum annum, quo tempore amittit ipso Jure Parochiam. Ratio est, quia prædictus Canon cum sit lex pœnalis, non debet ad casum non expressum extendi. Videatur Castropalao *de Benefic. disp.* 4. *pun.* 6. *n.* 3. *& seq.*

Digitized by Google

14 Requiritur Quartò Scientia sufficiens ad Parochiale munus exercendum juxta Tridentinum *sess. 24. de Refor. cap. 12.* ibi: *Doctrina ad suum munus exequendum necessaria.* Adeo ut si quis non habeat scientiam requisitam ad docendos Parochianos, & ministranda Sacramenta, licèt Collatio Beneficii non sit ipso Jure nulla, nisi foret penitus illiteratus, ideſt nesciret latinè legere, & scribere, tamen est irritanda juxta *Cap. Quamvis. de Ætate, & Qualitate &c.* & Tridentinum *sess. 7. de reform. cap. 3.*

15 Requiritur Quintò, ut sit integræ vitæ, & morum probitate conspicuus; debet enim exemplo esse suis ovibus. Atque ideo *in cap. Cum in cunctis. de Elect.* & *cap. Grave nimis. de Præben.* & Tridentino *sess. 22. de reform. cap. 1.* in Habentibus curam Animarum probitas morum exigitur. Non est ipso Jure nulla collatio Beneficii Parochialis Criminoso, nisi crimen sit tale, ut secum trahat Censuram, aut Irregularitatem, ut videri potest apud Castropalao, *dicto trac. 13. de Benefic. disp. 4. punct. 5. per totum.* Si verò Crimen sit Simonia, est etiam ipso Jure nulla Collatio, ut dicetur suo loco. Pro modo videri potest Pirhing *lib. 1. tit. 6. sec. 2. §. 3. n. 96.*

16 Atque hæc requiruntur de Jure Communi in eo, qui est instituendus Parochus; de Jure verò peculiari aliquarum Ecclesiarum, aut ex Consuetudine, aut ex Fundatione Parochialis Beneficii, quæ requiruntur, sunt omnino servanda. Hæc autem solent esse Naturalitas, & Consanguinitas.

17 Naturalitas est, quando Fundator voluit, ut Parochus sit naturalis alicujus Provinciæ e. g. Siciliæ, aut Civitatis, e. g. Panormi. Est autem naturalis Siciliæ, vel Panormi ille, qui est Oriundus a Sicilia, vel Panormo. Oriundus verò est, si ipse, vel ejus Pater natus sit in illo loco; ita Siculus Oriundus est, qui in Sicilia natus est, vel filius est in Sicilia Nati. Est autem Oriundus Panormitanus, qui

Digitized by Google

qui Panormi natus est, aut filius est Nati Panormi. In utraque enim significatione verbum, *Oriundus a tali loco*, accipitur, ut bene probat Doctor D. Franciscus Salerno Canonicus Panormitanus *lib.* 1. *Consiliorum, sive Responsorum Juris. Consil* 2. §. 1. *n.* 1. *&* 2. qui *n.* 3. advertit, quod si Fundator Parochiæ, vel alterius Beneficii apposuerit particulam *In*, dicens detur Oriundo in Sicilia, tunc non potest dari Beneficium, nisi qui ortus est in Sicilia.

18 Præterea advertit idem Doctor *n.* 6. quod præcisè esse Natum Panormi, vel in Sicilia, aut esse filium Nati Panormi, vel in Sicilia, non facit Oriundum, seu Originarium, nisi Pater habeat ibi Domicilium; si enim quis casu Panormi nasceretur, ubi Pater Domicilium non habet, non esset Oriundus Panormi: nec esset Oriundus si Pater solùm Domicilium haberet Panormi, & non esset natus Panormi; quia solum Domicilium facit incolam, non naturalem loci. Unde utrunque requiritur ad hoc ut quis sit Oriundus, & Nativitas ejus, vel Patris, & Domicilium Patris; ita ut nec sola Nativitas propria, vel Patris, nec solum Domicilium Patris faciat Oriundum.

19 Denique advertit §. 2. *a n.* 7. *usq; ad finem*, quod si Beneficium fuerit fundatum pro Siculo, aut pro Panormitano, conferri debet Oriundis ex Sicilia, vel Panormo; non verò illis, qui fictione Juris, aut Privilegio sunt Siculi, vel Panormitani; & *n.* 54. docet, quod concurrente Nato in Sicilia, vel Panormi, cum non Nato, sed habente Patrem Natum in Sicilia, vel Panormi, debet præferri Natus.

20 Quod si in Fundatione dicatur: conferatur Beneficium *Civibus ejusdem Civitatis*, prout dicitur in Bulla Clementis VIII. pro electione Parochorum Panormitanorum; de qua Bulla scribit tractatum unicum, qui est tomus quartus suorum operum, Doctor D. Marcus Serio Panormitanus, Rector, & Beneficialis Sancti Hippolyti,

Digitized by Google

debet Beneficium conferri Natis Panormi, non verò Oriundis ex Panormo, & multò minùs Panormitanis ex Privilegio, vel fictione Juris, ut bene probat prædictus Serio *in 3. difficultate quæst. 14. n. 3. pag. 217.* apud quem videri possunt reliqua particularia requisita pro Parochis Panormitanis, quæ Illustrissimus Dominus Didacus de Aèdo Archiepiscopus Panormitanus, cui commissa fuit exequtio Bullæ prædictæ Clementis Octavi, declaravit; inter quæ est, ut non possit ab Illustrissimo Senatu præsentari, nisi Sacerdos, qui fuerit antea simpliciter approbatus ad audiendas Confessiones omnium, & per quinque menses, ut minimùm in illis audiendis se exercuerit.

21 Altera qualitas particularis, quæ in Fundatione solet exigi est Consanguinitas cum Fundatore, nimirum, ut non conferatur Beneficium; nisi suis Consanguineis. Quod si Fundator non expresserit, ut detur proximiori, poterit dari remotiori, ut docet cum Roderico, Castrop. *trac. 13. de Benefic. disp. 4. punct. 9. n. 5.* apud quem videri possunt variæ quæstiones circa hanc qualitatem Consanguinitatis.

22 Unum tantùm adverto hìc, quod supradictæ conditiones servari debent, si Naturalis, aut Consanguineus reperiatur habilis, quia omnis dispositio recipit interpretationem de habilitate. Quare deficiente Oriundo, aut Consanguineo, potest vocari Exterus, aut Extraneus.

§. TERTIUS.

DE OBLIGATIONIBUS PAROCHORUM.

PLures sunt Parochorum obligationes, quas omnes, ea brevitate, qua potero, examinare oportet, quarum prima est.

FI-

Digitized by Google

FIDEI PROFESSIO.

23 IMponitur Parochis, & quibuſcunque Beneficiariis Curatis a Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de reform. cap.* 12. per ea verba: *Proviſi de Beneficiis quibuſcunque curam animarum habentibus, tenentur a die poſſeſſionis adeptæ ad minùs infra duos menſes in manibus ipſius Epiſcopi, vel eo impedito, coram ejus Generali Vicario, ſeu Officiali Orthodoxæ ſuæ Fidei publicam facere Profeſſionem, & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros, ſpondeant, & jurent, alioquin fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur.* Notat Barboſa *de Poteſt. Epiſcop. alleg.* 61. *n.* 18. quod etiam Epiſcopo non impedito, profeſſio Fidei poſſit emitti coram Vicario Generali; ſicut, Sede Vacante, emittenda eſt non coram Capitulo, ſed coram Vicario Capitulari.

24 Tenentur ergò publicam Fidei Profeſſionem facere, & quidem per ſeipſos, non verò per Procuratorem, ut declaratum fuiſſe a Sacra Congregatione teſtatur Piaſecius *par.* 2. *cap.* 5. *art.* 3. *n.* 118. cum Navarro, *Conſilio* 11. *de Jure Jurando.* Quamvis Barboſa *n.* 20. *dicta allegatione* 61. *de Officio, & Poteſtate Epiſcopi* cum aliis ſuſtineat fieri poſſe, attento Juris rigore, per Procuratorem.

25 Neque excuſantur in foro externo ab ignorantia, eſſet enim Ignorantia Juris clari, quæ non excuſat ex Regula *Ignorantia. de Regul. Jur. in 6.* Eſto excuſentur in foro conſcientiæ a peccato, & fructuum reſtitutione, ſi ignorantia eſſet probabilis, vel occurreret aliud legitimũ impedimentum, v. g. infirmitas. Piaſecius *loco citato*. Barboſa *citatus n.* 29.

26 Pœna autem, quam incurrunt non Emittentes Fidei Profeſſionem eſt privatio fructuum, ſeu non acquiſitio dominii in illos, ideoque obligatio illos reſtituendi, ſi

quos

quos perceperunt poſt bimeſtre cõceſſum ad Fidei Profeſſionem emittendam ; a qua pœna non liberat, etiam longiſſimi temporis Poſſeſſio, ut declaravit Sacra Congregatio, de qua Barboſa *n.* 26. Inter autem hos fructus non computantur diſtributiones quotidianæ, utpote quæ acquiruntur labore, & miniſterio perſonali, ut docet cum pluribus Barboſa *dicta allegatione* 61. *n.* 30. Item ſi quis Parochus aſſerat a ſe eſſe factam Fidei Profeſſionem eſt credendus, dummodo a collatione Beneficii tranſierit decennium! Barboſa *n.* 21. cum Riccio, & aliis.

27 Sed an iſta fructuum privatio incurratur a non Emittente Fidei Profeſſionem ante ullam Judicis ſententiam, eſt dubium inter Doctores. Affirmant Azorius, Garzias, & Hugolinus apud Barboſam *n.* 28. Negant verò Navarrus, & Rodriquez, quos ſequuntur Tamburinus *lib.* 2. *in Decal. cap.* 1. §. 12. *n.* 3. Diana *par.* 5. *trac.* 14. *reſol.* 23. *v. Notandum* & Sanchez *lib.* 2. *Summæ cap.* 5. *n.* 10. eò quod Decretum illud ſit pœnale, ideoque ſemper eſt expectanda ad minus ſententia declaratoria Criminis.

28 Quibus autem ſint fructus reſtituendi a Parocho, non determinat Tridentinum. Dicendum tamen eſt cum Barboſa, & aliis, quos refert *n.* 31. impendendos eſſe, vel in uſum Pauperum, vel in fabricam Eccleſiæ, vel in bonum alterius pii loci; neque poteſt Parochus de dictis fructibus ſe componere, aut tranſigere cum Epiſcopo.

29 Advertendum primò obligationem dictam emittendi Fidei Profeſſionem eſſe gravem, adeoque ſub mortali, quia eſt res gravis, & ad graviſſimum finem ordinata, qualis eſt exaltatio, ac promotio Fidei, & errorum deteſtatio, & extirpatio. Quamvis Tamburinus *loco citato n.* 4. putat non improbabile, dictum Decretum Concilii Tridentini, utpote pœnale, tãtummodo obligare ad ſubeundam pœnã.

30 Advertendum ſecundò Bimeſtre a Concilio Tridentino aſſignatum non eſſe ad finiendam obligationem, ſed

Digitized by Google

sed ad illam exequendam, & ideo si quis intrà bimestre illam omiserit, tenetur quamprimum potest, illam facere. Barbosa *n.* 22. cum aliis.

31 Advertendum tertiò, quod si quis amiserit Beneficium, & postea illud recuperet, vel novum acquirat Beneficium curatum; tenetur iterum infra bimestre fidei Professionem emittere. Barbosa *n.* 8. cum Hugolino, Azorio, & aliis. Esto hanc obligationem non agnoscat Tamburinus *n.* 6.

32 Advertendum quartò, quod si Parochia careat Parochianis, Parochus, utpote non exercens curam animarum, non obligatur Fidei Professionem emittere, quia tunc Beneficium illud censetur simplex, cui non annectitur prædicta obligatio.

CURARE, UT PUERI ADDISCANT FIDEI RUDIMENTA.

33 SEcunda obligatio Parochi est curare, ut pueri doceantur Fidei mysteria, & ideo singulis saltem Dominicis, & Festis solemnibus tenetur doctrinam christianam docere. Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de reform. cap.* 4. *in fine*. Concilium Moguntinum *cap.* 45. Pius Quintus in Bulla, quæ incipit. *Ex debito Pastoralis officii*. Hanc obligationem esse sub mortali docent Barbosa *de officio Parochi cap.* 15. *n.* 2. Pirhing. *lib.* 1. *tit.* 31. *sec.* 5. §. 4. *n.* 153. & alii. Unde si Parochus est notabiliter negligens, peccat mortaliter.

PRÆDICARE VERBUM DEI SUIS OVIBUS.

34 TEnetur etiam Parochus, vel per se, vel per alium, si ipse fuerit legitimè impeditus, prædi-

dicare verbum Dei ſuis ovibus diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, in Adventu, & Quadrageſima. Tridentinum *ſeſſ. 5. de reform. cap. 2. & ſeſſ. 24. cap. 4. de Reformat.*

35 Reliqui Sacerdotes, ſive Regulares, ſive Sæculares, nō poſſunt ſine licentia Parochi in Eccleſiis Parochialibus prædicare: imò Jure novo prærequitur licentia, & conſenſus Epiſcopi. Tridentinum *locis citatis.* Concedunt tamen Pirhing, & Hugolinus, quod poſſit Parochus alicui jam aliàs approbato ab Epiſcopo ad prædicandum, qui hic & nunc non eſt Epiſcopo præſentatus, dare licentiam ſemel, vel bis prædicandi in ſua Parochia. Idem docent Henriquez *in ſumma lib. 7. cap. 16. prope finem.* & *cap. 28. §. 8. verſ. Parochus.* Fragoſus *par. 2. lib. 10. diſp. 21. §. 1. n. 12.* & alii.

SACRIFICARE DIEBUS FESTIVIS.

36 TEnetur Parochus ſive per ſe, ſive per alium in propria Eccleſia diebus Dominicis, & Feſtivis celebrare Miſſam, cui Parochiani interſint, ut ſatisfaciant præcepto. Tridentinum *ſeſſ. 23. de reform. cap. 14.* Azorius *par. 1. Inſtit. moral. lib. 10. cap. 24. q. 2. & 3.* Fragoſus citatus *n. 17.* Pirhing §. 2. *n. 142. lib. 1. tit. 31.*

37 Notādum non poſſe Parochum obligare Parochianos, ut Miſſam audiant in Parochia diebus feſtis, quia conſuetudine abrogatum eſt præceptum, quod Jure communi videbatur eſſe, de audienda Miſſa in Parochia propria. Præterea cum Regularibus conceſſa ſint a Sede Apoſtolica privilegia, quibus Chriſti Fideles ſatisfaciant præcepto de audienda Miſſa, ſi illam in eorum Eccleſiis audiant ſine conſenſu propriorum Parochorum; non poſſunt Parochiani cogi ad audiēdam Miſſam in propria Parochia. Ita Guttierrez *Canonicarum quæſt. cap. 30. a n. 7. lib. 1.* Suarez *to. 3. in tertiam partem diſp. 87. ſec. 2. concl. 1.* Azorius, Hen-

Digitized by Google

Henriquez, & alii, quos sequitur Fragosus supra citatus n. 15. Hinc est quod Fideles his temporibus in quocunque loco audiant Sacrum, satisfaciunt præcepto. Zerola *in praxi Episcop. par.* 1. *v. Missa ad 6. quæst.*

38 Quæres an teneantur Parochi applicare Missam diebus festivis pro Populo, seu suis Parochianis?

Respondeo, quod Zerola *in praxi par.* 1. *v. Parochia ad* 3. ubi obligationes Parochorum numerat, & ponit hanc, nimirum, pro ovibus suis Sacrificium offerre, ut constat ex Tridentino *sess.* 23. *de reform. cap.* 1. non declarat num omnibus festis, an verò aliquibus.

39 Dicendum, quod non teneatur omnibus diebus festis Missam applicare Parochus pro suis ovibus, nisi habeatur talis consuetudo, quia nullo Jure id præcipitur, sed solùm tenetur aliquibus festis secundùm Prudentum arbitrium; ita Suarez *in 3. par. to. 3. disp. 86. sec. 1. ver. de Beneficiis igitur. in fine.* & Filliucius *to.* 1. *trac.* 5. *cap.* 6. *n.* 174. Quotnam autem sint isti dies festi, in quibus arbitrio Prudentum teneatur, invenio esse tertiam partem omnium dierum festorum, ita ut si Festa fuerint saxaginta, teneatur diebus 20. applicare Missam pro Parochianis. Verùm Thomas Tamburinus *lib.* 2. *de Sacrificio Missæ cap.* 2. §. 16. *n.* 4. ait non adesse talem obligationem in Parocho applicandi Missam pro ovibus suis ex vi Tridentini, cum satis sit si universaliter oret pro eis in Sacrificio. Idem dicit Diana *par.* 2. *trac.* 14. *resol.* 26. cum aliis.

40 Notandum, quod hanc obligationem non habet Vicarius ad nutum, quia non est Beneficiatus, sed Stipendiarius ex contractu obligatus ad Sacramenta ministranda, & sacrificandum diebus festivis, ut populus Missam audiat. Ita *decis.* 2. *Rotæ in novis de Excessibus Prælatorum fol.* 270.

Bayerische Staatsbibliothek München
Digitized by Google

SACRAMENTA MINISTRARE, ET PRIMO QUO AD EUCHARISTIAM.

41 SAcramentum Euchariſtiæ, licèt quilibet Sacerdos miniſtrare poſſit, quia quilibet eſt ordinarius miniſter. *Can. Pervenit ad notitiam. de Conſec. diſt. 2.* tamen licitè non poteſt miniſtrare, niſi qui eſt Paſtor, ut Papa, Epiſcopus, & Parochus, aut qui delegatam habet facultatem ad illud miniſtrandum; quia ad Paſtorem pertinet paſcere oves. Dare autem poteſt Parochus cuicunque ſimplici Sacerdoti, ſive Sæculari, ſive Regulari licentiam miniſtrandi Euchariſtiam, quia ad hanc miniſtrandam non requiritur Jurisdictio, & Scientia, ſicut ad pœnitentiæ Sacramentum, ſed ſola facultas diſtribuendi in ſua Parochia.

42 In aliis autem Eccleſiis, exceptâ communione Paſchali, & eâ, quæ fit per modum Viatici in mortis articulo, poſſunt Fideles Euchariſtiam licitè percipere; nam ſi ſunt Eccleſiæ Regularium, habent hi privilegia miniſtrandi Euchariſtiam in ſuis Eccleſiis; ſi ſunt non Regularium, præſumitur licentia generalis Parochorum, ſaltem ex ipſo uſu, & conſuetudine. In Paſchate autem talis licentia non præſumitur, ſed debet peti. Quod ſi in Cathedrali Eccleſia ſuſcipiatur Communio in Paſchate, non requiritur licentia proprii Parochi, quia Epiſcopus concurrit cum quolibet Curato, in ſua Diœceſi. Abbas *in cap. Cum ſuper. de Sepulturis n. 9.*

SECUNDO QUO AD SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

43 AD hoc Sacramentum miniſtrandum tenetur ex officio Parochus, qui habet Jurisdictionem ordinariam reſpectu ſuorum Parochianorum, hoc ipſo, quod

Digitized by Google

quod obtinet Beneficium Parochiale sine alia approbatione Episcopi. Colligitur ex Tridentino *sess.* 23. *de reform. cap.* 15. Hos autem absolvere potest, etiam extra propriam Parochiam; quia actus Jurisdictionis voluntariæ, qualis est absolutio Sacramentalis, quæ fit sine strepitu judiciali, potest in alieno Territorio exerceri. Argumentum *l.* 2. *ff. de officio Proconsul. & Legat.* Atque ita docent Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *disp.* 34. *n.* 1. Hostiensis *in summa tit. de Pœnitentiis, & Remiss.* §. *cui confitendum. n.* 14. *ver. Et nunquid extra Territorium*, & alii plures.

44 Alienorum autem Parochianorum sine consensu tacito, vel expresso proprii illorum Parochi, non potest Confessiones audire, etiam intra propriam Parochiam. Tridentinum *sess.* 14. *de Reform. cap.* 7. & ratio est, quia actus judicialis, qualis est absolutio Sacramentalis, exerceri non potest in illum, in quem non habetur Jurisdictio ordinaria, vel delegata. Sufficit tamen consensus tacitus, nimirum quod sciente, & tolerante Parocho proprio, absolvatur Parochianus ab alieno Parocho, nec debent talem licentiam Parochi denegare subditis petentibus cum aliis confiteri. Hugolinus *de offic. Episcop. cap.* 19. §. 8. *n.* 2. Azorius *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 12. *q.* 10. Pirhing *lib.* 1. *tit.* 31. *sec.* 5. *n.* 147.

45 Hæc obligatio audiendi Confessiones Subditorum est in Parocho, non solùm tempore, quo subditi tenentur confiteri ex præcepto, verùm etiam quocunque anni tempore. Ita Hugolinus, Layman, & Pirhing *loco citato.* Ratio est, quia non potest ipse subtrahere ea, quæ spectant ad bonum spirituale Subditorum, præsertim cum supradictæ obligationes, nimirum prædicandi verbum Dei suis ovibus, & illas pascendi Sacramentorum administratione, sicut, & pro illis Sacrificium offerre, sint ex mandato divino, ut ait Tridentinum *sess.* 23. *de reformat. cap.* 1.

46 Notandum, quod quia Regulares habent privile-

Digitized by Google

gium a Sede Apostolica audiendi Confessiones Christi Fidelium, si fuerint ab Ordinario loci approbati, juxta formam Concilii Tridentini, sequitur ex hoc, quod omnes Christi Fideles sine licentia suorum Parochorum, possunt cum Regularibus confiteri quovis anni tempore, etiam Paschali. Rodriquez *to. 1. quæstion. Regular. quæ. 60. artic. 4.* & constat ex Bulla Pauli III. quæ incipit: *Licèt debitum. §. 28.* nostræ Societati concessa *anno 1549. die 18. Octobris.*

47 Præterea sicut Confessio annua potest fieri Parocho, vel Episcopo, vel alteri Sacerdoti delegato ab Episcopo, ita & Regularibus, qui sunt Delegati Papæ. Nam sicut Parochus est Pastor in sua Parochia, & Episcopus in tota Diœcesi. *Cap. Inter cætera. de officio Ordinarii.* Et *cap. Cum Episcopus. in 6. eodem titulo.* Ita & Papa est Pastor totius Orbis, & Ordinarius Ordinariorum. *Can. Cuncta. & Can. ultimo 9. quæst. 3.* ergo quando Confessio fit cum Regularibus, jam fit cum Delegatis ab Ordinario, & ideo non officit *Cap. Omnis utriusque. de Pœnit. & remission.* nam ut ait Gonzalez Tellez *lib. 5. Decretalium tit. 38. de pœnit. & remiss. in notis ad dictum Cap. Omnis utriusque sexus*; ubi præcipitur Confessio proprio Sacerdoti: *Hodie post privilegium Bullæ, & ampla privilegia Regularibus concessa, Parochus pro Confessionibus audiendis, ferè negligitur.*

48 Denique non potest Parochus dare licentiam simplici Sacerdoti audiendi Confessiones suorum Parochianorum; quia ex Concilio Tridentino *sess. 23. de Reformat. cap. 15.* nemo potest audire Confessiones sine approbatione Episcopi. Et quamvis aliqui, quos refert Diana *p. 3. tract. 4. resol. 146.* affirmaverint, quod Parocho non sit a Concilio ablata potestas delegandi suam ordinariam Jurisdictionem, tamen habetur declaratio Cardinalium interpretum Concilii, quam affert Petrus Fay *in additione ad 3. par. quæst. 8. art. 5. disp. 1.* quæ ait, Parochos non habere hanc potestatem post Concilium. Atque hæc declaratio

est

est valde conformis textui ipsius Concilii, quod privativè dicit, quod non audiant Confessiones, nisi qui sint approbati ab Episcopo, aut Beneficium Parochiale sint adepti. ergo qui non est approbatus ab Episcopo, aut non est Parochus, non potest Confessiones audire.

49 Præterea voluit Concilium tollere abusum aliquorum Parochorum, qui ut se darent otio, exponebant quoscunque Sacerdotes ad audiendas Parochianorum Confessiones. Atque ideo ita docent Diana citatus, Villalobos in summa *to.* 1. *trac.* 9. *difficultate* 49. *n.* 9. Sancius *in selectis disp.* 48. *n.* 51. Fagundez *præceptor. lib.* 7. *n.* 42. & alii communiter, qui notant, quod bene possit Parochus alium Parochum in sua Parochia exponere ad audiendas Confessiones suorum Parochianorum: & quod omnis Parochus sit eligibilis per Bullam, aut Jubilæum per totum Mundum sine approbatione Episcopi; quod etiam docent Filliucius, Suarez, Toletus, quos refert ipse Diana *loco citato.* Verùm hodie non videtur posse sustineri talis doctrina, stante Decreto Innocentii XII. *die* 19. *Aprilis* 1700. prohibentis virtute Bullæ audiri Cõfessiones a non Approbatis ab Ordinario loci, in quo Pœnitentes degunt.

TERTIO QUO AD SACRAMENTUM BAPTISMI.

50 BAptismi Sacramentum solus Parochus ministrare potest suis Subditis, quamvis cum ejus licentia expressa, vel rationabiliter præsumpta possit alienus Sacerdos etiam Regularis solemniter baptizare; ut colligitur ex *Can. Interdicimus.* 19. *quæs.* 1. & docent Hugolinus *de Offic. Episcop. cap.* 15. §. 6. *n.* 7. & Pirhing *lib.* 1. *tit.* 31. *n.* 151. In casu autem necessitatis extremæ etiam Laicus quisque baptizare potest. *Can. Diaconos. Distinct.* 93. & *Can. Constat Baptisma. de Consecr. dist.* 4.

51 Quod

Digitized by Google

51 Quod si Parochus non fuerit Sacerdos, non potest Baptismum solemniter ministrare, quia potestas baptizandi Jure ordinario solis Sacerdotibus convenit. *dicto Can. Constat de Consecr.* In tali autem casu potest Sacerdoti delegare Parochus hanc potestatem solemniter baptizandi. *Pirhing. lib. 1. tit. 31. sec. 1. n. 151. in fine.*

QUARTO QUO AD SACRAMENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS.

52 RAtione sui officii tenetur Parochus extremam unctionem graviter Infirmis ministrare, ita ut, si differat cum probabili periculo ne Infirmus interim moriatur, graviter peccet, ut docet Silvester *v. Unctio extrema. quæs.* 4. Layman *lib. 5. tract. 8. cap. 7. n. 3.* & alii communiter. Hinc alienus Parochus, vel alius Sacerdos non potest sine licentia Parochi proprii licitè ministrare hoc Sacramentum, quia nullus alienum officium, & Jurisdictionem sibi usurpare potest.

QUINTO QUO AD SACRAMENTUM MATRIMONII, ET DENUNCIATIONES.

53 NON potest licitè, nec validè Matrimonium celebrari, nisi proprio assistente Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia. Trident. *Sess. 24. de Refor. Matrim. cap. 1.* Ideoque tenetur Parochus Suorum Matrimoniis interesse.

54 Tenetur etiam ex eodem Tridentino Matrimoniorum denunciationes facere tribus diebus continuis festivis, qui ex aliquorum opinione possunt esse contigui, v. g. tribus diebus Paschatis. Ex aliorum autem debent esse interrupti, ita ut inter unam, & aliam denunciationem intercedant duo saltem dies. Tenetur Parochus ad has denun-

Digitized by Google

nunciationes sub gravi. Ratio est, quia hæc lex Tridentini est præceptiva, ait enim *Præcipit Sancta Synodus.* & est in materia valde gravi, cum sit statuta ad vitanda mala. ergo obligat sub gravi. Atque ita docent Sanchez *de Matrim. lib. 3. disp. 5. n. 6.* cum undecim Jurisperitis,& duodecim Theologis, quos citat, quibus additur Leander *trac. 9. de Matrim. quæs. 46.* cum aliis ab eo relatis.

55 Excusat tamen idem Sanchez cum aliis *n.* 7. a mortali Parochum amittentem unam ex tribus denunciationibus, quoties certum moraliter est, nullum haberi impedimentum inter Contrahentes; alii autem non excusant. Sunt hic plura discutienda. Ideo sit.

QUÆSTIO PRIMA.

AN DENUNCIATIONES DEBEANT FIERI AB UTROque Parocho, quoties Contrahentes sunt diversarum Parochiarum?

56 REspondeo ab utroque. Ratio est, quia Concilium Tridentinum dicit faciendas esse à Parocho proprio: ergo uterq; Parochus, quando Contrahentes sunt diversæ Parochiæ, eas facere debet. Secundò, finis harum denunciationum est, ut detegantur impedimenta à scientibus, sed in Parochia Viri, non possunt sciri impedimenta Mulieris, nec Viri, in Parochia Mulieris. ergo &c. Atque ita docent Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 6. n.* 4. Segura, qui ait sic declaratum esse a Cardinalibus 2. *part. direct. Judicum. cap. 16. n.* 19. Gonzalez Tellez *in lib. 4. Decretal. tit. 3. de Clandest. desponsa. n.* 7. ubi sic: *debent fieri Denunciationes illæ in Parochiis utriusque Contrahentis, quod vulgò receptum est.*

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO SECUNDA.

AN POSSIT PAROCHUS DARE ALTERI facultatem faciendi denunciationes?

57 REspondeo posse. Ratio est, quia Tridentinum concedit Parochum posse dare licentiam alteri Sacerdoti, ut assistat Matrimonio; ergo a fortiori poterit dare licentiam alteri faciendi denunciationes. Cui enim licet quod est plus, licet quod est minus. *Regula Cui licet. de Regul. Juris in 6.* accedit praxis, nam de mandato Parochi, Æditui faciunt denunciationes. Ita Sanchez *loco cit. n. 5.* Leander *cit. quæst. 54.* & alii communiter.

QUÆSTIO TERTIA.

AN DEBEAT PAROCHUS NECESSARIO DIEBUS festivis, & inter Missarum solemnia facere denunciationes?

58 REspondeo non necessariò; sed posse in aliquo casu fieri denunciationes extra Ecclesiam, & consequenter non in Missa, & in die feriato. Casus esset, quando ille dies, licèt non sit festivus, est tamen talis, ut magnus populi concursus habeatur in Ecclesia Parochiali, vel extra Ecclesiam ratione alicujus Concionatoris celebris extra Ecclesiam concionantis. Ratio est, quia finis Tridentini dum vult in Ecclesia, & inter Missarum solemnia fieri denunciatiationes, est, ut ad multorum notitiam perveniat Matrimonium faciendum, & ita faciliùs detegantur impedimenta. ergo si in Ecclesia die non festo, aut extra Ecclesiam, habeatur magnus populi concursus, jam obtinetur finis. Ita docet Sanchez *loco ctt. n. 9. & 10.* afferens Ho-

Digitized by Google

Hoſtienſem, Andream, Ancharanum, Abbatem, Alexandrum de Nævo,& alios.Item Poſſevinus *de Offic.Curati.cap.* 10.*n.*12. & Gonzalez Tellez citatus concedunt denunciationes poſſe fieri diebus feriatis,quando diſpenſat Epiſcopus, vel habetur magnus concurſus. Denique idipſum docet Barboſa *in Tridentinum ſeſſ.*24.*cap.*1. *n.*21. aliique plures adducti a Leandro citato *trac.*9.*de Matrim.diſp.*7.*q.*50.

QUÆSTIO QUARTA

AN POSSIT PAROCHUS DISPENSARE IN DENUNCIATIONIBUS faciendis, an verò hoc ſit ſolius Epiſcopi?

59 REſpondeo certum eſſe, quod poſſit Epiſcopus diſpenſare, & facere, ut Matrimonium ſine præviis denunciationibus celebretur.Habetur in dicto *cap.* 1.*Tridentini*, & docent Zipæus *de Jure Pontificio quæſt.*3.& 4.Gonzalez Tellez *dicto n.*7. Sanchez *lib.*3.*de Matrim. diſ.* 7.*n.*3. & alii. Hanc poteſtatem Epiſcopi extendunt ad Vicarium Generalem, & ad quemvis alium Juriſdictionem Epiſcopalem habentem, ut ſunt Abbates nulli Diœceſano ſubditi, habentes Territorium proprium; non autem ad Vicarium Foraneum: quia veniunt nomine Ordinarii, tam prædicti Abbates, quàm Vicarius Generalis; Vicarius autem Foraneus eſt ſolùm Delegatus ad aliquas cauſas, non autem venit nomine Ordinarii. Sanchez *n.* 4.6. & 12.Barboſa *de Officio Parochi cap.* 11. *n.* 50. & *de Jure Eccleſ. lib.*1. *cap.* 17. *n.* 97.

60 Refert tamen Leander *quæſt.*59. *tract.*9.*de Matrim. diſ.* 7. *citatâ*, quandam declarationem Gregorii XIII. in qua dicitur *Solos Epiſcopos poſſe diſpenſare in denunciationibus Matrimonialibus, non autem Abbates.* & *quæſt.*57. refert aliam declarationem, in qua dicitur, quod neque Vicarius

Digitized by Google

Generalis ſine ſpeciali mandato poſſit diſpenſare. Quare ſtandum eſt praxi, illique attendendum.

61 Item ex ſententia ipſius Barboſæ, Sanchez, & aliorum poteſt Epiſcopus delegare poteſtatem diſpenſandi in denunciationibus. Similiter qui poteſt in illis diſpenſare, poteſt etiam breviare tempus, vel prolongare, quia qui poteſt plus, poteſt & minus.

62 Requiritur autem juſta cauſa diſpenſandi, quâ non poſitâ, peccat mortaliter Epiſcopus ſi diſpenſet. Gonzalez Tellez *tit.* 3. *de Clandeſtina deſpenſat. n.* 7. *citato.* Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſ.* 8. *n.* 2. *& alii.* Cauſæ autem juſtæ ſunt, ſcandalum, aut infamia, ſeu cum revalidatur Matrimonium, quod fuit nullum. Item articulus mortis; timor, ne impediatur Matrimonium: propinquitas temporis, quibus nuptiæ prohibentur. Denique ſi nuptiæ ſint Principum, & Magnatum; aut alia, quæ arbitrio Ordinarii, judicatur cauſa juſta. In his caſibus tenetur Epiſcopus diſpenſare. Quod ſi non habeatur Epiſcopus, poterit in dictis caſibus Matrimonium ſine denunciationibus celebrari. Ita idem Gonzalez *n.* 7. Baſilius *lib.* 5. *de Matrim. cap.* 32. & alii. Tandem ſi datur diſpenſatio in denunciationibus cum uno ex contrahentibus, creditur data cum alio, etiamſi ſit diverſæ Parochiæ. Barboſa *de Poteſt. Epiſc. alleg.* 32. *n.* 35. dictus Gonzalez *n.* 7.

63 Reſpondeo ſecundò, Parochum non poſſe in denunciationibus diſpenſare. Ratio eſt, quia Tridentinum Ordinario tribuit hanc poteſtatem. ergo non Parocho. Atque ideo ita docent Gonzalez dicto *n.* 7. Sanchez *diſ.* 7. *n.* 17. Leander *loco citato quæſt.* 67. Accedit declaratio Cardinalium, quam ex Farinaceo affert Leander, & præterea conſtat ex deciſ. Rotæ Romanæ 117. apud ipſum Farinaceum *part.* 2. *pag.* 123.

64 Nec obſtat, quod in caſu, quo prudenter timetur malitioſum impedimentum, nimirum quod aliqui ſint per ma-

Digitized by Google

malitiam impedituri Matrimonium illud, possit Parochus ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *cit. cap.* 1. conjungere Conjuges non præmissis denunciationibus; non obstat, inquam, quia in dicto textu dicitur, quod ante consummationem fiant denunciationes, nisi Ordinarius judicaverit expedire, ut dictæ denunciationes remittantur. ergo tunc non dispensat Parochus, sed Ordinario datur facultas dispensandi in denunciationibus ante consummationem Matrimonii, & Parocho datur potestas illos conjungendi ante denunciationes, cum obligatione deinde eas faciendi ante consummationem.

QUÆSTIO QUINTA.

AN PAROCHUS NON SACERDOS, AUT EXcommunicatus, Suspensus, aut Interdictus possit assistere Matrimonio, vel dare licentiam assistendi alteri Sacerdoti?

65 REspondeo ad primum, non esse necessarium, quod Parochus sit Sacerdos, ut validè assistat Matrimonio. Probatur, quia Parochus non Sacerdos exercere potest omnia, quæ non dependent a potestate Ordinis. Et colligitur *ex Cap. Suffraganeus. & Cap. Transmissam. de Elect.* ubi probatur, Episcopum non consecratum posse omnia munia obire, quæ ab Ordine non dependent: sed intereſſe Matrimonio non est actus Ordinis. ergo &c. Atque ita Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 20. *n.* 3. Gonzalez Tellez *lib.* 4. *tit.* 3. *de Clandest. desponsat. n.* 8. & alii apud ipsos.

66 Dices Concilium ait *Parocho præsente, vel alio Sacerdote de ejus licentia*, sed *tò* alius, repetit qualitatem præcedentem, cujus est persona expressa. ut constat *ex l. Si fugitivi.* ibi: *Aliâ pœnâ. C. de servis fugitivis.* junctâ Glossâ,

Digitized by Google

quæ ait, *aliâ pœnâ, scilicet simili.* ergo importatur, quod Parochus sit Sacerdos.

67 Respondeo dictionem, *alius*, sæpe non esse repetitivam, sed referri ad personam alterius qualitatis ab ea, quæ exprimitur. Ita notavit Glossa *Can. Deinde. dist. 26. v. Cum cæteris.* & Cap. *Sedes. de Rescriptis. v. Majores.* Item Glossa in *l. Non solùm. §. Quæritur. ff. de Procurat. v. Creditores.* ait dictionem *alius* impropriè sæpe poni, quia non semper refert eandem qualitatem, & probatur ex illo Matth. 18. & Marci 15. ubi de Christo Domino dicitur *Cum eo Crucifixi sunt alii duo latrones*, & tamen Christus Dominus non erat latro. & ex *Can. Novatianus. 7. quæst. 1.* ubi dicitur *alios Pseudoëpiscopos.* & tamen Episcopi, de quibus ante loquitur textus, supponuntur veri Episcopi.

68 Sed petes: An licitè Parochus non Sacerdos assistat Matrimonio, videtur enim quod peccat benedicendo Sponsos illis verbis: *Ego vos conjungo in nomine Patris &c.* dum non est Sacerdos: & item, quia exponit Sacramentum periculo nullitatis, cum probabile sit, quod sit nullum in tali casu.

69 Respondeo cum Sanchez *n. 4. versu. Verùm.* quod non peccat, quia nullum inconveniens videtur in prolatione illorum verborum a non Sacerdote, habente tamen officium Parochi; neque peccat, quia exponit Sacramentum Matrimonii periculo nullitatis, quamvis probabile sit, quod Matrimonium illud sit nullum, ut docent plures, quos refert ipse Sanchez *n.* 2. qui volunt ad validitatem Matrimonii requiri præsentiam Sacerdotis, qui sit ipse Parochus, sive alius de ejus licentia. Ratio est, quia hæc nullitas Matrimonii cum pendeat a solo Jure humano Tridentini, eo ipso quod Parochus operatur ex opinione probabili, imò probabiliori aliorum, qui existimant Matrimonium esse validum, assistente Parocho non Sacerdote, jam certus est valor Sacramenti, quia certò suppletur ab

Ec-

Digitized by Google

Ecclesia. Quando autem periculum nullitatis non pendet à Jure humano, prout est, quando agitur de materia, & forma Sacramentorum præscriptis a Christo Domino, non potest Minister, relictâ opinione tutiori, sequi probabilem ex Decreto Innocentii XI. Videatur Cardenas *dissert.* 2. *cap.* 8. *art.* 3. *& seq.*

70 Respondeo ad secundam partem quæstionis, dicendo, quod Parochus excommunicatus, suspensus, aut interdictus, aut irregularis, etiamsi sit non toleratus, idest vitandus, validè assistit Matrimonio. Ratio est, quia assistentia Matrimonio non est propriè actus Jurisdictionis, sed authoritatis præsentialis. ergo Matrimonium tenet, & validè fit ab Excommunicato non tolerato. Dixi non tolerato, quia actus Jurisdictionis ab Excommunicato tolerato, sunt validi ex Concilio Constantiensi. Probo antecedens: nullus actus, sive Ordinis, sive Jurisdictionis potest fieri a Nolente, aut Habente contrariam intentionem; quia actus non operatur ultra intentionem Agentium. *Initio legis. Non omnis numeratio. ff. de rebus creditis.* Sed præsentia Parochi contrariam habentis intentionem, & inviti, sufficit ad valorem Sacramenti, ut docent cum Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. dis.* 39. Fagnanus *in Cap. Quod nobis. de Clandest. despons. n.*48. Gonzalez Tellez *n.*8. & alii apud ipsos. ergo dicta præsentia non est propriè actus Jurisdictionis. Atque ideo ita docent Sanchez *lib.* 3. *disp.* 21. *n.*4. Navarrus *lib.* 4. *Consilior. tit. de Sponsalibus. consil.* 47. *n.*6. *ad* 1. & *tit. de Clandest. despons. consil.* 14. *n.*6. Gonzalez *supra citatus*, & alii.

71 Dices: hæc assistentia appellatur actus Jurisdictionis voluntariæ. Præterea cum non sit actus Ordinis, & fiat a Parocho, ut Parocho, necesse est quod sit Jurisdictionis, præsertim cum possit dare alteri Sacerdoti licentiam assistendi.

72 Respondeo cum eodem Sanchez *n.* 5. quod appel-

la-

latur actus Jurisdictionis voluntariæ, non quia sit propriè actus Jurisdictionis, sed prout non est Contentiosæ; atque ideo nihil aliud Doctores intendunt dicere, nisi quod non sit actus Jurisdictionis Cõtentiosæ. Ad id quod addebatur, nimirum hunc esse actum Parochi, ut Parochi, dico non esse actum Parochi formaliter, sed in quantum est testis legitimus Matrimonii, & simul habet facultatem substituendi; unde, etiam si sit excommunicatus assistere potest, & dare licentiam alteri Sacerdoti, sicut qui habet mandatum ad contrahendum nomine alterius, & simul potestatem substituendi, illa substitutio non est actus Jurisdictionis, sed potestatis substituendi, & validè ab excommunicato non tolerato fit talis substitutio. Atque ideo quod Parochus excommunicatus, suspensus, & interdictus, & irregularis possit dare licentiam alteri Sacerdoti assistendi Nuptiis, docent præter Sanchez, Gonzalez Tellez *n. 9.* Barbosa *de offic. Paroch. cap.* 10. *n.* 61. & alii ab ipso relati.

73 Præterea Parochus excommunicatus non toleratus, quamvis sit privatus administratione Sacramentorum, & ideo sicut ipse ministrare non potest, ita nec alteri dare licentiam ministrandi, tamen non est privatus potestate assistendi Matrimonio, & ideo nec privatus potestate substituendi.

74 Quod autem non sit privatus potestate assistendi, probatur, quia dum non est Parochiâ privatus, manet in possessione, ideoque est verus Parochus; sed nihil aliud requiritur, ut Matrimonium sit validum, nisi quod assistat Parochus. ergo &c. Atque ita docent Salzedo *cap.* 73. §. 11. Henriquez *lib.* 11. *de Matrim. cap.* 3. *n.* 4. & 5. Petrus Ledesma *de Matrim. quæst.* 45. *art.* 5. *pun.* 3. *dub.* 3. *in fine.* & alii. Unde est, quod non solùm si sit interdictus administratione Sacramentorum, sed etiam si sit interdictus, ne Matrimoniis assistat, adhuc validè assistit, quia adhuc est verè Parochus, & titulum Parochi retinet. Atque ita de-

ci-

Digitized by Google

cisum est a Rota Romana *to.* 1. *decisione* 429. & 570. & ita docet idem Gonzalez *n.* 8. *citato.*

QUÆSTIO SEXTA.

QUINAM SIT PAROCHUS PROPRIUS, CUI DE Jure competat assistere Matrimoniis?

75 Respondeo esse Parochum, utriuslibet Contrahentis, idest aut Viri, aut Fœminæ; unde volentibus contrahere duobus existentibus in diversis Parochiis, potest Parochus alteruter assistere. Probatur quia Concilium Tridentinum exigit Parochi præsentiam, non Parochorum. ergo non requiritur uterque Parochus, sed sufficit unus ex illis. Atque ita docent plures, quos refert, & sequitur Leander *disp.* 7. *de Matrim. trac.* 9. *quæst.* 14. ex declaratione Cardinalium approbata a Gregorio XIII.

76 Petes: an hoc ita intelligatur, ut possit Parochus Viri assistere Matrimonio, etiamsi hoc celebretur in Parochia Fœminæ, & Parochus Fœminæ, etiamsi celebretur Matrimonium in Parochia Viri.

77 Respondeo ita. Ratio est, quia jam verificatur haberi præsentia proprii Parochi, & sic declaratum fuit a Sacra Congregatione, ut testantur Henriquez, & Rodriquez, & ita docent quamplurimi, quos citat, & sequitur idem Leander *quæst.* 15. & Gonzalez Tellez *in lib.* 4. *Decretal. tit.* 3. *de Clãdest. desponsat. cap.* 3. *n.* 8. imò alii, quos refert idem Leander *quæst.* 16. volunt, quod sufficiat Parochi præsentia solius Viri, vel Fœminæ, etiamsi Matrimonium celebretur extra Parochiam utriusque, & in aliena Diœcesi.

78 Dices cum aliis Doctoribus, qui putant requiri præsentiam Parochi Viri, si celebretur Matrimonium in Parochia Viri, & e converso. Dices, inquam non videtur hoc con-

Digitized by Google

concessum à Tridentino, nec potest Parochus extra suam Parochiam exercere Jurisdictionem.

79 Respondeo, quod Tridentinum voluit id, quod conducebat ad facilitanda Matrimonia nõ Clandestina, ideoq; concessit Parochum utrumlibet, ideſt ſive viri, ſive fœminæ posse assistere, ubicunq; illorum Matrimonium celebretur. Unde etiam licitè, ſi aliunde non adſit ſcandalum, aut ſpecialis prohibitio, poteſt Parochus Viri aſſiſtere Matrimonio celebrato in Parochia fœminæ, & e contra. Quia hoc nullo Jure prohibetur. Ex alia parte hic non eſt actus Jurisdictionis voluntariæ, ut ſuprà dixi cũ Sanchez, nec contentioſæ, ut eſt certum. Unde ſicut poteſt Parochus audire Confeſſiones ſuorum in aliena Parochia; Ita a fortiori aſſiſtere Matrimonio ſuorum. Atque ideo ita ſuſtinent Caſtropalao *diſp.* 2. *punct.* 13. §. 9. *n.* 5. Leander *quæſt.* 17. & alii plures apud ipſos.

80 Petes ſecundò, An alius præter Parochum poſſit de Jure aſſiſtere Matrimoniis.

Reſpondeo poſſe Cardinales, Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Legatos in ſuis locis. Capitulum Sede vacante, Vicarios Generales Epiſcoporum, non autem Foraneos, niſi ipſis ſint commiſſæ ab Epiſcopo cauſę Matrimoniales. Item Abbates habentes Jurisdictionem Epiſcopalem, & ſubditos ſæculares. Item Archipresbyteros in ſua Eccleſia: deniq; Parochum putativum vel habentem titulum coloratum, vel illum, cui datus eſt Coadjutor ob infirmitatẽ, aut ignorantiam. Ita Gonzalez Tellez. *dicto n.* 8. Baſilius *cap.* 10. *lib.* 5. Sanchez. *lib.* 3. *diſp.* 28. *de Matrimonio*.

QUÆSTIO SEPTIMA.

QUID TENEATUR PAROCHUS FACERE Aſſiſtens Matrimoniis.

81 REſpondeo debere Parochum interrogare de conſenſu, & illo audito proferre; *Ego vos conjun-*

jungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, benedicendo illos; debet esse præsens, non solùm corporaliter, sed moraliter, ut audiat eorum consensum. Sufficit autem ut audiat, etiamsi ipse sit renuens, vel dolo adductus. Sanchez. *lib.* 3. *disp.* 38. *de Matrimonio n.* 6. & alii communiter.

82 Ad interrogandum autem de consensu, tenetur sub mortali, si Contrahentes ex se ipsis non ostendant per verba, aut nutus illum consensum. Ad præsentiam moralem, nimirum ad intelligendum quid agant Contrahentes, tenetur etiam sub mortali, quia debet esse testis Ecclesiæ de Matrimonio contracto; denique si Parochus assistat Matrimoniis aliorum, qui non sunt ejus Parochiani sine licentia proprii Parochi, incurrit suspensionem, à qua non potest absolvi, nisi ab Ordinario illius Parochi, qui debebat assistere. Tridentinum *sess.* 24. *de reform. Matrim. cap.* 1.

§. QUARTUS.

DE PAROCHO ÆGROTANTE, & non residente.

83 TEnetur Parochus residere in sua Parochia. *Cap. Quia nonnulli. de Clericis non resident.* & *cap. Ex gestis.* & *cap. Relatum. eodem titulo.* & Cap. *licet Canon. de Elect. in 6.* §. *Is etiam.* Tridentinum *sess.* 6. *de reform. cap.* 2. & *sess.* 23. *de reform. cap.* 1. Tenetur, inquam, sub pœna privationis Beneficii Parochialis post debitam citationem, & servato Juris ordine juxta Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform. vers. Quod si per Edictum.*

84 Item toto tempore, quo Parochus sine causa abest ab Ecclesia, non facit fructus suos, & tenetur restituere Ecclesiæ, vel Pauperibus.

85 Residentia hæc debet esse in ipsa Ecclesia Parochiali ex Bulla Pii V. quæ incipit: *Cupientes.* & ex declaratione

Digitized by Google

Sacræ Congregationis. quam affert Garzias *3.par.cap.2.n.* 179. & Fragoſus *par. 2. lib. 10. diſp.21.§.5. n.* 8. Quare debet eſſe in domo ipſarum Parochialium Eccleſiarum; quæ ſi non habent domum annexam, debet Parochus habitare in domo vicina ipſi Eccleſiæ. Quod ſi fuerit Parochus duarum Eccleſiarum in eadem Urbe exiſtentium æquè principaliter unitarum, poterit habitare in ea, quæ ſibi placet. Quod ſi non ſint æquè principales, debet habitare in Eccleſia digniori, vel frequentatiori. Ita deciſum refert Pignatelli *tom.1. Conſul.* 351.

86 Præterea Tridentinum *ſeſſ.23. citata* ait, quod niſi causâ priùs cognitâ, quæ ſit gravis, Epiſcopus non det licentiam, quæ debet eſſe in ſcriptis,& gratis data, ut Parochus per tempus ultra Bimeſtre, abſit a Parochia,& pro eodem tẽpore debeat approbari ab Epiſcopo Vicarius idoneus, qui cum debita mercedis aſſignatione Parochiam adminiſtret. Ex qua lege Tridentini inſurgit dubium. An Parochus poſſit per tempus Bimeſtre abeſſe ſine licentia Epiſcopi cum cauſa ſolùm propriæ conſcientiæ cognita, & judicata juſta.

87 Suſtinerem, quod poſſit Parochus, ad duos menſes ſine licentia Epiſcopi recedere cum cauſa, quæ ipſi Parocho bona fide juſta videatur. ut docet Navarrus *in Manuali cap. 25. n. 121.* Azorius *par. 2. lib. 7. cap. 4. q. 10.* Zecchius, & Cenedus citati a Fragoſo *par. 2. lib. 10. diſp. 21. §. 5. n. 20.* Quia abſentia duorum menſium fuit judicata a Concilio modicum tempus; conceditur enim Epiſcopis in eodem *cap.1.citato.* Modicum enim leges pro nihilo habent. Secundò quia Concilium ait in hac parte ſervandum eſſe in Parochis, quod in Epiſcopis. Ergo ſi his conceditur abſentia duorum menſium, aut ad ſummum trium, etiam & illis. Non autem ultra duos menſes, quia jam ſe declarat Concilium, quod ultra duos menſes neceſſaria ſit licẽtia in ſcriptis ab Epiſcopo gratis data, & causâ priùs cognitâ.

88 Cau-

Digitized by Google

88 Cauſæ autem, propter quas poſſit dari licentia ultra duos menſes ſunt prima Chriſtiana Charitas, nimirum cum debet Parochus abeſſe a ſua Eccleſia ad adjuvandam aliquam aliam Eccleſiam, ad dirimendas lites, & odia Parochianorum. Secunda evidens Parochi neceſſitas, nimirũ cum ipſe debet aërem mutare ob infirmitatem, aut declinare Principum odia, aut periculum vitæ, &c. Tertia obedientia, nimirum cum vocatur a Superiore juſtè imperante. Quarta, Eccleſiæ, cui præeſt, utilitas, aut neceſſitas.

89 Dixi ſuſtinerem, quia invenio apud Garzias. *3.par. cap.*1.*de Benefic.n.*34. Deciſum fuiſſe a Sacra Congregatione Concilii, quod etiam pro duobus menſibus requiratur licentia Epiſcopi, niſi talis ſe offerret neceſſitas, quæ non pateretur moram petendi licentiam, in quo caſu Parochus abſens confeſtim debet certiorare Epiſcopum de diſceſſu, ut ratum habeat, niſi ſit brevi Parochus rediturus ad Eccleſiam, in quo caſu non requiritur licentia Epiſcopi.

90 De Epiſcoporum,& Parochorum reſidentia videatur Gonzalez Tellez *in lib.*3.*Decretal.tit.*4.*de Clericis non reſident. toto cap.*4. ubi plura eruditè dicit. Et Azorius *par.* 2. *lib.*7. *cap.* 4. Interim aliquas Quæſtiones de Parocho infirmo, & non reſidente, breviter reſolvemus; cum de tali Reſidentia ſimus acturi infra pleniùs cum *de Epiſcopis. cap.* 7. §. 4. *n.* 34.

QUÆSTIO PRIMA.

AN PAROCHUS INFIRMUS POSSIT LUCRARI integros fructus Beneficii.

91 REſpondeo, quod poſſit, cum conſtet ex *cap.Cum percuſſio.de Clerico ægrotante.* argumentum ex ipſo textu, quia aliter non inveniretur, qui vellet Eccleſiæ ſervire, & quia non debet addi flaggellatis afflictio, quæ

Digitized by Google

sanè adderetur, si privatio fructuum jungeretur infirmitati. Atque ideo ita docet Gonzalez Tellez *in lib. 3. Decretal. tit. 6. de Clerico ægrotante cap. 1. n. 4.* ubi hanc assertionem, fusè probat, adductis Juribus, & Doctoribus plurimis.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN, ET QUANDO OB INFIRMITATEM dandus est Parocho Coadjutor?

92 REspondeo, quod si Parochus fuerit taliter morbosus, ut horrorem incutiat ovibus suis, v. g. leprosus, vel scabie herculea, quæ accedit ad lepram, affectus, vel alio morbo, quo Sacramenta debitè ministrare non possit, debet arceri a Sacramentorum administratione, non tamen privari Beneficio, sed ipsi dandus est Coadjutor cum portione fructuum, ab Episcopo. *cap. de Rectoribus. de Cleric. Ægrotant.* & *cap. Tua. eodem tit.* & Trident. *sess. 25. de Reform. cap. 7.* ubi præcipitur, quod non detur cum futura successione, nisi priùs fuerit causa cognita a Sede Apostolica. Ratio autem hujus rei est, quia Parochi tenentur residere in suis Ecclesiis, & oves suas pascere, cum igitur ob infirmitatem non possint ea præstare, & cum non debeat dari afflictio ipsis afflictis, ut dictum est, congruum est ut non priventur Beneficio, sed habeant Coadjutorem, cui congrua assignetur fructuum portio.

QUÆSTIO TERTIA.

AN QUANDO PAROCHUS HABET COADIUTOrem perpetuum, teneatur residere?

93 REspondeo cum distinctione. Si tota cura animarum translata est in Vicarium, non tene-

Digitized by Google

tur Parochus residere. Si verò Vicarius datus est, ut adjuvet Parochum, & ideo non tota cura translata est in Vicarium, tunc tenetur Parochus residere. Ita Fragosus supra citatus *n.* 21. qui refert declarationem Sacræ Congregationis hoc modo dicentis: *Rector, qui habet Vicarium perpetuum in ejus Parochia, potest, & debet compelli ad personaliter residendum, nisi tota cura animarum translata fuerit in solum Vicarium perpetuum.*

QUÆSTIO QUARTA.

AN PAROCHUS OBTINENS INDULTUM A SEDE Apostolica, ut causa Studiorum absit a Parochia, indigeat licentia Episcopi?

94 REspondeo, quod indigeat, quia debet Ordinarius videre, an sit Parochus in tali dispositione, & ætate, ut possit in studiis proficere. Atque ita declaravit Pius IV. *anno* 1564. dum decrevit privilegia, ad percipiendos fructus in absentia, causa studiorum, non suffragari, nisi accedat consensus gratis præstandus ab Ordinariis. Atque ita docent Fragosus *n.* 20. *ver. Nihilominus.* Azor. *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4. *quæst.* 3. *Moneta de Distrib. quotid. par.* 2. *quæs.* 10. *num.* 9. Barbosa *in cap. Tuæ fraternitatis. de Clericis non residen. n.* 3. & alii apud ipsos.

§. QUINTUS.

EXPEDIUNTUR RELIQUA, QUÆ ad Parochum spectant.

95 AD Parochum spectat benedicere candelas in festo Purificationis B. M. V. cineres in initio Quadragesimæ, palmas in Dominica Palmarum, & Fontem Baptismi. Item ad ipsum spectat delatio Sanctissimi Sacramenti,

Digitized by Google

menti, quas functiones Parochus ipse exercere debet. Riccius *in praxi tom. 4. resol. 305. & 306.* Pirhing. *lib. 1. tit. 31. sec. 5. §. 4. n. 154.*

96 Tenetur Parochus denunciare vigilias, & dies jejunii, festa, & indulgentias suis Parochianis. Tridentinum *sess. 25. de Delectu Ciborum, &c.*

97 Item tenetur habere quatuor libros, præter principalem, in quo sint nomina Parochianorum, unum in quo scribantur Baptizatorum nomina, cum nominibus Parentum, si sunt ex legitimo Matrimonio nati, & Patrinorum, addito die, mense, & anno. Tridentinum *de reform. Matrim. cap. 2.* Librum secundum, in quo adnotentur ii, qui contraxerunt Matrimonium, & testium nomina, dies, mensis, & annus, in quo contraxerunt. Idem Tridentinum *eadem sess. cap. 1.* atque hoc obligat sub mortali, quia est præceptum ad vitandas lites, & ut Matrimonium probari possit, etiam mortuis testibus. Sicut ex nota Baptizatorũ probari possit ætas, & Baptismus alicujus. Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 15. n. 22.* Mascardus, Barbosa, & alii, quos sequitur Pirhing *citatus.* Tertium librum, in quo notandi sunt mortui, ex quo probetur Mors, & sepultura. Menochius *lib. 2. de Præsumpti: quæst. 51. n. 55.* Denique quartum librum, in quo notentur nomina Confirmatorum, Patrinorum, & Episcopi confirmantis, & Ecclesia, in qua fuit Chrisma ministratum, addito die, mense, & anno.

98 Præterea ex Tridentino *sess. 24. de Reform. cap. 3.* tenentur Parochi interesse Synodo Diœcesanæ. Item carnis affectum, erga Propinquos deponere *sess. 25. de reform. cap. 1.* Decreta Concilii recipere, obedientiam spondere, atq; hæreses anathematizare. *Ibidem cap. 2.* Hospitalitatem servare. *Ibidem cap. 8.* Denique ad Parochum spectat, levare mortuos Parochianos è domo; & associare ad sepulturam; & officium super cadaver peragere. Verùm de hac re *in lib. 2.* agentes de Sepulturis, & funeribus. Atque hæc de Parochis

Digitized by Google

chis breviter dicta sufficiant. Qui plura desiderat, legat Augustinum Barbosam. *de Officio Parochi*.

CAPUT SEXTUM.

DE ABBATIBUS, ET ABBATISSIS.

INter Ecclesiasticas personas post Episcopos primum locum obtinent Abbates, ita ut in sacris generalibus Conciliis immediatè post Episcopos sedeant. Panormitanus *in cap. Ex Ore. n. 3. de Privil.* Barbosa *de Jure Eccles. lib. 1. cap. 17. n. 1. & 2.* Nunc nobis ideo de illis agendum ante Episcopos.

§. PRIMUS.

EXPLICATUR, QUID VENIAT NOMINE Abbatis, & quot sint Abbatum Ordines.

1 ABbas ab Hebręo, seu Syro vocabulo dictus, idem est ac Pater. *Cap. Final. de Regular.* Nicolaus Liranus *in Epistola ad Galatas. cap. 4.* & Sanctus Augustinus *Epistola 177.*

2 Quidam Abbates dicti sunt Archimandritæ ab Archos, quod est Princeps, & Mandros, quod est ovis. Glossa *in l. Nos reddentes. C. de Summa Trinitate*, & §. *Omnis vero.* ait dictos esse Archimandritas, quia erant Principes Monachorum, qui in speluncis montium habitabant.

3 Abbatum alii sunt sæculares, alii regulares. Sæculares sunt, qui Beneficia Ecclesiastica obtinent cum titulo Abbatiæ. Barbosa *cit. n. 18.* Horum alii sunt, qui non solùm in Clericos, verùm etiam in laicos sibi subiectos Jurisdictionem exercent episcopalem; & utuntur mitrâ, & baculo pastorali, & anulo. Atque hi comprænhenduntur sub nomi-

ne

ne Prælatorum, & ſunt proximi epiſcopali Dignitati. *cap. Decernimus. de Judiciis* ibi: *Sed Epiſcopi, Abbates, & alii Eccleſiarum Prælati*. Alii verò nec talem Jurisdictionem habent, nec inſigniis Epiſcoporum utuntur.

4 Sunt & alii Abbates ſæculares, qui in Cathedralibus primum habent locum inter Dignitates cæteras, quando ſunt in Choro, ſed non præſunt Collegio Canonicorum. Item in aliquibus locis, Parochi, & Plebani, ideſt, qui Eccleſias parochiales in Villis regunt, honorato titulo vocantur Abbates.

5 Alii Abbates ſæculares vocantur Commendatarii, quia cum Clerici ſæculares non poſſint ex Sacris Canonibus eſſe Rectores Monachorum. *cap. Cum ad noſtram. de Elect.* ad hoc ut in perpetuum Abbatiæ ipſis commẽdarentur, fuit compertum. Atque ideo non potentes in titulum Abbatiam obtinere, per viam perpetuæ Commendæ, licitam fecerunt. Differt Commendatarius ab eo, qui titulum habet in Beneficio, in hoc, quod Commendatarius eſt veluti Depoſitarius Beneficii, & Adminiſtrator. Nam commendare eſt deponere. *l. Commendare. ff. de Verb. ſignific.* Unde Rebuffus in hanc legem, ait, quando dicitur Papa Beneficia alicui commendare, idem eſt ac fidei illorum, & adminiſtrationi committere. *cap. Nemo.* ubi Gloſſa *v. Commendare. de Elect. in 6.*

6 Qui autem habet titulum, eſt verè, & propriè Beneficiatus habens Jus in Beneficio. In caſu autem noſtro, cum Abbates ſint perpetui Commendatarii (nec hodie ſunt in uſu Commendæ ad tempus) habent quandam diſpenſationem retinendi Abbatiam, quam aliàs retinere prohibiti erant. Nec aliud eſt Commenda perpetua, niſi quædam diſpenſatio retinendi Beneficium facta illi, qui aliàs retinere non poſſet. Caſtropalao *trac. 13. diſp. 1. punct. 8. n. 9.* Gonzalez *ad Regulam 8. Cancell. Gloſſa 5. §. 8. n. 6.* Garzias *par. 4. de Benefic. cap. 5. n. 24. & 29.* ubi alios refert.

7 Hinc

Digitized by Google

7 Hinc est, quod Abbates Commendatarii gaudent omni jure, & potestate, quibus gauderet Titularis. Gomesius *in Regulam. de Triennali Possessore quæst.* 5. *a n.* 11. *usq. ad* 20. Castropalao citatus *n.* 6. & censentur veri Abbates. Rebuffus *de Pacificis Possessoribus n.* 54. *&* 55. Rodericus *to.* 2. *quæst. Regularium Canonic. quæst.* 53. *art.* 8.

8 Alii sunt Abbates Regulares, qui Professionem monasticam faciunt, & horum aliqui sunt, qui Jurisdictionem Episcopalem habent, & sunt Ordinarii in Territorio, & Populo sibi subjecto. Alii verò solùm præsunt Monachis, quorum sunt Præfecti juxta textum *in cap. Cum ad Monasterium. ver. Abbas verò.* ibi: *Cui omnes, & in omnibus reverenter obediant.* & *in cap. In Singulis. de statu Monach.* Alii denique solùm titulum Abbatis habent, vel quia Monasterium est aliò translatum, vel quia Clerico Sæculari commendatum. Isti sunt Abbates Titulares, qui insigniis Abbatum utuntur de licentia Abbatum localium.

§. SECUNDUS.

DE QUALITATIBUS ABBATUM.

9 PRæter illa, quæ sunt communia de electione Prælatorum, requiritur ad electionem Abbatum, ut Electores sint Professi tacitè, vel expressè illius Monasterii, cui est Abbas præficiendus. *Cap. Ex eo.* §. *In Ecclesiis. de Elect. in 6.* & ita docent Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 17. *n.* 26. Suarez. *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 2. & alii.

10 In eo, qui debet eligi in Abbatem, requiritur primò ætas 25. annorum, saltem inceptorum. Colligitur *ex cap. Cum in Cunctis. de Elect.* §. *Inferiora*: ubi hæc ætas requiritur ad omnes Dignitates Episcopatu inferiores. Et ita docent Silvester *v. Abbas n.* 1. Panormitanus *in dictum cap.*

Digitized by Google

Cum in cunctis. §. Inferiora. Barbosa *loco citato n. 30.* & alii, quos affert; ipse tamen Barbosa cum Zabarella, Selva, & aliis, vult talem ætatem requiri non minùs in Abbate Regulari, quàm in Sæculari, cum eadem sit ratio regiminis, & administrationis.

11 Requiritur secundò ut Eligendus in Abbatem Regularem sit Professus expressè in ea Religione. *cap. Cum in Magistrum. de Elect.* & *cap. Nullus eodem titulo in 6.* Et ita docent Panormitanus *in dictum cap. Cum in Magistrum. n. 1.* Silvester *v. Abbas. n. 1.* Barbosa *n. 31.* Pignatelli *tom. 1. Consult. 135. n. 16.* & alii communiter.

12 Accedit Tridentinum *sess. 25. de Regular. cap. 21.* ubi vult non solùm, quod eligantur in Abbates Professi in illa Religione, verùm etiam quod Commendatarii Abbatiarum Regularium, qui tunc erant, debeant intra sex menses professionem facere sub pœna privationis Commendæ, nisi provideretur de Successore; & hortatur Sancta Synodus Sanctissimum Pontificem, ut dictæ Abbatiæ Regularium, quæ tunc erant commendatæ, & quæ in posterum vacabunt, solis Regularibus Professis conferantur. Loquitur, ut patet, Concilium de Commendatariis ad tempus, quibus præcipit professionem Regularem intra sex menses, nisi eligatur Successor in Abbatia idoneus, nempe Professus ejusdem Religionis, cui in titulum debetur Abbatia.

13 Potest Abbatia Regularis dari in Commendam perpetuam Clerico sæculari, nondum eam Religionem professo. Azorius *par. 1. Instit. Moral. lib. 12. cap. 20.* qui Clericus sæcularis, prout idem Summus Pontifex judicaverit, Professionem deinde faciet, vel non; cum non appareat in Jure quod debeat esse Professus, nisi qui in titulum Abbatiam obtinet. Nec potest cogi Commendatarius perpetuus ad Professionem, sicut ille, qui habet in titulum, nisi hoc in Bulla Commendationis sit expressum. Barbosa *de Jure Eccl. lib. 3. cap. 9. n. 25.* & alii.

14 No-

Digitized by Google

14 Notandum hic est, quod Abbas commendatarius non potest se immiscere in jis, quæ concernunt regularia instituta, ac proinde non potest Priores, Subpriores, aut Officiales claustrales instituere, ac destituere, visitare Monachos, eosque corrigere &c. juxta Breve Innocentii X. quod refert Faghanus *in cap. Edoceri. de Rescript. n.* 4. in quo Brevi confirmantur Privilegia concessa Monachis, ne subdantur Abbatibus commendatariis in iis, quæ ad regularem disciplinam spectant.

15 Requiritur tertiò, quod eligendus in Abbatem sit Sacerdos. Azorius *loco citato*, quamvis Abbatia possit dari in Commendam non Sacerdoti. Barbosa *n.* 34. Panorminus *in cap. ut Abbates n.* 2. & *in cap. Tuam de ætate, & qualitate & ordine. Præficiend.* Rodriquez *tom.* 1. *quæs.* 15. *art.* 2. Notat Panormitanus, quod non requiritur Sacerdotium contemporaneè cum promotione ad Abbatiam, sed sufficit, quod post promotionem ordinetur Sacerdos intra annum.

16 Requiritur quartò, ut sit legitimè natus, nam illegitimus sine dispensatione Papæ eligi non potest. *Cap. Nimis in tua. de filiis Presbyterorum*, & ex Bulla Sixti V. quam moderavit Gregorius XIV. qui voluit, ut Illegitimi quo ad Dignitates possint legitimari cum consensu Capituli Generalis, aut Provincialis. Unde infert Rodriquez *to.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 13. *art.* 5. hodie Illegitimos non fieri legitimos quo ad Dignitatem per ipsam Professionem in Religione approbata, sed requiri consensum Capituli.

17 Requiritur quintò totum illud, quod spectat ad electionem Prælatorum in genere, ut scilicet Eligendus non sit corpore vitiatus, Homicida, Apostata, Perjurus, Prodigus, Neophitus, Simoniacus, vel habens defectu aliquem animæ, vel corporis. Præterea ex Decreto Urbani VIII. *anno* 1626. requiritur, ut non fuerit pœnitentiatus in Tribunali Sanctæ Inquisitionis.

18 Requiritur sextò, ne sit Abbas alterius Monasterii, nisi hoc aliud Monasterium ab illo dependeat, & cum eo unum faciat. Nemo enim potest duorum distinctorum Monasteriorum esse Abbas. Unde, si aliquis fiat Abbas alterius Monasterii, desinit eo ipsò esse Abbas illius. *Canon. Unum Abbatem. 21. quæst. 1.* & *cap. Ne nimia. de Religiosis domibus*, ibi: *Nec unus Abbas pluribus Monasteriis præsidere præsumat.* Accedit Tridentinum *sess. 25. de Regular. cap. 7. ver. Duobus.*

19 Requiritur septimò, ut sit in regimine cautus, humilis, castus, misericors, discretus, & sobrius, prout exprimitur *in Can. Si quis Abbas. 18. quæst. 2.* & *in cap. Tuam. de ætate, & qualit. & ordine Præficiendorum.*

§. TERTIUS.

DE CONFIRMATIONE ABBATUM.

20 ABbas electus a Monachis ipsius Monasterii, cui debet præfici, juxta Canones antiquos confirmari debebat ab Episcopo, cui erat subjectum Monasterium. Panormitanus *in cap. 1. de Supplenda. negligen. Prælat.* Quod si Monasterium erat exemptum, debebat a Summo Pontifice, vel ab ejus Legato, a latere accipere confirmationem. *Cap. Cum Monasterium. de Elect. & cap. si Abbatem. eodem tit. in 6.* Postea verò cum a Sede Apostolica habuerint Regulares varia Privilegia, confirmationem Abbatum localium ab Abbate Provinciali, vel Generali petebant; & Abbates Generales regulariter a summo Pontifice eorum immediato Superiore. Deinde habuerunt Privilegia, ut eo ipsò quod fuerit Prælatus Generalis legitimè electus, habeatur pro confirmato. Videatur Rodriquez *to. 2. quæst. regular. quæst. 53. art. 2.* & Barbosa *de Jure Eccles. lib. 1. cap. 17. n. 40.*

21 Hodie verò omnes ferè Abbates, & Prælati locales ex concessione Apostolica non creantur per Electionem Conventuum, sed a Generali unà cum Definitorio providentur, & ideo ea Electio gerit vicem Confirmationis, quia quoties ad eundem spectat Electio, & Confirmatio, per hoc quod ille eligat, confirmare intelligitur. Ita Glossa *v. Electiones. in cap. Ut circa.* & *v. Provisionem. in cap.* 1. *de Elect. in 6.* Barbosa dicto *n.* 40. *in fine.*

22 Abbatiæ autem, Prioratus, & Dignitates conventuales, quæ consistorialiter providentur, indigent confirmatione Apostolica ex Bulla Pii IV. quæ incipit *Sanctissimus.* & est in Bullario novo *tom.* 2. *Constit.* 86. & ex Gregorio XIV. in Bulla, quæ incipit: *Onus Apostolicæ*, quæ est in eodem *tom.* 2. *Constit.* 6. ejusdem Pontificis, jubetur quod debeat priùs fabricari processus de Electo, sicut de Promovendis ad Ecclesias Cathedrales. Videantur dictæ Constitutiones Apostolicæ.

§. QUARTUS.

DE CONSECRATIONE, SEU POTIUS BENEDICTIONE ABBATUM.

23 ABbas electus, & confirmatus, modo explicato, inspecto Jure communi, sicut etiam, & Abbatissa, debet benedici ab Episcopo, & quidem Diœcesano, si non habeatur peculiare privilegium accipiendi benedictionem a quocunque. Constat *ex cap. Statuimus. de Supplenda negligen. Prælat.* & *cap. Cum contingat. de ætate, & qualitate, & ordine Præficiendorum.*

24 Hæc benedictio requiritur in Abbatibus perpetuis, non verò in Triennalibus, qui nulla benedictione indigent; & debet peti intra annum *ex Clement.* 2. §. *Statuimus. de Statu Monachorum.* Gonzalez Tellez *in lib.* 1. *Decretal.*

tretal. tit. 10. de Supplend. neglig. Prælator. n. 4. in fine. ubi refert Decretum Eugenii IV. sic statuentis. Debet autem fieri diebus Dominicis, quamvis quod possit fieri omnibus diebus, quibus solent Ordines minores conferri, doceant Azorius *par. 1. lib. 12. cap. 20. quæst. 3.* Gonzalez Tellez *loco citato n. 4.*

25 Non debet talis benedictio reiterari, quoties Abbas benedictus ad aliam Abbatiam promovetur. Barbosa *n. 45.* Azorius *loco citato quæst. 4.* & alii, quia aliæ benedictiones solemnes non reiterantur, ut benedictio nuptialis &c.

26 Nec omnes Abbates debent benedici, sed illi, qui solent secundùm morem Ecclesiæ suæ. *Can. Alienationes. 12. quæst. 2.* ibi: *Aut Abbatis, qui secundùm Ecclesiæ suæ usum consecrandus est.* Praterea si Episcopus ter requisitus neget benedicere Abbatem electum, & confirmatum, poterit Abbas sine benedictione officium administrare ex dicto *cap. Statuimus. de Supplenda negligen. Prælat.*

27 Dicitur aliquando in sacris Canonibus Abbatem consecrari, aliquando benedici, aliquando ordinari, sed melius ex recentioribus Interpretibus Juris non consecrari, nec ordinari, sed benedici dicendum est. Quia Abbas non ungitur sacro Chrismate, sicut Episcopus, qui dicitur consecrari, sed tantùm accipit manuum impositionem ab Episcopo, adhibitâ certâ precationis formâ, & præstito quodam juramento. Azorius *loco citato quæst. 2.* Gonzalez citatus *n. 5.*

28 Quæres an talis benedictio sit constitutiva Abbatis ita ut sine ea non sit Abbas, nec uti possit Insigniis &c.?

29 Respondeo non constitui Abbatem per benedictionem supradictam, sed per electionem confirmatam. Nam Abbas dicitur ante benedictionem. *cap. Meminimus. de Accusationibus.* & *Clemen. Attendentes.* §. *Statuimus. de Statu Monachor.* & ita docet Panormitanus *in cap. Inter Monasterium.*

Digitized by Google

rium. ver. Quæro ulteriùs. n. 25. de Re judicata. Per talem autem benedictionem datur potestas sacrandi vasa, vestes &c. & conferendi Ordines minores, suppositio Sacerdotio in Abbate. dicto *cap. Cum contingat. de ætate, & qualitate.*

30 Hodie autem ex concessione Summorum Pontificum, Abbates regulares, licèt benedictionis munus non acceperint, possunt actus Abbatis exercere, & insignia deferre, ac si fuissent benedicti. Ita Barbosa *lib. 1. Jur. Eccl. cap. 17. n. 47.* ubi refert talia privilegia variis Religionibus concessa.

§. QUINTUS.

DE POTESTATE ABBATIS.

31 DIco primò, Abbates, qui sunt nullius Diœcesis, & ideo ipsi sunt Ordinarii, possunt omnia in suo Territorio, quæ potest Episcopus in sua Diœcesi. Fragosus *part. 2. lib. 11. disp. 24. §. 2. n. 1.* & Glossa *in Clement. 1. v. Proprii Prælati. de Rebus Ecclesiæ non alienandis.* Item in Ecclesiis ad ipsos pleno Jure pertinentibus, ideſt in quibus habent & spiritualem, & temporalem Jurisdictionem, possunt solemniter benedicere populo in fine Missæ, Vesperarum, & Matutini, non autem publicè per vias, nisi fuerit eis specialiter concessum. *cap. Abbates. de Privileg. in 6.* Azorius supracitatus *quæst. 7.* in iisdem autem locis sibi subjectis possunt propria authoritate Pontificalia exercere. Pignatelli *tom. 1. Consult. 370.* ubi affert declarationem Sacræ Congregationis.

32 Dico secundò, Abbates regulares, si sint Sacerdotes, & benedicti, possunt minores Ordines conferre. *Can. Quoniam. distinct. 69. & cap. Cum contingat. de ætat. & qualitat.* Debet autem hodie servari Decretum Tridentini *sess. 23. de Regular. cap. 10.* ubi præcipitur, quod nullus Abbas,

Digitized by Google

bas, quantumvis exemptus, & privilegiatus possit minores Ordines conferre, nisi suis Monachis dumtaxat.

33 Dico tertiò Abbates regulares habentes ex privilegio facultatem deferendi insignia Episcopalia, nimirum Mitram, Baculum, Anulum, etiam si sint Sacerdotes & benedicti ab Episcopo, vel habeant privilegium ordinandi sine accepta benedictione, non possunt conferre Tonsuram, & minores Ordines Sæcularibus subjectis Jurisdictioni Episcopi, etiamsi habeatur consensus specialis ipsius Episcopi cum literis dimissoriis specialiter directis ipsis Abbatibus, & etiam si habeatur consensus Episcopi in cujus Diœcesi deberent Ordines conferri. Quod ipsum intelligitur dictum in ordine ad Regulares alterius Religionis. Ratio est, quia quamvis testetur Azorius supracitatus declaratum esse a Sacra Congregatione Tridentini Interpretum, quod de consensu Episcopi, in loco, ubi fit Ordinatio, & de consensu Episcopi proprii Clericorum sæcularium, & proprii Prælati Regularium, possint Abbates prædicti ordinare Sæculares, & Regulares alterius Religionis; tamen habetur alia declaratio, quod non possint, quam affert Pignatelli *tom. 1. Consult. 366.* & fuit in una Panormitana approbata ab Urbano VIII. *die* 17. *Januarii* 1642.

34 Hinc quia variæ sunt declarationes Sacrę Congregationis Cõcilii circa Ordinationes in minoribus ab Abbatibus regularibus, quæ videntur sibi contrariæ, necesse est aliqua notare cũ Fagnano, & Pirhing mox citandis, ad hoc ut sciatur, quando nam sit solùm illicita, quando verò illicita, & invalida Ordinatio ab Abbatibus regularibus.

35 Dico quartò. Si Abbas regularis sit Sacerdos, & solemniter benedictus, & conferat Tonsuram, & minores Ordines suis Monachis, Ordinatio est valida, & licita. Ratio est quia potestas, quam habet de Jure communi *ex Can. Quoniam. dist. 69.* & *cap. Cum contingat. de Ætat. & qualit.* non est quo ad suos Monachos sublata per Tridentinum loco supracitato, sed potiùs confirmata. 36 Di-

Digitized by Google

36 Dico quintò, Si Abbas regularis sit Sacerdos, & solemniter benedictus, & conferat Tonsuram, & minores Ordines non suis Monachis subditis, sed aliis sive Regularibus, sive Sæcularibus, valida est Ordinatio; sed illicita. Ratio est, quia talis Abbas ex vi impositionis manuum ab Episcopo, seu benedictionis, habet potestatem conferendi Ordines; sed a Concilio Tridentino est adempta ipsi Jurisdictio respectu aliorum, qui non sunt sui Monachi; ergo illicitè ordinat illos, non tamen invalidè.

37 Confirmatur *ex cap. Abbas. de Privileg. in 6.* ibi: *Nec eis licitum sit.* junctâ Glossâ *v. Tonsuram in fine*, ubi dicitur, quod Abbas regularis Sacerdos, & benedictus ordinans imprimit Characterem. ergo illicitè ordinat, sed tamen validè eos, qui non sunt Monachi sui. Accedit declaratio Sacræ Congregationis Concilii *die 26. Junii 1655.* quam refert Pignatelli *tom. 1. Consult. 366. n. 5.* in fine, in qua dicitur: *Sic ordinatos ab Abbatibus, non esse iterum ordinandos, sed tantùm rehabilitandos a Sanctissimo.*

38 Dico sextò. Abbas regularis Sacerdos non benedictus ab Episcopo, sed habens privilegium datum ante Tridentinum ordinandi sine accepta benedictione, si ordinat suos Monachos, validè, & licitè ordinat. Ratio est quia Tridentinum non revocat tale privilegium, dum concedit posse Abbates, qui aliunde habent facultatem ordinandi, suos Monachos ordinare.

39 Si verò ordinat alios, distinguendum est: si enim ipse proprios subditos Monachos non habeat; nec licitè, nec valide ordinat, quia ei non competit potestas ordinandi, ex vi suæ ordinationis, sicut competit Episcopo, nec ex vi impositionis manuum ab Episcopo, prout competit Abbatibus benedictis, sed solùm competit ex commissione Sedis Apostolicæ; sed tale privilegium fuit revocatum a Tridentino volente, quod solis Monachis suis subditis, possit Abbas regularis conferre

Digitized by Google

ordines. ergo Abbati non habēti proprios Monachos subditos, non manet potestas ordinandi, ac proinde invalidè, & illicitè ordinat. Quod si talis Abbas habens privilegium ordinandi, etiamsi non sit benedictus, ante Sacrum Concilium Tridentinum; habeat aliquos Monachos sibi subditos, & ordinat alios non subditos, valida erit ordinatio, quia ad huc habet potestatem, sed illicita, quia contra Tridentini dispositionem.

40 Dico septimò. Abbas regularis Sacerdos habens post Tridentinum privilegium ordinandi, etiamsi non sit ipse benedictus ab Episcopo, si ordinat personas designatas in privilegio, validè, & licitè ordinat. Quia Tridentinum non abstulit privilegia danda in futurum. Si verò ordinat personas non designatas in privilegio, validè ordinat, quia absolutè potestatem habet, sed illicitè, quia Jurisdictionem in eos non habet.

41 Dico octavò. Si Abbas regularis non sit benedictus, nec privilegium habet ordinandi, nec licitè, nec validè ordinat suos Monachos, ut est manifestum. Quod si solebat benedici, & ter rogavit Episcopum, & hic injustè negavit benedictionem, poterit, & validè, & licitè eos ordinare, quia ex dictis *n.* 26. in tali casu potest omnia, quæ posset, si esset benedictus.

42 Dico nonò. Alii Abbates, vel Prælati sæculares, qui non sunt Episcopi consecrati, si ante Tridentinum habuerunt privilegium ordinandi suos Subditos, nunc nec validè, nec licitè ordinant; quia tale privilegium fuit sublatum per Tridentinum, quod solùm Abbatibus regularibus respectu suorum Monachorum concedit potestatem ordinandi, ideoque non habent amplius illi hanc potestatem, & ut bene ait Pignatelli *dicta consul.* 366. *n.* 4. hodie Prælati sæculares, si non sunt Episcopi consecrati, & conferant Ordines minores, ordinatio nulla est, quolibet privilegio non obstante; si verò tale privile-

Digitized by Google

vilegium sit obtentum post Tridentinum, servandum est quod hucusque diximus de Abbatibus regularibus. Ita Fagnanus *in cap.* 1. *de Supplen. negligen. Prælator. a n.* 22. *usque ad* 54. & Pirhing. *lib.* 1. *tit.* 11. *sec.* 1. *n.* 50.

§. SEXTUS.

DE POTESTATE ABBATIS, ET ALIORUM Prælatorum regularium respectu Religiosorum, & rerum Monasterii.

43 Dico decimò: Potestas Prælati regularis in suos subditos Religiosos duplex est. Altera dominativa, quam habet Pater in filios. Altera Jurisdictionis. Potestas dominativa, & domestica est jus imperandi Religiosis, & utendi eorum operâ in jis, quæ spectant ad Regulam; atque hæc oritur a voluntate profitentium talem Regulam, qui dum Professionem faciunt, se obligant ad obediendum Superiori in jis, quæ pertinent ad Regulam. Potestas autem Jurisdictionis, est potestas spiritualis Ecclesiastica, derivata a Christo Domino, pertinens ad claves Ecclesiæ, & ideo communicata mediante Papa Christi Vicario. Multa sunt hic discutienda. Ideo.

44 Quæritur primò, an Prælati regulares habeant Jurisdictionem ordinariam in suos Subditos regulares, & eam alteri delegare possint?

45 Respondeo affirmativè, quia competit ratione officii, ad quod sunt electi. Ita Silvester *v. Prelatus. quæst.* 1. Suarez *to.* 3. *de Relig. disp.* 10. *cap.* 11. *n.* 18. Pambutinus *de Jure Abbatum disp.* 1. *quæst.* 4. *n.* 1. & 2. Pirhing *lib.* 1. *tit.* 31. *sec.* 4. §. 1. *n.* 125. Hinc talem Jurisdictionem alteri delegare possunt, cui debeant Religiosi obedire in eorum absentia. Vicarius autem, aut Prior, aut

Digitized by Google

Minister habet eam potestatem gubernandi, quam tradit illi Regula, vel consuetudo, ideoque sive præsente, sive absente Abbate, vel Prælato, debent Religiosi obedire illi.

46 Quæritur secundò: An Jurisdictio Abbatum, & Prælatorum regularium sit quasi Episcopalis?

47 Respondeo: Abbates, & Prælati regulares exempti a Jurisdictione Episcopi, & immediatè subjecti Papæ, habent Jurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos regulares. Hi autem exempti possunt esse alicujus Diœcesis, vel nullius. Dicuntur esse alicujus Diœcesis illi, qui Territorium proprium non habent, & ideo licèt non sint de Diœcesi, idest de Jurisdictione Episcopi, sunt tamen in Diœcesi, seu Territorio Episcopi. Dicuntur esse nullius Diœcesis illi, qui Territorium proprium habent, ideoque nec sunt de Diœcesi, nec in Diœcesi Episcopi. Jam hi, qui nullius sunt Diœcesis, habent, ut diximus *n.* 31. Jurisdictionem in toto suo Territorio Episcopalem, ideoque possunt exercere omnia, quæ Episcopus in propria Diœcesi, exceptis jis, quæ spectant ad Ordinem Episcopalem. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 11. *n.* 7. Tamburinus citatus *disp.* 1. *quæst.* 5. *n.* 7. Pirhing *loco citato n.* 126. Barbosa *lib.* 1. *de Jure Eccles. cap.* 17. ubi in individuo numerat omnia, quæ possunt *a n.* 94. *usque ad finem capitis*, quæ hìc longum esset recensere, ideoque omitto, præsertim cum sint dicenda quando de Potestate Episcopi erit sermo.

48 Illi autem, qui Territorium non habent, sunt in Diœcesi Episcopi, & habent solùm in suos subditos regulares Jurisdictionem quasi Episcopalem, ut videre est apud ipsum Barbosam *a n.* 74. *usque ad* 94. non autem possunt omnia, quæ possunt Episcopi, nec nomine Episcoporum, seu Ordinariorum veniunt, cum non habeant Diœcesim. Denique qui non sunt exempti habent etiam

Digitized by Google

Jurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos Religiosos, sed subordinatam in aliquibus casibus Episcopo Diœcesano, qui ob negligentiam ipsorum, aut incuriam potest se immiscere in correctione, & punitione Religiosorum. Sicut etiam potest procedere in quibusdam criminibus gravioribus, & scandalosis. Abbas *in cap. Quanto. n. 3. de Officio Judicis Ordinarii.* Pirhing *n.* 177. Atque ita intelligendum, quod dicitur *in Can. Monasteria 18. q. 2. Monasteria, vel Monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cujus Territorio sunt cõstituta.* Nimirum in gravioribus delictis, præsertim exigentibus depositionem Prælati regularis.

49 Quæritur tertiò: An Abbates, & Prælati regulares possint excommunicare, & absolvere a Censuris suos subditos, & casus reservare, & in observatione Regulæ dispensare.

50 Respondeo posse. Colligitur *ex cap. Cum in Ecclesiis. de Majorit. & Obedien.* & *cap. Sicut. de Simonia.* Atque ita docent, Silvester. *v. Abbas. quæst. 2.* Navarrus *in Manuali cap. 27.* Azorius *par. 1. lib. 12. cap. 10. quæst. 7.* Pirhing §. 2. *n.* 128. & alii communiter. Ratio est, quia Prælati electi, & confirmati, & Abbates, etiamsi non benedicti, sunt Capita Ecclesiarum per legem constituti; ergo ab eadem lege communi habent posse punire, & coercere suos subditos per censuras. Atque hanc potestatem habent etiam Prælati regulares non exempti, ut tradit Glossa *in cap. Cum ab Ecclesiarum. de Officio Judicis Ordinarii v. Ecclesiastica Sententia.*

51 Itè possunt Monachos incarcerare, Jejuniis, & aliis pœnis punire, & ex Ordine ejicere, si fuerint incorrigibiles, ita ut non nisi emendatos debeant recipere. *cap. Ea, quæ. de Statu Monachorum.*

52 Notandum quod etiamsi Religiosus sit extra Territorium Prælati regularis, potest ab hoc excommunicari,

ri, & capi, & constringi in quocunque loco sint, quia Jurisdictio Prælatorum in suos Religiosos professos provenit ex obligatione personali ipsorum per vota secundùm approbationem Sedis Apostolicæ, ideoque in toto mundo, ubicumque sit Religiosus reus, potest a suo Prælato puniri.

53 Quòd autem possit absolvere a censuris, & peccatis a Jure non reservatis suos subditos, vel alteri Sacerdoti dare hanc potestatem, sicut & casus sibi reservare, est certum apud omnes, eò quia sunt Ordinarii respectu Religiosorum.

54 Notandum tamen, quod Provincialis potest absolvere excommunicationem, vel casus reservatos Prælato locali, & Generalis reservatos Provinciali; quia Generalis suam Jurisdictionem æquè immediatè habet in subditos religiosos, ac Provincialis, & hic ac Prælatus localis. Nec requiritur appellatio, quia Jurisdictio inferiorum Prælatorum regularium dependet in fieri, & conservari a Jurisdictione Prælatorum superiorum. Non sic accidit quando subditus Episcopi est excommunicatus ab ipso, qui non potest absolvi ab Archiepiscopo, nisi in casu appellationis, quia Jurisdictio Episcopi in illum subditum non pendet a Jurisdictione Archiepiscopi, nec Archiepiscopus habet Jurisdictionem immediatam in illum subditum Episcopi sui suffraganei, sicut habet Provincialis in Religiosum talis Monasterii.

55 Notandum secundò quo ad reservationem Casuum, quod Clemens VIII. *in Constit. quæ incipit: Ad futuram rei memoriam. die 26. Maii* 1593. restrinxit numerum casuum reservatorum Prælatis regularibus, sed non abstulit potestatem reservandi alios casus, sed voluit, ut reserventur cum consensu Capituli Provincialis, vel Generalis. Cum hoc autem stat, quod possit Superior sine Capitulo reservare excommunicationem annexam ipsi fa-

so facto alicui peccato, quia sic non reservatur per se culpa, sed censura, quamvis per accidens censeatur peccatum reservatum. Ita Pirhing *n.* 132. Tamburinus *de Jure Abbatum to. 2. disp. 13. quæst. 3. n.* 1. & alii. Hæc autem reservatio cessat mortuo, vel deposito Prælato reservante, quia censetur facta per modum præcepti, non per modum statuti, dum non accessit consensus Capituli.

56 Denique Abbas, seu Prælatus regularis potest cum suis Subditis dispensare in observatione regulæ, quatenus est ipsi a Regula, vel Privilegio, vel consuetudine concessum; non tamen in jis quæ pertinent ad habitum, aut observationem trium votorum. Azorius citatus *quæst.* 16. Pirhing *n.* 132. Potest similiter dare licentiam alicui Monacho, ut in cella separata seorsim ab aliis Monachis vivat ob justam causam. *Can. Monachum.* 20. *quæst.* 4.

57 Quæritur quartò, an Abbas, & Prælatus regularis habeat liberam Monasterii administrationem tum in spiritualibus, tum in temporalibus?

58 Respondeo habere; imò ad ipsum spectat de Jure communi corrigere Monachos, & ordinare, quæ faciunt ad cultum divinum, & dispensare bona temporalia Monasterii in utilitatem ipsius. Ita Abbas Panormitanus. *in Cap. Reprehensibilis. n.* 11. *de Appellationib.* & *in Cap. Edoceri. n.* 2. *de Rescriptis.* Suarez *to.* 4. *de Religione trac.* 8. *cap.* 26. *n.* 2. Conitat *ex Can. Nullam.* 18. *quæst.* 2. ibi: *Universa, quæ vel ad divini cultus reverentiam, vel ad utilitatem Monasterii pertinent, Abbatis sollicitudo, ad quem tota potestas pertinere convenit, debeat adimplere*: ubi Glossa *v. Tota.* ait, quod tota potestas ita sit Abbatis, ut non pertineat ad Monachos, hæc constat *ex Can. Nolite dicatis* §. *Cum hujus.* 12. *quæst.* 1.

59 Notandum, quod hæc dicta intelliguntur, attento Jure communi; nam si per consuetudinem, aut statuta Reli-

Religionis, non possit Abbas, aut Prælatus regularis aliquas dispositiones facere sine consensu Capituli, aut majoris partis Religiosorum, ita servandum est. Sicut etiam in his Religionibus, in quibus tota potestas administrationis pendet a Generali, debent Superiores locales se gerere, prout eis permittitur. Laymã *in Supradictum Cap. Edoceri. de Rescript. n.* 7. Pirging *lib.* 1. *tit.* 31. *n.* 135. *in fine.*

§. SEPTIMUS.

DE RELIQUIS PERTINENTIBUS AD ABBATES, nempe de usu Mitræ, Baculi, Baldachini, & Mozzettæ; & de Potestate consecrandi Calices, Patenas, & Campanas, & degradandi Clericos.

60 HAbent ex privilegio Summorum Pontificum Abbates Cassinenses, & alii facultatem deferendi Mozzettam, Manuellectum, Birretum clericale, & Pileum more Prælatorum, retento tamen habitus proprii colore. Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 17. *n.* 56.

61 Debet Abbas habens Jus deferendi insignia pontificalia, præcedere alios hoc Jus non habentes, & in Processione omnes alios Regulares mendicantes. Videatur Pignatelli *to.* 1. *Consult.* 104. ubi de præcedentia Monachorum supra Mendicantes plura scribit, & refert.

62 Usus Baldachini concessus fuit Abbatibus Cassinensibus, & Olivetanis celebrantibus in tribus anni solemnitatibus, in quibus possunt habere duos Diaconos, & Presbyterum assistentes, Subdiaconum, & Diaconum cantantes Epistolam, & Evangelium, & alios sex Ministros, quorum duo cum pluvialibus, duo cum planetis, duo

duo cum cunicellis. Barbosa *loco citato n.* 59.

63 Possunt Abbates benedicere paramenta sacra, & Pixides, & ex specialibus privilegiis, ut declaratum fuit a Sacra Congregatione Concilii *die* 10. *Septembris* 1614. quam refert Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 13. *n.* 64. etiam Calices consecrare, altaria, & campanas, in quibus Unctio adhibetur. Hæc privilegia specialia referuntur a Tamburino *de Jur. Abbat. tom.* 1. *disp.* 23. *quæs.* 2. *usque ad* 14. Reliqui Abbates non habentes speciale privilegium, sive sint benedicti, sive privilegium habeant, ut exerceant Pontificalia, ac si essent benedicti, non possunt ea, in quibus Unctio requiritur, benedicere, ex Decreto, quod affert Barbosa *n.* 63.

64 Quæres hic an usus Pontificalium liceat solùm Abbatibus in propriis Ecclesiis?

Respondeo etiam licere in Ecclesiis exemptis, & præcipuè Regularium; unde si alii Regulares invitant Abbatem, poterit hic in eorum Ecclesiis in Pontificalibus celebrare sine licentia Episcopi, quæ tamen requiritur in Ecclesiis non exemptis. Hæc autem doctrina intelligitur, quoties privilegium utendi Pontificalibus non est restrictum, sed absolutum; si enim sit pro sola, & dumtaxat Ecclesia propria, certum est quod non possit in alia pontificaliter Abbas celebrare. Pignatelli *tom.* 4. *Consult.* 106. *n.* 4. & *n.* 7. addit, quod usus Baldachini sit restrictus ter in anno, non autem celebrare Missas Pontificales.

65 Denique a Tridentino *sess.* 13. *de reform.. cap.* 4. conceditur Abbatibus habentibus usum mitræ, & baculi, quod possint substitui loco Episcoporum in degradatione Clericorum, ut dicetur suo loco.

§. OCTAVUS.

DE OBLIGATIONIBUS ABBATUM.

66 MUlta præcipiuntur Abbatibus a Sacris Canonibus. Et primò quidem tenentur Abbates

Digitized by Google

bates ad Synodum Diœceſanam, aut Provincialem, accedere, ſi curatas Eccleſias habenr. Quod ſi ſint exempti, & populum non habent, non tenentur venire. Gloſſa *v. Diœceſana. in cap. Quod ſuper his. de Major. & Obedien.* Hodie autem ex Tridentino *ſeſſ. 24. de Reform. cap. 2.* Abbates, qui ſi non eſſent exempti, deberent accedere ad Synodum Diœceſanam, ideſt illi, qui populum habent, hi enim ſunt, qui ſi non eſſent exempti, deberent venire; Hodie inquam ex Tridentino, iſti etiamſi ſint exempti, debent accedere.

67 Secundò debent Abbates viſitare Monaſteria ſibi ſubjecta. Trident. *ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 20.*

68 Tertiò tenentur curare ut in Monaſterio habeatur lectio Sacræ Scripturæ. Tridentinum *ſeſſ. 5. de Refor. cap. 1. ver. in Monaſteriis quoque Monachorum*, ubi ſic; *Qua in re ſi Abbates negligentes fuerint Epiſcopi locorum in hoc, ut Sedis Apoſtolicæ Delegati, eos ad id opportunis remediis compellant.*

69 Quartò tenentur circa Monachos ſuos adhibere eam curam, quæ neceſſaria eſt, ut eorum vita ſecundum ſtatuta Sacrorum Canonum dirigatur.

70 Quintò prohibetur Abbatibus imponere novas peſiones, aut augere veteres in beneficiis Subditorum. *cap. Prohibemus. de Cenſib. Clemen. unica de Suppl. Neglig. Prælat.*

71 Sextò prohibetur ipſis ne ſine conſenſu Capituli præſentent Clericos in Eccleſiis, in quibus habent Jus Patronatum. *cap. Ea noſcitur. de His quæ fiunt a Prælat. &c.*

72 Septimò prohibetur ipſis ne aliquem ſuſcipiant de Sacro Fonte. *Can. non liceat Abbati. de Conſec. diſt. 4.*

73 Octavò prohibetur ipſis ne cauſas matrimoniales cognoſcant, ne publicas pœnitentias injungant, ne indulgentias concedant. *cap. Accedentibus. de exceſſib. Prælat.* Excipe illos Abbates, qui ſpeciali conceſſione, vel legitima conſuetudine talia poſſunt.

§. NO-

Digitized by Google

§. NONUS.

DE ABBATISSIS.

74 ABbatissa idem sonat, ac Mater, quæ Monialibus præficitur. Ea ferè habet eandem administrationem rerum Monasterii, quam habent Abbates. Panormitanus *in cap. Continebatur. de Iis quæ fiunt a Prælatis. n.* 4. Plura de Abbatissis breviter resolvemus.

DE QUALITATIBUS ABBATISSARUM, earunque Electione.

75 ABbatissa debet esse expressè Professa, & annorum 30. ex Jure communi. *cap. Indemnitatibus de Elect. in 6.* ibi: *Nec in Abbatissam, aut Priorissam,* [*ubi per Priorissam Monasterium gubernatur*] *de cætero eligatur aliqua, nisi trigesimum annum compleverit, & expressè professa fuerit ordinem Regularem.* Nunc verò ex Tridentino *sess.* 25. *de Regul. & Monial. cap.* 7. requiritur in Abbatissa quod non sit minor annis 40. & quæ vixerit laudabiliter octo annis post expressam professionem. Concedit autem Sancta Synodus, quod si in Monasterio non sit quæ habeat prædictas qualitates, eligatur Abbatissa ex alio Monasterio ejusdem Ordinis; vel si hoc Episcopo, vel alteri Superiori videatur incommodum, possit eligi de consensu ipsius Episcopi, vel Superioris, ea, quæ 30. annum compleverit, & quinque annos post Professionem vixerit in Monasterio. Nulla autem potest præfici duobus Monasteriis.

76 Requiritur secundò, ut sit legitima *cap.* 1. *& cap. finali. de Filiis Presbyterorum*, quia officium Abbatissæ est dignitas, ut ait Abbas *in cap. de Multa n.* 21. *de Præben.*

Digitized by Google

ben. & cap. Quia propter. n. 8. de Elect. Præterea eadem ratio propter quam excluduntur masculi illegitimi a Prælaturis, militat contra fœminas, nimirum timor imitandi incontinentiam paternam. Atque ita docent Fragosus par. 2. lib. 2. disp. 24. §. 6. n. 3. cum aliis ab ipso relatis, & cum Glossa in dictum cap. Indemnitatibus. v. Canonica. de Elect. in 6.

77 Non posse Episcopum in illegitimitate dispensare, est communis sententia, nec Monialis fit habilis ad Prælaturam per Professionem religiosam, ut docet Navarrus in Manuali cap. 27. n. 21. ver. quod in hac Irregularitate, ubi ait: non tamen ut possit esse Prælatus, aut Prælata & Vallensis lib. 1. tit. 17. n. 3. Ideoque debet peti a Papa dispensatio, aut si fuerint Moniales subjectæ Generalibus, aut Provincialibus Mendicantium, poterit Generalis, aut Provincialis de consensu Capituli dispensare, sicut potest cum Religiosis viris, ut supradictum fuit n. 16. ex Constitutione Gregorii XIV.

78 Emmanuel Rodericus tom. 1. quæst. 13. art. 22. admissâ hac sententiâ, docet respectu Monialium non requiri consensum Capituli, sed posse Generales, & Provinciales dispensare, non obstante Constitutione Sixti V. & Moderatione Gregorii XIV. hoc dicit, admissa hac sententia, quia art. 21. antecedenti sustinet, quod Moniales illegitimę possint sine dispensatione esse Abbatissę, quia totus titulus de Filiis Presbyterorum loquitur de viris, quorum appellatione in odiosis fœminæ non comprehenduntur. Sic ipse. Sed non assentior, quia Juribus Ecclesiasticis subjacent non minus viri, quam fœminæ, & quod illegitimæ debeant excludi a dignitate Abbatissæ docent gravissimi Doctores. Videatur Fagnanus in cap. Ut Filii. de Filiis Presbyterorum a n. 25. usque in finem, ubi fusè, & eruditè hanc quæstionem exagitat, an scilicet Monialis illegitima eligi possit in Abbatissam.

89 Re-

Digitized by Google

79. Requiritur tertiò per aliquos, quod sit Virgo. Verùm non videtur necessarium, nisi ubi esset consuetudo, quod Abbatissæ consecrentur velo virginitatis, juxtà *Can. Juvenculas. 20. quæst. 1.* Atque ita docet Fragosus *n. 4. ver. Nihilominus*. Neque ullus extat textus, quo probari possit Abbatissas, quæ non solent consecrari Virginitatis velo, debere esse virgines. Verùm tamen est, quod si Monialis fuerit Bigama, non possit esse Abbatissa; quia sicut viri bigami non sunt capaces Prælationis, aut Dignitatis; ita nec fœminæ. Atque ita docent plures, quos refert, & sequitur idem Fagnanus *ibidem.*

80 Circa electionem Abbatissæ, servanda est forma Tridentini *sess. 25. de Regul. & Monialibus cap. 6. & 7.* nimirum sicut in electione Abbatum, aliorunque Superiorum regularium, ita & in electione Abbatissarum, aliarunque Præpositarum debent vota esse secreta, itaut singulorum eligentium nomina, nunquam publicentur. Præterea non licet vota absentium supplere. In Electione verò Abbatissæ non potest Episcopus, vel alius Superior, qui præest, ingredi Claustra Monialium, sed debet ante fenestellam Cancellorum vota singularum Professarum audire, vel accipere. Item ex Declaratione Sacræ Congregationis relatæ in Constitutionibus Synodalibus sub Illustrissimo Archiepiscopo Panormitano D. Jacobo Palafox, & Cardona *part. 4. cap. 6. n. 130.* in electione Abbatissæ Monialium subjectarum Regularibus, debet assistere unà cum Superiore regulari Archiepiscopus, vel alius ab eodem deputatus, ac proinde debet ipse Archiepiscopus certior fieri de die Electionis. In reliquis servandæ sunt Constitutiones singulorum Ordinum, vel Monasteriorum, & præcipuè Constitutio Gregorii XIII. quæ incipit: *Exposcit debitum. die 1. Januar. 1583. tom. 2. Bullarii pag. 463.* per quam prohibetur in Italia, & utriusque Siciliæ Regnis, eligi in Abbatissam eam, quæ

Digitized by Google

quæ per triennium non vacaverit a gubernatione Monaſterii.

§. DECIMUS.

DE POTESTATE ABBATISSARUM.

81 ABbatiſſæ non habent propriè ſpiritualem, & eccleſiaſticam Jurisdictionem, ideoque nec excommunicare, nec abſolvere a Cēſuris poſſunt, nec ſtatutum, aut legem condere. Conſtat ex communi Conſenſu Theologorum,& Canoniſtarum cum Gloſſa. *in cap. Dilecta de Major. & obedientia. ver. Jurisdictioni*. Mulier enim non eſt capax poteſtatis Clavium, quam Chriſtus Dominus non ejus Beatiſſimæ Matri Apoſtolorum Reginæ, ſed Petro dedit; ut notatur *in cap. Nova quædam. de pœnit.& Remiſſion.*

82 Habet tamen Abbatiſſa Jurisdictionem talem, qualem, ut ait Gloſſa *ibidem*, nimirum ex conceſſione Apoſtolica, & Prælatorum Eccleſiæ, per quam poteſt Beneficiarios inſtituere in propriis Eccleſiis pleno Jure ſibi ſubjectis, ſuſpendere ab officio, & beneficio, ſi ſibi obedientiam, & reverentiam non præſtent. Abbas *in cit.cap. Dilecta. n.* 2. Azorius *par.* 1. *lib.* 13. *cap.*10. *quæſt.* 5. Pirhing. *lib.*1. *tit.* 31. *ſec.* 4. §. 3. *n.* 136. Gonzalez Tellez *lib.*1. *Decretal. tit.* 33. *de Majorit. & Obedient. cap.* 12. *a n.*5. ubi adductis Juribus,& Doctoribus traditam doctrinam fusè probat.

83 Non ſolum habere Abbatiſſam poteſtatem dominativam in ſuas Moniales tanquam Matrem familias, ſed etiam poteſtatem ſpiritualem, per quam ipſa poſſit præcipere Monialibus in virtute Sanctæ obedientiæ docet Pirhing *n.* 137. ubi citat Azorium, & Suarez. & ratio eſt quia Abbatiſſa habet tale officium, ratione cujus Moniales ex vi Profeſſionis tenentur ei obedire; ergo ipſa præcipere poteſt, quoties opus fuerit in virtute

Digitized by Google

te sanctæ Obedientiæ. Contrariam tamen sententiam docent Rodericus *tom.* 1. *quæst.* 15. *art.* 1. Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 1. *n.* 21. & 30. Fragosus *part.* 2. *disp.* 24. *lib.* 11. §. 6. *n.* 7. Diana *par.* 5. *tract.* 9. *resol.* 16. cum pluribus aliis, qui volunt, quod licèt Moniales teneantur obedire Abbatissæ ex vi voti, & professionis emissæ, & quoties ipsa præcipit in materia gravi, teneantur obedire sub gravi, tamen non potest Abbatissa, sicut potest Abbas in virtute sanctæ obedintiæ præcipere, quia præcepta sic injungere competit solis Prælatis, qui potestate spirituali gaudent. Utrinque probabiliter disputatur.

84 Denique circa res temporales Monasterii, & circa observantiam Regulæ habet Abbatissa eam potestatem, quam Abbas habet in suo Monasterio. Fragosus *n.* 13. Unde potest Monialium acceptare professionem. Sanchez *lib.* 5. *Moral: cap.* 4. *n.* 76. *cum pluribus aliis*: dispensare cum ipsis in Jejuniis, & esu carnis, & omnia alia, quæ potest Abbas respectu Monachorum. Gonzalez Tellez cum pluribus *in cap. Dilecta de Majorit. & Obedient. n.* 8.

85 Notandum tamen, quod quamvis sine consensu Episcopi, vel Superioris possit cum consensu Monialium admittere Novitias, & ad professionē promovere, attento Jure communi, tamen standum est praxi, & consuetudini receptæ, & Constitutionibus Synodalibus, non admittendi Novitias, nec eas sine consensu Episcopi, vel Superioris ad Professionem promovendi. Fragosus *ibidem. n.* 11.

CAPUT SEPTIMUM.

DE EPISCOPIS, EORUNQUE VICARIIS.

1 ORdo Episcoporum *ex Can. Cleros. & Clericos. dist.* 21. quadripartitus est, nimirum in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, seu Metropolitanos,

Digitized by Google

tanos, & Episcopos. Nos in hoc Cap. de Episcopis, eorunque Vicariis, in sequenti de Archiepiscopis, seu Metropolitanis, Primatibus, & Patriarchis. Quia tamen omnes in ordine Episcopali sunt pares, quæ dicentur de Episcopis, dicta intelliguntur de aliis. Quæ sunt particularia Archiepiscoporum &c. Addentur in sequenti Capite.

§. PRIMUS.

DE SUPERIORITATE EPISCOPI QUO AD Ordinem, & Jurisdictionem supra cæteros Presbyteros.

2 Episcopus dicitur a Verbo Græco *Epi*, & *Scopos*, seu *Scopi*, quasi super intendens. *Epi* enim significat *Supra*, & *Scopi*, intendere. Super intendit igitur Episcopus Clericis, & Laicis. *Can. Qui Episcopatum* 8. *quæst.* 1. & *Can. Cleros. dist.* 21. ubi etiam nomen *Episcopus* Speculator interpretatur, quia mores Subditorum debet advertere, & corrigere. Unde si negligens fuerit, est in statu peccati, & vocatur Canis impudicus, magis quàm Episcopus. *Canone Qui nec regiminis.* 2. *quæst.* 7. Multa nomina, quibus honoris causa Episcopi sunt appellati, refert Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccles. cap.* 8. *a n.* 27. *usque ad* 64. nimirum Præsul, quia præsidet. Antistes, quia stat contra Hæreticos. Pontifex quia plura potest facere, ut Superior in rebus sacris. Jam posita explicatione nominis.

3 Dico: Episcopus tam in potestate Ordinis, quàm Jurisdictionis est Superior omnibus Presbyteris. Probo, quia licèt Christus Dominus Petrum constituerit Caput Ecclesiæ, ut dicetur de Summo Pontifice, tamen adhuc distinxit alios gradus inferiores Petro, & superiores aliis, ita

Digitized by Google

ita ut cum ipso Petro fungerentur pastorali officio; nam constituit primò Apostolos, secundò Discipulos, & ideo in locum Apostolorum successerunt Episcopi, & in locum Discipulorum Presbyteri, ut dicitur *in Can. In novo. dist.* 21. & *Can. Quorum vices. dist.* 68. Atque ex Tridentino *sess.* 23. *Can.* 7. de fide est, Episcopos esse Presbyteris superiores.

4 Sunt autem Superiores in potestate Ordinis, quia Episcopus ratione Ordinis Episcopalis potest Ordines conferre, & Confirmare Baptizatos. Est igitur Ordo Episcopalis superior Sacerdotali, non in ordine ad verum Corpus Christi, quia in hoc sunt omnes æquales, sed in ordine ad misticum Corpus Christi, nempe Fideles, supra quod potest prædictos actus exercere, quos non potest Sacerdos.

5 Hinc in Ecclesia Ordo Episcopalis est maximus, cum non detur major illo, nec Papa est quo ad Ordinem Episcopalem major reliquis Episcopis. Sunt tamen in Ecclesia Dignitates majores Episcopatu, ut Cardinalatus, & Papatus.

6 Sunt etiam quo ad potestatem Jurisdictionis Episcopi superiores Presbyteris. Quia Episcopi habent potestatem ordinariam condendi leges, & regendi subditos, quam non habent Sacerdotes. Est autem hæc potestas Jurisdictionis in Episcopis ordinaria, non delegata, quia competit ipsis ratione sui officii: hanc potestatem ordinariam habet Episcopus in communi, nimirum præscindendo ab hac, vel illa persona particulari, quæ eligitur in Episcopum, ab ipso Christo, ut docet cum Cardinali Bellarmino, & Suarez, Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccles. cap.* 8. *n.* 18. quia ut ait Apostolus *ad Ephesios* 4. & 1. *ad Chorint. cap.* 12. *Posuit Christus in Ecclesia Pastores.* (idest Episcopos,) *& Actorum* 20. *Posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*; ergo Christus ita or-

Digitized by Google

dinavit Ecclesiam, ut Petrus, ejusque successores per Episcopos gubernarent Ecclesiam; ideoque Episcopus, ut sic, habet a Christo Jurisdictionem ordinariam, nec potest mutari in Ecclesia hic ordo gubernandi per Episcopos, ita ut nullus sit Episcopus, nisi solus Papa, ut bene probat P. Suarez *to. 4. in 3. par. disp. 25. sec. 1. a n. 7.*

7 Dixi Episcopus in communi, quia munus Episcopale, prout in tali, vel tali persona, respectu horum, vel illorum Subditorum, non est de Jure Divino, sed pendens ex voluntate Papæ, per quam id munus immediatè habetur cum tali Jurisdictione; omnis enim Jurisdictio in particulari est derivata a Papa. Atque ita ipse Suarez citatus *n.* 10. & alii multi, quos citat, & sequitur Barbosa *n.* 9. Tota hæc doctrina reducitur ad hoc, nimirum, quod in Ecclesia sint Episcopi Pastores animarum, est immediatè a Christo; quod autem hic, vel ille sit Episcopus, & talem Jurisdictionem habeat, est a Papa. Habet autem potestatem ordinariam Episcopus, etiã ex hoc capite, quia nimirum est secundum ordinem Regiminis rectum; ordo autem rectus poscit, ut Summus Pontifex non retineat apud se omnem Jurisdictionem, sed etiam communicet aliis Jure ipsius officii competentem. Atque ita Episcopus Jure suo, seu Jure ecclesiasticæ Dignitatis, & Præfecturæ, propriam Jurisdictionem habet, ideoque ordinariam.

8 Fusè agitat hanc quæstionem, an scilicèt Episcopi Jurisdictionem habeant immediatè à Christo, an verò a Papa, Fagnanus *in lib. 1. Decretal. Cap. Pernicios. fam. de offic. Judic. ordinar. a n. 28. usq; ad* 55. & totus est in probando, quod Episcopi non a Christo immediatè accipiant Jurisdictionem; quia inter Christum conferentem, & Episcopum accipientem Jurisdictionem, intermediat Papa accipiens a Christo, & conferens Episcopo. Hoc ipsum dicimus, quod quisque Episcopus in particulari acci-

Digitized by Google

accipiat a Papa Jurisdictionem; solùm volumus quod a Christo est, ut in Ecclesia sint Episcopi Jurisdictionem ordinariam habentes communicatam a Papa; ita ut Papa non possit omnes Episcopos tollere, & remanere ipse solus. Videatur Pirhing *lib. 1. Decretal. tit. 31. sec. 3. §. 1. a n. 29.* ubi etiam hanc quæstionem agitat, & concludit Jurisdictionem ordinariam, in generali, Episcopalem esse a Christo, in particulari autem, a Papa.

§. SECUNDUS.

DE REQUISITIS IN EO, QUI EST EPISCOPUS ELIGENDUS.

9 NOn loquor hìc de ipsa Electione, & Confirmatione Episcopi, de quibus *in 2. lib. de Beneficiis*, ubi de modo, quo acquiruntur, erit, favente Deo, agendum. Solùm nunc qualitates Episcoporum exponam; multa enim requiruntur in eo, qui Episcopus est eligendus, præter omnia illa, quæ in reliquis requiruntur, ut fiant Sacerdotes, de quibus suis locis.

10 Dico primò, requiritur ætas 30. annorum completorum. *cap. Cum in cunctis. de Elect.* ibi: *Nisi qui jam ætatis suæ annum trigesimum exegerit.* Et Gregorius XIV. in Constit. quæ incipit: *Onus Apostolicæ §. 9. Idibus Maii.* & quamvis aliqui putent, quod Episcopus ordinatus ante 30. annum completum, sit suspensus, adeoque si celebret, sit Irregularis; Suarez tamen *to. 5. in 3. par. disp. 31. sec. 1. n. 29.* sustinet oppositum, & quidem probabiliùs, quia licèt Episcopatus sit Ordo, tamen ejus Collatio dicitur potiùs Consecratio, quàm Ordinatio; & præterea, quia *ex cap. Quia periculosum de Sent. Excomm. in 6.* Suspensio generatim lata, non comprehendit Episcopos, nisi fiat eorum specialis mentio.

Digitized by Google

11 Dico secundò, requiritur, ut sit de legitimo Matrimonio natus. *dicto cap. Cum in cunctis. de Elect.* & *cap. Innotuit. eodem.* & Gregorius XIV. in supradicta Constitutione; quod si quis fuerit per subsequens Matrimonium legitimatus potest eligi in Episcopum, ut docet Covarruvias, Azorius, & alii multi, quos citat, & sequitur Barbosa *lib. 1. Jur. Eccles. cap. 8. n. 107.* & *de Officio, & potest. Episcop. par. 2. allegat. 1. n. 33.* & Suarez *to. 5. in 3. par. disp. 50. sec. 5. n. 10.*

12 Dico tertiò, requiritur, ut saltem per sex menses fuerit in sacro Ordine constitutus ex Tridentino *sess. 23. de Reform. cap. 2.* adeoque sufficit, quod sit Subdiaconus, ut eligatur in Episcopum, quod dicitur *in cap. A multis. de Ætat. & qualit. & Ordine Præficiend.* sed quia Gregorius XIV. in Constitutione citata non dicit *in sacro*, sed *in sacris Ordinibus*, ideo Barbosa cum aliis *dicto cap. 8. n. 109.* putat quod debet ante sex menses esse Sacerdos, ut possit quis eligi in Episcopum, aut saltem Diaconus, juxta *Can. Nullus in Episcopum dist. 60.*

13 Dico quartò, requiritur Doctrina, adeoque debet examinari, ita ut non suffragetur Privilegium Doctoratus in sacra Theologia, vel Jure Canonico, ex dicta Constitutione Gregorii XIV. §. 9. & ex Decreto Clementis VIII. quo ad Episcopatus Italiæ debet examinari Romæ, coram Pontifice Maximo, & Cardinalibus Sacræ Congregationis, & aliorum Prælatorum, & gravium virorum; quo ad verò Episcopatus Hispaniæ, & Galliæ coram Cardinalibus legatis existentibus, vel si non sint Legati Sedis Apostolicæ, coram Nunciis ejusdem Sedis, & aliis de speciali mandato assistentibus viris.

14 Dico quintò, requiritur, ut eligendus in Episcopum sit de Parentibus Catholicis natus ex eadem Constitutione Gregorii XIV.

15 Dico sextò, requiritur ex eadem Constitutione, quod

Digitized by Google

quod sit in functionibus ecclesiasticis versatus, sit fidei puritate, vitæ integritate, & usu rerum præditus, & bonum testimonium suarum actionum habeat. Tridentinum *sess. 6. de Reform. cap. 1. & sess. 24. de Reform. cap. 1.*

16 Ex quibus Laicus non potest eligi in Episcopum. *Can. Hoc ad nos. dist. 59.* & *Can. Miramur dist. 61.* & *Can. Statuimus. §. His omnibus.* & *Can. Miserum. eadem dist.* Habemus autem ex sacris historiis Sanctum Nicolaum, & Sanctum Severum fuisse ex laicatu ad Episcopatum assumptos, & Sanctum Ambrosium, etiam Neophytum, sicut etiam Sanctum Martinum, & Sanctum Augustinum, & ideo dispensari solet cum Laicis, & Neophytis, ut possint fieri Episcopi propter merita personalia, aut propter utilitatem Ecclesiæ, vel necessitatem, sicut quo ad ætatem, & literaturam, & Ordines Sacros, legitur dispensatum. *cap. Cum nobis de Electione in fine.* ibi: *Et ideo propter urgentem necessitatem, & evidentem utilitatem Ecclesiæ Capuanæ &c.*

17 In dubium vertunt Authores, an habens filios, possit in Episcopum eligi, & tenenda est sententia Barbosæ *lib. 1. Jur. Eccles. cap. & n. 120.* quod possit, quia textus, qui adducuntur in oppositum, non probant de habente filios ex legitima Uxore unica, & Virgine. Videatur dictus Barbosa. Item an qui vovit Religionem, possit in Episcopum eligi. Et dicendum quod licèt Religiosus, etiam Professus possit fieri Episcopus, ut dicetur cum de Religiosis, tamen qui vovit Religionem, nisi priùs in eam ingrediatur, non potest fieri Episcopus, quia ponit impedimentum executioni voti, adeoque peccat, & debet dispensari in voto, ut Episcopatum acceptet. Ita Sanchez cum aliis *in præcepta Decalogi tom. 1. lib. 4. cap. 17. n. 5.*

18 Denique jussu Urbani VIII. emanavit instructio de processu faciendo inquisitionis super qualitates eorum,

rum, qui promovendi sunt ad regimina Cathedralium Ecclesiarum, de quo processu videri potest Barbosa *lib. 1. Juris Eccles. cap. 8. a n. 141. usque ad Caput nonum.*

§. TERTIUS.

DE OBLIGATIONIBUS EPISCOPORUM.

19 DIco primò. In ordine ad se ipsum debet Episcopus esse omni virtute præditus, ut sit exemplar Subditorum, dicente Apostolo 1. *ad Thimot. 3. oportet Episcopum irreprehensibilem esse* & *ad Titum 2. In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum*. Multi Canones hac de re habentur *dist. 35.* & *44.* in quibus qualis debeat esse vita, & honestas Episcopotum exprimitur.

20 Dico secundò. In ordine ad alios tenetur 1. Curare Episcopus, ut omnes subditi fidem suscipiant, si est in terris Infidelium; Si verò in terris Fidelium, tenetur facere, ut omnes sciant mysteria Fidei, & illis explicentur. *Can. Ante Baptismum. de Consecr. dist. 4.* & Tridentinum *sess. 24. de Reform. cap. 4.* ibi: *Saltem Dominicis, & aliis festivis diebus Pueros in singulis Parochiis Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & Parentes diligenter ab jis, ad quos spectabit doceri curabunt, & si opus sit, etiam per Censuras Ecclesiasticas compellent.*

21 Secundò tenetur curare, ne laici publicè, vel secretè disputent de Fide Catholica, & ne ejus subditi labantur in Hæresim; sunt enim Episcopi in crimine Hæresis, Judices ordinarii, & quidem jure divino, ut benè ostendit, multis Doctoribus citatis, Fragosus *tom. 2. par. 2. lib. 5. disp. 13. §. 4. a n. 41.* Quamvis in exemptos ab eorum Jurisdictione, sint potiùs Delegati, quàm Ordinarii. Verùm de Sancto Inquisitionis Tribunali in Hispania erecto, & aliis Inquisitoribus delegatis a Papa, satius age-

Digitized by Google

agemus, Deo favente, in libro tertio de Judiciis, delictis, & pœnis, ubi sermo erit de crimine Hæresis. Similiter ne fiant inanes, & periculosæ disputationes de eadem Fide. *cap. Quicunque. §. Inhibemus. de Hæreticis in 6.*

22 Tertiò debet curare ne Prædicatores in suis concionibus prædicent fabulas, aut falsas revelationes, & tales Prædicatores ipse Episcopus potest rigorosè punire. Tridentinum *sess. 4. in fine* ibi: *Ut omnes hujus generis homines temeratores, & violatores verbi Dei, Juris, & arbitrii pœnis per Episcopos coërceantur.*

23 Quartò curare debet, ne libri imprimantur de rebus sacris sine nomine Authoris, & sine ejus approbatione. Concilium Lateranense *sess. 10. de Impress. librar.* & Tridentinum *sess. 4. in Decreto de Editione, & usu sacrorum librorum* ibi: *Nisi priùs examinati, approbatique fuerint ab Ordinario.*

24 Quintò tenetur nova miracula recognoscere, & approbare, & Imagines, ac Reliquias Sanctorum, antequam exponantur venerationi Fidelium recognoscere, & approbare. Tridentinum *sess. 25. de Invocat. Venerat. & reliquiis Sanct. & Sacris Imaginibus* ibi: *Nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare Imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova Miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo.*

25 Sextò tenetur curare, ne Sacerdotes celebrent extra Ecclesiam, aut locum Sacrum ad Missæ Sacrificium specialiter deputatum, & ut debitis horis celebrent. Item ne cui vago Sacerdoti permittat celebrare. Item ne in Ecclesiis misceatur quid impurum in jis, quæ Musici canunt. Tridentinum *sess. 22. in Decreto de observandis, & vitandis in celebratione Missæ* ibi: *Decernit Sacra Synodus, ut Ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere &c.*

26 Sep-

Digitized by Google

26 Septimò tenentur Episcopi curare ut divina officia, & Horæ Canonicæ suis horis celebrentur. *Clement.* 1. *de Celebrat. Missar.*

27 Octavò tenentur Verbum Dei sive per se ipsos, sive per idoneos Prædicatores annunciare, & quidem cessante impedimento tenentur per se ipsos ex præcepto divino, Tridentinum *sess.* 5. *cap.* 2. & *sess.* 24. *cap.* 4. & *sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* quia prædicatio est præcipuum munus Episcopi. *Can. Episcopus. dist.* 88. Si autem fuerit impeditus Episcopus, debet alios destinare, ut dicit idem Tridentinum *dicta sess.* 5. *cap.* 2.

28 Nonò tenentur Sacramenta ministrare suis ovibus, & præcipuè Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, quæ Jure divino propria sunt Ordinis Episcopalis. De his autem, quæ debet Episcopus servare in conferendis talibus Sacramentis, loquemur, cum de iisdem Sacramentis, Deo dante, erit sermo *in 2. libro.* Nunc verò dico, quod Episcopus non debet negligenter multo tempore omittere Confirmationis Sacramentum subditis conferre, quia sic peccat, ut docet Toletus, & Marcus Antonius Genuensis, quos citat, & sequitur Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccles. cap.* 9. *n.* 40. Dico item quod in aliis Sacramentis ministrandis concurrit Episcopus cumulativè cum omnibus Parochis, aliisque Curatis, ita ut etiam ipse vel ejus Vicarius Generalis Diœcesanis omnibus ministrare possit, cum sit Ordinarius, & principalis Pastor totius Diœcesis, quæ est Parochia Episcopi, ut ait Glossa *in Clement.* 1. *ver. Presbyteri. de Privilegiis*, & sit Parochus universalis omnium existentium in sua Diœcesi cum tota sit ejus Parochia, ut *ex cap. Apostolicæ. de Donationibus* ait Pignatelli *tom.* 4. *Consult.* 17. *n.* 39.

29 Decimò tenetur Episcopus curare, ut a Ministris idoneis Sacramenta ministrentur, & cum debito ritu, & præcipuè ut Sanctissima Eucharistia cum honore conserve-

servetur, & deferatur ad infirmos. *cap. Sanè. de Celebrat. Missar.* ibi: *Præfati autem hujusmodi mandati (nimirum de Conservanda, & deferenda ad Infirmos Eucharistia) graviter punire non differant transgressores, si velint divinam, & nostram effugere ultionem.*

30 Undecimò tenetur Episcopus victum pauperibus largiri, & Viduarum, & Orphanorum curam paternam gerere. Tridentinum *sess. 23. de Reform. cap. 1.*

31 Atque hæc de obligationibus Episcoporum, & alia videri possunt apud Barbosam *lib. 1. Juris Eccles. cap. 9.* Insuper alias obligationes, quas habet Episcopus, circa Moniales, & Regulares, Clericos suos, Ecclesias, Hospitalia, & Legata pia dicentur suis locis. Hic agendum restat de obligatione Residentiæ, Visitationis, Synodi congregandæ, & constituendi Vicarium.

§. QUARTUS.

DE RESIDENTIÆ OBLIGATIONE.

32 EPiscopum teneri ad personalem residentiam in sua Ecclesia ex præcepto divino, est cõmunis sententia Theologorum, & Canonistarum, ut ait Pirhing *lib. 3. Decretal. tit. 4. sec. 1. §. 2. de Clericis non residentib. in Ecclesia, vel Præbenda*, quod ipsum probat Van Espen *par. 1. tit. 16. cap. 5.* & Fagnanus *in cap. Ex parte. de Clericis non resident. n. 28.*

33 Sunt in hac sententia Cajetanus, Bartholomæus a Miranda Archiepiscopus Toletanus, Soto, Vasquez, Covarruvias, & alii plurimi adducti ab eodem Fagnano *n. 25.* contra Ambrosium Catarinum, & Albinianum, qui putant, esse de Jure humano; innumeri etiam Doctores, quos ipse sequitur, referuntur a Pignatelli *tom. 4. consult. 17. numero 17.* pro ea sententia communi.

Digitized by Google

34 Dico: Episcopos, & reliquos curam habentes animarum, obligari ex præcepto divino ad residentiam personalem. Probo, quia Episcopi & alii Pastores tenentur ex præcepto divino pascere oves suas, prædicando, Sacramenta ministrando, & mores corrigendo; sed hæc fieri non possunt sine residentia personali. ergo &c. Major est Tridentini *sess. 23. cap. 1. de Reformat.* ibi: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum Cura commissa est, oves suas agnoscere, verbique divini prædicatione &c. pascere.* Minor est evidens, & expressa in eodem Tridentino dicente: *Quæ omnia nequaquam ab jis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed Mercenariorum more deserunt,* quod idem dicit Concilium *sess. 6. cap. 1. de Reform.* Consequentia tenet, quia eadem obligatione, qua quisque tenetur ad finem, tenetur ad medium necessarium ex doctrina Divi Thomæ *prima par. quæst. 19. art. 3. in Corp.* ubi sic: *ea autem, quæ sunt ad finem, non ex necessitate volumus, volentes finem, nisi sint talia, sine quibus finis esse non potest.* ergo si quis ex lege necessitatus est velle finem, debet esse ea necessitate coactus velle media, sine quibus finis haberi non potest.

35 Verbum autem, *deserere*, quo utitur Concilium, quod significet subtractionem corporalis præsentiæ, & recessum ab Ecclesia, non autem puram negligentiam in pascendo, probo: quia in sacris Canonibus absentes ab Ecclesia dicuntur deserere Ecclesiam. Ita *in cap. Inter quatuor. de Cleric. non resident. &c.* ibi: *Ecclesias, vel præbendas sibi commissas sine justa, & necessaria causa deserunt:* & *cap. Ex tuæ. eodem.* ibi: *Suas deserverint Ecclesias.* multa alia, & bene addunt Fagnanus, & Pignatelli locis citatis in confirmationem supradictæ propositionis, quæ videri possunt apud ipsos.

36 Nobis autem sufficiat sic argumentum restringere:

Digitized by Google

re: Tenetur quiſque Jure naturali, & divino officium, quod ſuſcipit, præſertim ſi ſtipendium accipit, bene præſtare; ſed officium Epiſcopi, quod eſt Paſtoris, & Doctoris non poteſt bene preſtari ab eo, qui non reſidet perſonaliter, & abeſt ab ovibus ſuis, & pro eo officio percipit pingues introitus; ergo Jure divino naturali tenentur Epiſcopi ad reſidentiam perſonalem.

37 Nec obſtat primò, quod Epiſcopi accipiant Jurisdictionem immediatè a Papa *Can. Omnes. diſt.* 22. adeoque ſequi videtur, quod de Jure Pontificio, non verò divino debeant reſidere in propria Eccleſia. Non obſtat, quia licèt, ut diximus ſupra, quilibet Epiſcopus in particulari accipiat poteſtatem immediatè a Papa, in quo ſenſu loquitur Canon adductus, & alii, qui afferuntur; tamen inſtitutio ipſa Gradus, & Ordinis Epiſcopalis eſt a Chriſto immediatè, ut conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ordinis Can.* 6. dicente: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina Ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.* Sed huic Ordini Epiſcopali annexum eſt onus paſcendi oves ab eodem Chriſto. ergò quamvis Summus Pontifex conferat Epiſcopis in particulari Jurisdictionem, quam minuere poteſt, & etiam tollere ex juſta cauſa; tamen ipſum Ordinem Epiſcopalem, & onus annexum ab ipſo Chriſto tollere non poteſt.

38 Neque obſtat ſecundò, quod Papa aliquando diſpenſat ſuper reſidentiam Epiſcoporum, quia Papa non diſpenſat propriè, ſed impropriè. Explico hanc doctrinam, quæ valet in aliis materiis. Diſpenſare propriè eſt relaxare obligationem Juris, & hoc non poteſt, niſi qui eſt auctor legis, vel æqualis poteſtatis, & ſic in Jure Pontificio quilibet Papa diſpenſare poteſt validè ſine cauſa, licitè, & validè cum aliqua cauſa. Impropriè diſpenſare eſt declarare, quod mutatis circumſtantiis Jus divinum

Digitized by Google

non obligat, & hoc facit Papa in casu nostro, interpretatur enim Jus divinum non obligare in tali circumstantia ad residentiam, sicut facit in votis, & juramentis, in quibus propriè non dispensat, sed declarat non adesse obligationem Juris divini propter mutatam materiam, & circumstantias. Ita Pirhing. *lib. 3. tit. 4. sec. 1. §. 2. n. 12.* afferēs Covarruviam, Layman, & Fagnanum in dictū *cap. Ex parte. de Clericis non residentib. n. 57.* seu, ut cum Cardinali Delugo ait Gonzalez Tellez *in lib. 3. Decretal. tit. 4. de Clericis non residen. cap. 4. n. 8. prope finem*, ita est de Jure divino residentia, ut corroboretur a Jure Pontificio pœnis variis contra non residentes statutis; & ideo quo ad obligationem residendi, datur declaratio a Pontifice, quod casus sit talis in Episcopo, ut cesset obligatio: quo ad incurrēdas pœnas impositas, datur dispēsatio.

39 Neque obstat tertiò quod possint Episcopi per alios pascere oves suas; & cum quis per alium facit, per se ipsum facere censetur. *Ex cap. Per alium. de Regul. Jur. in 6.* jam sic satisfacere videntur suæ obligationi.

40 Non obstat, inquam, quia regula illa valet, quando non debet quis servitium personale actu exhibere; at ubi Personæ industria electa est, non potest ipse vices suas alteri committere *l. Servus. in fine ff. de Statu liberi.* & quia cum eligitur aliquis in Episcopum, attenditur ad Personæ industriam, & qualitates, ideo non potest per alium, nempe Vicarium, ministrare. Ita Gonzalez Tellez *loco citato n. 14.*

QUÆSTIO PRIMA.

QUIBUS IN CASIBUS POSSINT EPISCOPI abesse a sua Ecclesia.

41 Dico primò: Episcopi per duos menses aut tres, possunt singulis annis abesse ab Ecclesia sua, dum-

Digitized by Google

dummodo non ſequatur grave detrimentum gregis, & fiat ex juſta cauſa. Tridentinum *ſeſſ. 23. de Reform. cap. 1.* quia per modicum tẽpus abeſſe ex vetere Canoniſtarum ſententia non æſtimatur abeſſe. Monet autem Tridentinum, ut hęc abſentia non fiat in Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ, nec in diebus Nativitatis Domini, Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, in quibus debent Epiſcopi eſſe in ſua Cathedrali, niſi in Diœceſi occurrerit aliquod, ad quod pro officio ſuo deberet Epiſcopi præſentia eſſe neceſſaria. Unde fit quod Epiſcopi in prædictis temporibus non poſſunt abeſſe a Cathedrali, niſi munia Epiſcopalia eos aliò vocent; non incidunt tamen in pœnas non reſidentibus impoſitas, ſi in Diœceſi reſideant. Atque ita deciſum refert a Sacra Congregatione Fagnanus citatus *n. 49. ver. Itaque.*

42 Excuſat a reſidentia ex citato *cap. 1.* Tridentini Chriſtiana Charitas, Urgens neceſſitas, Debita obedientia, & Evidens Eccleſiæ vel Reipublicæ utilitas. Eſt autem Chriſtiana Charitas, quando Eccleſia alia verſatur in magno periculo, & per Epiſcopum poſſet ſuccurri, vel quando Epiſcopus eſt neceſſarius ad componendam pacem magnorum Principum. Eſt urgens neceſſitas, quando Epiſcopus in ſua Eccleſia incurrit periculum vitæ; ſed requiritur quod Eccleſia ſua non patiatur detrimentum ſpirituale, quale pateretur, ſi tempore peſtis Epiſcopus abeſſet, in tali enim caſu debet potiùs mortem pati, quàm gregem proprium deſerere; quia *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Joannis* 10. Eſt debita obedientia, quando Epiſcopus vocatur a Papa. Eſt utilitas Eccleſiæ vel ſuæ, vel univerſalis; ſuæ, quando ut defendat Jura illius, abeſt ab ea; univerſalis, quandò vocatur ad Concilium Generale; ſimili modo Reipublicæ evidens utilitas eſt, quando neceſſaria eſt perſona Epiſcopi, ad aliquod grave negotium vel propriæ Civitatis,

vel

Digitized by Google

vel alienæ. Videatur Barbosa *lib. 1. Jur. Eccles. cap. 9. à n. 80. usque in finem.*

43 Debent autem prædictæ causæ approbari a Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo absente, a Suffraganeo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiã probare debebit. Verùm quia habetur Bulla Urbani VIII. quæ incipit: *Sancta Synodus Tridentina sub die 12. Decembris 1634. Pontificatus sui anno 12.* in qua sic legitur §. 8. *Injungimus, ne ab eisdem Ecclesiis discedant, nisi priùs obtenta nostra, & Romani Pontificis, pro tempore existentis per Breve, seu litteras missivas licentia*; ideo hodie a solo Summo Pontifice debet causa absentiæ cognosci, & sine ejus licentia discedere non potest Episcopus, quicunque ille sit, sive Patriarcha, sive Primas, sive Metropolitanus etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis; de ipsis enim loquitur eadem Bulla §. 7. quod si aliter faciant Episcopi, incurrunt pœnas Interdicti ab Ecclesiæ ingressu, omissionis fructuum, & facultatum testandi ipso jure; nec non privationis a regimine, & administratione Ecclesiarum, aliasque pœnas arbitrio Suæ Sanctitatis infligendas. Videatur Fagnanus *in lib. 3. Decretal. cap. Qualiter. de Clericis non residen. a n. 11. usque ad 26.* ubi Constitutionem hanc Urbani VIII. refert, & ponderat bene, ut solet.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM EPISCOPUS POSSIT JUNGERE TRIMESTRE unius anni cum trimestri alterius, & an licentia a Papa debeat peti non nisi post elapsum trimestre, si causa absentiæ duret?

44 REspondeo ad primam quæstionem negativè, ideoque dico, quod non potest Episcopus mensibus Octobris, Novembris, & Decembris abes-

se a

Digitized by Google

se a sua Ecclesia, & prosequi absentiam mensibus Januarii, Februarii, & Martii. Ratio est, quia in eo, qui sex mensibus continuis abest, non verificatur id, quod movit Concilium Tridentinum ad concedendam duorum, vel ad summum trium mensium absentiam; nimirum quod qui aliquantisper abest, censetur non abesse; nec verificatur, quod statim reversurus est, quia sex mensium absentia non est modicum tempus. Præterea iam Tridentinum *sess. 6. cap. 1.* dixerat: *Si quis extra Diœcesim sex mensibus continuis morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni pœnam ipso facto incurrat.* ergo per Concilium absentia sex mensium æstimatur longa, dum æstimatur digna pœnæ. Atque ita idē Fagnanus afferens responsionem Sacræ Congregationis. *n. 44. & 45. in dictum cap. Qualiter. de Clericis non residentib.*

45 Respondeo ad secundam, quod Sacra Congregatio Concilii, teste eodem Fagnano *n. 46.* interrogata de tali quæstione, respondit dicens nolle regulam generalem dare, sed ubi casus particularis acciderit, maturius deliberare.

§. QUINTUS.

DE OBLIGATIONE EPISCOPI visitandi Diœcesim.

46 EX Tridentino *sess. 24. de Reform. cap. 3.* tenentur Episcopi visitare per se ipsos, aut si impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium, aut Visitatorem Diœcesim suam singulis annis, aut si non possent quotannis totam visitare Diœcesim, saltem biennio absolvatur Visitatio. Per hoc, ut bene advertit Cardinalis de Luca *discursu 5. ad Concilium Tridentinum*, quamvis sit statutus terminus unius anni, vel iterum duorum annorum

rum sub præcepto, non tamen tollitur facultas Episcopo, quin possit bis in eodem anno Diœcesim visitare.

47 Scopus visitationis proponitur ab ipso Tridentino, & est, ut Sancta, & Orthodoxa doctrina vigeat, boni mores serventur, mali tollantur. Populus incitetur ad devotionem, & pacem; & constituantur reliqua, quæ ad fructum Fidelium videantur necessaria. Procurationes, seu necessariorum sumptuũ exhibitiones debitæ Episcopo ratione visitationis explicabuntur, Deo dante *in 2. lib.* agendo de Rebus temporalibus Ecclesiasticis.

48 Loca autem, quæ visitari debent, sunt Ecclesiæ Parochiales, & beneficiorum curatorum, etiam si talia beneficia curata sint unita Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, vel Monasteriis, aut Ecclesiis quomodolibet exemptis. Tridentinum *sess. 7. de Reform. cap. 7. & 8.* Item tam Beneficia curata, quam non curata, commendata etiam exempta subjacent visitationi Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati. Idem Tridentinum *sess. 21. de Refor. cap. 8.* Van Espen *par. 1. tit. 17. cap. 3. n. 3. 4. & 6.* Item Ecclesiæ, quæ dicuntur nullius Diœcesis, idest quæ habent Prælatum, habentem Jurisdictionem Episcopalem in subditos Clericos, & Laicos loci, & locus non est intra limites alicujus Diœcesis, debent etiam visitari ab Episcopo, cujus Cathedralis Ecclesia est illis vicinior, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato. Tridentinum *eadem sess. 21. de Reform. cap. 9.*

49 Item personæ illæ, quæ curam animarum habent personarum sæcularium in Ecclesiis Regularium, sive virorum, sive mulierum debent visitari, sive tales personæ exercentes prædictam curam personarum distinctarum a familia Regulari sint Regulares, sive Sæculares. Tridentinum *sess. 25. de Regular. cap. 11.* nec possunt ad talem curam poni, nisi de consensu Episcopi, & prævio examine per ipsum, aut ejus Vicarium faciendo. Excipiuntur

Mo-

Digitized by Google

Monasterium Cluniacense, & Monasteria illa, in quibus Abbates, aut alii Superiores Regulares habent Jurisdictionem Episcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos. Affert tamen Van Espen *part. 1. tit. 17. cap. 3. n. 7.* quod Pius V. die 4. Septembris 1570. declaravit, etiam prædictas Ecclesias subjacere Episcopi visitationi, & Pignatelli *to. 7. consult. 7. n. 19.* affert responsionem Sacræ Congregationis, prædictæ Pii V. declarationi conformem.

50 Item omnes Clerici Sæculares, item Regulares degentes extra Monasterium. Item Capitula Cathedralium visitari debent ab Episcopo. Tridentinum *sess. 6. de Reform. cap. 4.* & *sess. 25. de Reform. cap. 6.* Fagnanus *ad cap. Ut justa. de Officio Ordinarii n. 38.* affert declarationem Sacræ Congregationis Concilii, per quam Episcopus visitare possit Capitulum Cathedrale per se ipsum solum, nullis sibi Canonicis adjunctis, imò posse assumere alios extra Capitulum, omissis Capitularibus.

51 Plura de hac materia videri possunt apud Pignatelli *tom. 7. consult. 7. a n. 16.* ubi responsa Sacræ Congregationis ad varia dubia refert. Item *to. 9. consult. 146. n. 77.* ponit formam Visitationis, & exprimit loca, res, munia, personas, quæ visitari debent, & quid quo ad loca, quid quo ad res, quid quo ad munia, & quid quo ad personas inquirendum sit. Item *to. 10. consult. 152.* plura ad Visitationem pertinentia eruditè, ut solet, exponit.

§. SEXTUS.

DE OBLIGATIONE CONGREGANDI SYNODUM DIOECESANAM.

52 PRiscis temporibus frequentissimæ erant Synodi, seu Conventus, in quibus Episcopus

cum suo Clero, quæ ad Ecclesiam forent utilia, pertractabat. Deinde fuerunt statuta tempora celebrandi Synodum bis in anno. Postea in Concilio Lateranensi decretum fuit, ut semel in anno celebrarentur Synodi Provinciales, quarum Decreta legi debebant in Synodis Diœcesanis. Ut habetur *in cap. Sicut olim. de Accusationib.* Deniq; Concilium Tridentinum *sess. 24. de Reform. cap. 2.* quolibet anno fieri Synodum Diœcesanam dicit, & Provincialem quolibet triennio. Verùm cogimur dicere, quod ait Van Espen *par. 1. tit. 18. cap. 1. n. 6.* nimirum, quod hodie hoc Decretum non observatur fortasse ob controversias, quæ oriri solent, tum ratione Exemptorum, tum Jurium Laicorum, ut notat idem Van Espen *cap. 4. n. 15. præcitati tituli decimi octavi.*

53 Noto hic, quod, ut ait Fagnanus *in lib. 5. Decretal. cap. Sicut olim. de Accusation. a n. 105 usque ad 111.* Pœna suspensionis imposita Episcopis, non cogentibus statutis temporibus Synodum Diœcesanam, & Archiepiscopis non cogentibus Provincialem, non incurritur ipso facto, nec est latæ sententiæ, sed ferendæ, & ita declavit Sacra Congregatio Concilii. Quod ipsum dicit Pignatelli *to. 4. consult. 132. n. 9.* Numero autem duodecimo refert ipse Pignatelli, quod Sacra Congregatio declaravit, quod Metropolitanus ex aliqua causa, non potens celebrare Synodum, debet petere dispensationem a Papa.

54 Cæterum lego apud Azorium *part. 2. Instit. moral. lib. 3. cap. 32. quæst. 9.* quod obligatio convocandi quolibet anno Synodum, est per ipsam consuetudinem abrogata.

55 Quæ Personæ convocari debeant ad Synodum Provincialem ab Archiepiscopo, & Diœcesanam ab Episcopo, & quæ in dictis Synodis tractari debeant, videri possunt apud Barbosam *de Offic. & potest. Episcop. alleg. 93. a n. 5. usque ad 14.*

Digitized by Google

56 Inter alia, quæ fieri debent in Synodo Diœcesana, est electio sex Examinatorum, qui ideo dicuntur Examinatores Synodales, qui debent examinare Promovendos ad Beneficia curata, sed ob intermissionem Synodorum, consuetum est in defectum talium Examinatorum fieri alios extra Synodum de consilio Capituli ab Episcopo. Vota, per quæ in Synodo eliguntur prædicti Examinatores, possunt esse sive secreta, sive publica, ut refert respondisse Sacram Congregationem, Quaranta *in summa Bullarii v. Synodus Diœcesana*. Item assignari debent quatuor, quibus causæ in partibus delegandæ committuntur, & hi vocantur Judices Synodales; atque etiã hi ob intermissionem Synodorum, quando deficiunt, fieri debent extra Synodum ab Episcopo. Barbosa *dicta allegat. 93. n. 19.* Numerum prædictum Judicum Synodalium Gregorius XV. *in sua Constitutione de Conservatoribus*, quæ incipit: *Sanctissimus Dominus noster sub die 20. Septembris 1621.* ampliavit, per ea verba: *quamplures Personas.* Quod fecit, quia in eadem Constitutione, statuit, ut Conservatores Regularium, non solùm sint Personæ in Dignitate constitutæ, sed etiam sint Judices electi in Synodo; & addit præterea, ut moriente aliquo ex electis, possit Episcopus cum consilio Capituli substituere alium, usque ad futuram Synodum. Denique designari debent in Synodo Testes Synodales, qui nimirum per totum annum, absque ulla Jurisdictione, sollicitè investigent, quæ indigeant correctione, vel reformatione, atque hi testes in Synodo Diœcesana numero septem ab Episcopo eligi debent, vel plures. In Synodo autem Provinciali ex unaquaque Diœcesi, duo. Van Espen *dicto titulo* 18. *cap.* 3. & apud ipsum videri possunt, quæ inquirere, & referre post Juramentum præstitum de dicenda veritate ad tales testes spectat. Juxta *Can. Episcopus. in Synodo. 35. quæst. 6.*

57 Denique Statuta Synodalia teste Cardinali de Luca *discursu 30. ad Concilium Tridentinum n. 9.* hodie debent transmitti ad Sacram Congregationem, ut ab ea examinentur, & confirmentur, atque hæc est praxis. Van Espen *par. 1. tit. 18. cap. 4. n. 12.*

§. SEPTIMUS.

DE OBLIGATIONE CONSTITUENDI VICARIUM.

58 TEnetur Episcopus Vicarium constituere. Colligitur ex Tridentino *sess. 24. de Refor. cap. 16.* & *Can. In Nona 16. quæst. 7.* & *cap. Quoniam in plerisque. de Officio Judicis Ordinarii*, & sustinent Vallensis *lib. 1. tit. 28. de Offic. & Potest. Vicarii §. 2. n. 3.* & quamplurimi Doctores citati a Barbosa *de Offic. & Potes. Episcopi par. 3. alleg. 54. n. 125.* ubi tamen ipse ait quod Rota Romana contrarium amplexa sit, nimirum, quod Episcopus non possit cogi ad eligendum Vicarium Generalem. Juvat autem hìc, quæ ad Vicarium spectant, breviter explicare.

§. OCTAVUS.

QUALIS DEBEAT ESSE VICARIUS EPISCOPI; quænam ejus Potestas, & Jurisdictio, & quibus modis constituatur, aut finiatur?

59 DIco primo, Vicarius Episcopi debet eligi Vir probatæ vitæ in ætate 25. annorum, Doctor, vel Licentiatus saltem in Jure Canonico, vel aliàs quantum fieri potest idoneus, prout dicitur de Vicario Capitulari *dicto cap. 16. Tridentini sess. 24. de Reformatione.*

60 Di-

Digitized by Google

60 Dico ſecundò, debet eſſe Clericus ſaltem primæ Tonſuræ, non verò Laicus *ex Can. ſupracitato. In nona*, & *cap. Decernimus. de Judiciis.* quod ex pluribus Doctoribus firmat Barboſa *part.* 3. *de Offic. & Poteſt. Epiſcop. alleg.* 54. *n.* 4. nec poteſt eſſe Clericus conjugatus, etiamſi deferat habitum, & cum unica, & virgine contraxerit. Idem Barboſa cum aliis *n.* 6. Poteſt autem Monachus, vel Religioſus cum licentia ſui Superioris Vicarius creari. Idé Barboſa *cum aliis n.* 12. Aſſeſſorem autem Laicum poteſt Epiſcopus habere, quia officium Aſſeſſoris eſt conſilium dare, quod facere poteſt Laicus. Felinus, & alii *in dictum cap. Decernimus. de Judiciis.* & Barboſa *n.* 7.

61 Dico tertiò, poteſt Vicarius conſtitui primò in ſpiritualibus tantùm, qui poteſt ſuſpendere, excommunicare, interdicere, viſitare loca ſacra, corrigere, & Sacramenta miniſtrare. De talibus Vicariis in ſpiritualibus fit mentio *in cap. Cùm nullus. de Tempor. Ordinationum in* 6. ibi: *Epiſcopo autem in remotis agente, ipſius in ſpiritualibus Vicarius Generalis.* Poteſt ſecundò conſtitui in temporalibus tantùm, & hic in Judicio, aut extra Judicium adminiſtrat. Poteſt tertiò conſtitui tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus, & hic dicitur Vicarius Generalis Epiſcopi, vel Officialis. Nec eſſet Generalis Vicarius, ſi ſolùm in ſpiritualibus, aut ſolùm in temporalibus, aut ſi in una parte Diœceſis, & non in tota conſtitueretur, ſed foret Vicarius foraneus. Ita Vallenſis *lib.* 1. *tit.* 28. §. 4. *n.* 1. & alii apud Barboſam *de Officio, & Poteſtate Epiſc. part.* 3. *alleg.* 54. *n.* 57. quamvis ipſe Barboſa cum aliis exiſtimet, Vicarium in ſpiritualibus tantùm conſtitutum, dici poſſe Generalem.

62 Dico quartò, poteſt Epiſcopus unum, vel plures Vicarios conſtituere principales dummodo eos in Civitate, ubi Sedem habet, conſtituat; quia Generalis Vicarius eſt, qui generalem habet poteſtatem in loco ubi

Epi-

Digitized by Google

Episcopus Sedem habet, ut probant plures Authores adducti a Barbosa *dicta alleg. 54. n. 126.*

63 Dico quintò, Vicarius Generalis Episcopi habet ordinariam Jurisdictionem, sicut Episcopus, cujus vices gerit. Est sententia innumerorum Doctorum, quos citat & sequitur Barbosa *dicta allegat. 54. n. 26.* & Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 29. n. 3. ver. Tandem.*

64 Probatur, quia eadem est Jurisdictio Episcopi, ac Vicarii, idemque tribunal, ut dicitur *cap. Non putamus. de Consuetud. in 6.* ubi datur ratio cur non possit a Vicario ad Episcopum appellari: *Ne ab eodem ad seipsum, cum sit idem auditorium utriusque, appellatio interposita videatur.* ergo Vicarius non habet potestatem delegatam, sed ordinariam, quia a Delegato tenet appellatio ad Delegantem *cap. Super quæstionem. §. Porrò. de Offic. & Potest. Judicis Delegati.*

65 Nec obstant, quæ alii Doctores objiciunt, nimirum, quod Jurisdictio Vicarii morte Episcopi expiret, & quod Vicarius vicem gerat Episcopi, & ab Episcopo accipiat suam Jurisdictionem. Ergo Jurisdictio Vicarii non potest esse ordinaria, sed delegata. Non obstant autem inquam, nam ideo Jurisdictio Vicarii extinguitur morte Episcopi, quia illius Jurisdictioni tanquam accessoria cohæret, adeoque extinctâ principali, extinguitur accessoria illi cohærens. Quoties autem Jurisdictio ordinaria non cohæret alii ordinariæ, tunc manet extincto Concedente. Et quamvis Vicarius vicem gerat Episcopi non tamen in diverso Tribunali, sed ita vices gerit, ut idem Tribunal constituat. Jurisdictionem suam autem habet Vicarius immediatè a Canone, suppositâ nominatione Episcopi, adeoque non mediat Episcopus, tanquam dans Jurisdictionem Vicario, sed quasi nominans & instituens. Non sic Vicarius foraneus, qui nullam a Jure habet Jurisdictionem, sed solùm habet, quam Episco-

Digitized by Google

scopus committit. Videantur citati Doctores Barbosa, & Sanchez.

66 Dico sextò, Potestas, & Jurisdictio Vicarii, ampla est, & omnia potest, quæ speciali mandato non indigent. Si autem in actu electionis Episcopus committat etiam, quæ mandatum speciale exigunt, tunc etiam poterit ea omnia. Debent tamen exprimi in particulari ab Episcopo constituente Vicarium, quæ per speciale mandatum conceduntur, & non sufficit dicere per clausulam generalem: *communicamus illi, quæ speciale requirunt mandatum*. Quod si aliqua exprimerentur in particulari, v. g. ut beneficia conferat, ab officiis removeat &c. & deinde haberetur clausula generalis (atque etiam alia, quæ speciale mandatum requirunt) poterit Vicarius omnia exequi. Ita Glossa *in cap. Licet in Officialem. de Officio Vicarii, in 6. ver. Committantur*; ubi advertit, quod ly, *omnia alia*, videtur restringendū ad ea, quæ sunt æqualia, vel inferiora expressis, non autem ad ea, quæ sunt majora, quia vox *alia*, non comprehendit majora expressis, *cap. Sedes. de Rescript.* Quæ autem sint ea, quæ speciale mandatum requirunt partim dicta sunt, partim dicentur suis locis. Interim videri possunt apud Barbosam *citatā allegat. 54. part. 3. de Offic. & Potest. Episcop. a n. 60. usque ad 125.*

67 Dico septimò, Vicarius Generalis Episcopi est in Dignitate constitutus, adeoque potest esse Delegatus Papæ, & Exequutor gratiarum beneficialium, quæ expediuntur in Curia Romana, & Conservator Regularium. Ita idem Barbosa *a n. 122. usque ad 137.* Causas autem inceptas prosequi non potest finito officio, si ei tanquam Dignitati commissæ fuerunt, prout possunt alii, qui tempore commissionis erant in Dignitate constituti, & postea renunciaverint Dignitati. Ita ex variis Juribus, & Doctoribus Barbosa *n. 155. & 156.* Quamvis autem sit

Vica-

Digitized by Google

Vicarius Generalis in Dignitate conſtitutus, tamen ſi eſt Canonicus, & in habitu Canonicali, non debet ſedere primus in Choro, ſed in Stallo competenti ſuo Canonicatui. Fagnanus cum aliis *in cap. Poſtulaſtis n.* 26. *de Conceſſione Præbendæ.*qui *numero* 28. refert, quod in Baſilica Sancti Petri ipſe Patriarcha Hieroſolymitanus, qui erat etiam Canonicus, ſedebat in Choro poſt Canonicos ipſo antiquiores. Extra verò chorum ratione ſuæ locum tenentiæ, debet ſedere in prima Sede, ſive præſente, ſive abſente Epiſcopo, & præcedere Canonicis omnibus, & Dignitatibus, & etiam ipſi Capitulo, tam in actibus pertinentibus ad ſuam Jurisdictionem, quàm in omnibus aliis indifferentibus, & promiſcuis. Idem Fagnanus allegans votum Robuſterii Rotæ Auditoris. *in cap. Ad hæc. de Præbendis n.*29.

68 Dico octavò. Poteſtas Vicarii finitur primò morte ipſius. Secundò morte conſtituentis Epiſcopi, quo mortuo,vel capto,vel translato,debet eligi Vicarius Capitularis, ut dictum fuit ſuo loco. Tertiò per voluntatem ipſius Epiſcopi, ſicut enim mediante ejus nominatione habet Vicarius a lege ſuam Jurisdictionem, ita per contrariam voluntatem ejuſdem Epiſcopi revocatur, & ſolvitur Vicarii Poteſtas. Res enim per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. *cap. Omnis res. de Regulis Juris in 6.* debet tamen revocatio Epiſcopi inſinuari Vicario, aliter ſi ipſe revocationem ignoret, ejus geſta valent,donec ei innoteſcat. Garzias *de Benefic. par.*5.*cap.* 8.*n.* 174. apud Vallenſem *lib.* 1. *tit.* 28. §. 6. *n.* 3.

§. NONUS.

DE IIS, QUÆ POTEST, VEL NON POTEST Epiſcopus in ſua Diœceſi.

69 DUplex eſt, ex dictis ab initio hujus Capitis poteſtas in Episcopo, alia Ordinis, alia Juriſ-

Jurisdictionis; quæ potest ex potestate Ordinis Episcopus, jam diximus, & suis locis dicemus; nimirum ministrare Sacramentum Ordinis, & Confirmationis, conficere Chrisma, consecrare Ecclesias, Calices, & Patenas, velare Virgines, publicè pœnitentes absolvere, pœnitentias publicas injungere, vestes sacras benedicere. Atque hæc est potestas æqualis in omnibus Episcopis, & quo ad Sacramenta Ordinis, & Confirmationis validè ministranda, non potest auferri ab homine, nec alteri non Episcopo committi, quia est a Deo annexa Ordini Episcopali. Quo ad licitè ministranda potest restringi a Papa per pœnam suspensionis, imò sine ulla suspensione incursa, limitata est quo ad subditos proprios; non enim potest licitè Episcopus non subditos ordinare, ut dicetur loco suo. Potestas autem consecrandi Ecclesias, quæ ex Institutione Canonica pendet a potestate Ordinis Episcopalis, coarctari potest a Papa etiam quo ad actus validitatem, ita ut Ecclesia non sit validè consecrata. Quod probatur *ex Can. Ecclesiis. dist. 68.* & *Can. Ecclesiis. cum duobus sequentibus. de Consecr. dist.* 1. Ubi præcipitur, ut Ecclesiæ consecratæ ab Episcopis Arianis, iterum consecrentur. Barbosa cum aliis Doctoribus *lib.* 1. *Jur. Eccl. cap.* 11. *n.* 107. Et similiter reliqua ita sunt spectantia ad Ordinem Episcopalem, ut possint non Episcopo committi, ut dicetur suis locis.

70 Potestas autem Jurisdictionis est quo ad personas, & quo ad res. Quo ad personas respicit existentes in sua Diœcesi, nisi sint personæ per Privilegium exemptæ; & quidem Clerici omnes sunt subjecti Episcopo quo ad causas civiles, & criminales; Laici verò subjiciuntur Episcopo quo ad forum animæ, & in delictis jis, quæ pertinent ad Tribunal Ecclesiasticum, nimirum Adulterii, Simoniæ &c. juxta *cap.* 1. & *cap. Conquerente. de Offic. Judic. Ordinar.* & *cap. Novit. de Judiciis.* Et potest

Digitized by Google

Episcopus punire Reos pœna excommunicationis, & si opus fuerit, implorabit auxilium brachii sæcularis; ipse enim non potest pœnam sanguinis infligere, ut patet *ex cap. Postulasti. de Homicidio*, & *cap. Sententiam sanguinis. Ne Clerici, vel Monachi*. Ideoque si censuris Ecclesiasticis, crimina non possint sufficienter puniri, sed requiritur pœna sanguinis, tradet Episcopus Judici laico Reum, juxta dictum *cap. 1. de offic. Judic. Ord.* ibi: *publicum convocent auxilium.* ideſt auxilium Judicis sæcularis. Res autem subjectæ Episcopo sunt Ecclesiæ, Parochiæ, Monasteria, Loca pia, Hospitalia, nisi fuerint ex privilegio exempta: item Beneficia Ecclesiastica, quæ ad ipsum vel ut Collatorem, vel ut Institutorem, aut ut Confirmatorem spectant; de quibus suo loco.

72 Notandum, quod ea, quæ pertinent ad Jurisdictionem Episcopi genericè sumptam, solent distingui in ea, quæ spectant ad legem Diœcesanam, & in ea, quæ spectant ad legem Jurisdictionalem. *ex cap. Dilectus. de Offic. Ordinarii*. Dicuntur pertinere ad legem Diœcesanam, quæ non extenduntur ad Regulares, seu in quibus obligare potest Sæculares, non verò Regulares. Ea verò in quibus potest etiam Regulares non exemptos obligare, dicuntur pertinere ad legem Jurisdictionalem. Hæc autem in particulari, in quibus potest obligare Regulares, dicentur in capite ultimo hujus libri, ubi de Regularibus. Videri tamen potest Azorius *par.2. Institut. Moral. cap. 32. lib. 3. quæst. 2.*

73 Item habet Episcopus potestatem dispensandi in aliqua Irregularitate, vel in aliqua Inhabilitate ad Beneficia, & in aliquibus impedimentis Matrimonii. Quænam autem sint in particulari, dicentur, quando agemus de Irregularitate, de Beneficiis, & de Matrimonio.

73 Potest insuper Episcopus dispensare in Votis, & Juramentis suorum subditorum, exceptis sequentibus, in qui-

Digitized by Google

quibus solus Papa dispensat, nimirum voto Castitatis, Religionis, Peregrinationis Jerosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ. Videantur de hac materia Moralistæ agentes de Voto, & Juramento.

74 Potest item a Censuris absolvere Episcopus, a quibus autem absolvere possit, dicetur suis locis.

75 Præter Jurisdictionem ordinariam habet Episcopus extraordinariam, & delegatam, per quam tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ procedere potest contra eas personas, vel loca, quæ a sua ordinaria Jurisdictione sunt exemptæ. Casus autem, in quibus de Jure tum antiquo, tum novo Tridentini constitutus est Episcopus Delegatus Sedis Apostolicæ, explicabuntur in particulari, cum venerit opportunitas. Interim videri possunt apud Barbosam *lib.* 1. *Jur. Eccles. cap.* 11. §. 8. *per totum.* Atque hæc quo ad ea, quæ possunt Episcopi in sua Diœcesi; quæ verò non possunt sine consensu Capituli jam diximus supra *in cap.* 4. §. 14. *n.* 75. reliqua hic breviter subjiciam.

76 Non potest Episcopus Jurisdictionem in exemptos exercere, nec Ecclesiam alteri subjectam ab illius subjectione liberare, nec Ecclesiam suam eximere in totum a subjectione, & alteri subjicere, nec prohibere suis subditis, ne statum suarum Ecclesiarum Superioribus denuncient, nec aliquem excommunicare pro injuria propria, nisi talis injuria magis Ecclesiam, quàm ejus Personam lædere videretur, vel esset necessaria excommunicatio pro tuendis propriis Juribus contra potestatem sæcularem, quando scilicet defensio temporalis non sufficiat. Nec potest Episcopus exactiones Clericis, aut Monachis imponere; nec Episcopalia, seu Pontificalia in aliena Diœcesi exercere sine proprii Episcopi licentia, quæ licentia requiritur etiamsi loca, in quibus deberent exerceri, fuerint exempta, & haberetur licentia

Digitized by Google

Superioris illius loci. Unde in Ecclesiis Regularium existentibus in aliqua Diœcesi, nō potest Episcopus cum sola licentia Superioris Regularis Pontificalia exercere sine licentia Episcopi, intra cujus Diœcesim est illa Ecclesia, nec Ordines conferre, ut decisum refert Riccius *in praxi fori Ecclesiastici post resol.* 495. *in notabilibus de Materia Episcoporum*, & adducitur a Barbosa *de Offic. & Potest. Episc. allegat. 6. n.* 12. *&* 13. *par.* 2.

77 In aliena autem Diœcesi potest Episcopus, vel ejus Vicarius exercere actus voluntariæ Jurisdictionis, v. g. dimissorias concedere suis subditis, ut ordinentur, atque etiam excommunicare, & absolvere subditum suum, imò in aliena Diœcesi Jurisdictionem contentiosam potest exercere, si Episcopus illius Diœcesis permittit, & litigantes non dissentiunt.

78 Atque hæc pro nostro instituto dicta sufficiant. Plura apud Auctores videri possunt, qui fusè agunt de Officio, & Potestate Episcopi. Juvat autem duas quæstiones utiles, & curiosas resolvere, unam scilicet circa Ordinationem, aliam circa Jurisdictionem Episcopi. Sit itaque

QUÆSTIO PRIMA.

AN SIT VALIDA ORDINATIO EPISCOPI NON Sacerdotis, aut Sacerdotis ab uno Episcopo.

79 CElebberrima est quæstio quod ad primam partem, & eadem est, ac illa: An consecratio Episcopi prærequirat de Jure divino Sacerdotium, an verò de Jure humano, & sunt duæ opiniones suos Auctores, & rationes habentes, ut videre est apud Azorium *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 30. *quæst.* 9. Quarum una Canonistarum sustinet, de Jure Pontificio prærequiri Sacerdotium

ad

Digitized by Google

ad Episcopatum; ideoque si quis non Sacerdos consecretur Episcopus, erit verus Episcopus habens potestatem Ordinis Episcopalis, non tamen usum, & administrationem; unde si eam potestatem exerceret, peccaret; ordinare autem Sacerdotes, nec validè posset, quia ipse non esset Sacerdos. Sunt in hac sententia Joannes Andreas, Hostiensis, Abbas, Geminianus partim *in cap. Unicum. de Clerico per saltum promot.* partim *in cap. In literis. de Excessibus Prælat.* Item Barbosa *l. 1. Jur. Eccl. cap. 8. n. 109. in medio*, ubi citat plures alios. Item Brixiensis, Archidiaconus, Præpositus citati a Fagnano *in cap. Unicum de Clerico per saltum promoto. n. 6.*

80 Ratio pro hac sententia est, quia Ordines Ecclesiastici sunt inter se distincti, & Ordo Superior non ex rei natura, sed ex præcepto Ecclesiæ prærequirit inferiorem; nam qui non Diaconus ordinaretur Sacerdos, verè esset Sacerdos, adeoque præposteratio in collatione Ordinum non vitiat, licèt exequutionem impediat, ut communiter sustinetur; ergo cum Episcopatus sit ordo distinctus a Sacerdotio, prærequirit Sacerdotium ex præcepto Ecclesiæ, non ex natura rei, & ideo valida est Ordinatio in Episcopum, licèt impedita quo ad usum.

81 Secunda opinio communis inter Theologos est, quod non sit valida ordinatio in Episcopum sine Sacerdotio præsuppositio. Ratio autem est, quia Episcopatus non est ordo adequatè distinctus a Sacerdotio, sed est perfectio Sacerdotii; unde Episcopus est Sacerdos perfectior, seu major; ergo sicut non potest dari calor major sine calore, sic nec Episcopus, qui est Sacerdos major sine Sacerdotio. Reliqui verò ordines sunt inter se adæquatè distincti, nec se habent ut perfectior ad minus perfectum, adeoque ex solo præcepto Ecclesiæ, non ex natura rei, Ordo superior, v. g. Presbyteratus prærequirit Diaconatum. Hanc opinionem veriorem existimat

ipse

Digitized by Google

ipse Azorius; & Fagnanus citatus ait, veritatem esse, quod prima opinio nec sit communis, nec vera.

82 Resolutio hujus quęstionis videtur pendere ab alterius quæstionis resolutione, nimirũ an Episcopatus sit Sacramentum distinctũ a Sacerdotio,& imprimat characterem: ait enim Prępositus *in Can.Subdiaconus. dist.77. n.4.* quod opinio Theologorum valeret, si Episcopatus esset, ut ipsi supponunt, quædam uberior facultas, & extensio Ordinis Sacerdotalis: cum autem sit Ordo separatus, & distinctus,ut ipse probat *in Can.primum dist.21.*sequitur, quod eadem sit ratio de ordinato in Presbyterum sine Diaconatu,ac de ordinato in Episcopũ sine Sacerdotio.

83 Dicendum, quod etiamsi supponatur Ordinem Episcopatus imprimere suum Characterem, & esse Sacramentum distinctum, adhuc non est validè ordinatus Episcopus,qui non est Sacerdos. Ita Fagnanus *in cap.Requisivit. de Ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui renunciavit n.* 81. Probatur: In collatione valida cujuscunque Ordinis,accipit Ordinatus potestatem exercendi principalem actum annexum Ordini collato.Ita quia principalis actus Ordinis Sacerdotalis est conficere Corpus, & Sanguinem Christi,ideo in collatione valida Sacerdotii, accipit Ordinatus potestatem cõficiendi Corpus,& Sanguinem Christi, & sic de reliquis Ordinibus; sed consecratus Episcopus, si non est Sacerdos, non accipit potestatem,nec accipere potest,exercendi principalem actum Ordinis Episcopalis: ergo etiamsi Ordo Episcopalis sit distinctus ab Ordine Sacerdotali, non potest validè conferri non Sacerdoti.

84 Minor probatur:Principalis actus potestatis Episcopalis est Ordines conferre, & creare Sacerdotes, ut constat *ex Can. Cleros. §. Pontifex. dist.21.* ibi: *Ipse enim efficit Sacerdotes, atque Levitas &c.*& *Can.Quamvis. dist. 68.* & Tridentinum *sess. 23. cap. 4. Episcopos, & cæteros Mini-*

Digitized by Google

Ministros Ecclesiæ ordinare. & *Can.* 7. *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent illis esse cum Presbyteris communem &c. anathema sit.* Sed hanc potestatem ordinandi Sacerdotes, non potest in sua Consecratione Episcopus accipere, nisi prius sit Sacerdos; ergo qui non est Sacerdos, non potest in sua Episcopali Ordinatione accipere potestatē exercēdi primarium actum talis ordinis Episcopalis. Minor hujus argumenti est certa: Impossibile enim est, ut conferre possit alteri Ordinem Sacerdotalem, quem non habet, ut ipsi Adversarii concedunt.

85 Ex hac ratione solvitur argumentum, quo utuntur Adversarii, quia cum in aliis Ordinibus accipi possit potestas exercendi principalem actum ejusdem Ordinis, non præsupposito Charactere Ordinis inferioris, ideo non requiritur ex natura rei, sed ex præcepto Ecclesiæ Character Ordinis inferioris. Ita quando quis ordinatur Sacerdos non præsupposito Diaconatu, vel Diaconus non habens Subdiaconatum, accipere potest potestatem exercendi principalem actum annexum illi Ordini; accipit enim qui ordinatur Sacerdos, potestatem conficiendi Corpus, & Sanguinem Christi, quæ potestas exerceri potest a non ordinato Diacono, & sic de aliis Ordinibus. At verò in casu nostro, qui ordinatur Episcopus, si non est Sacerdos, non potest accipere potestatem exercendi principalem actum annexum Ordini Episcopali, qui actus est creare Sacerdotes, ideoque ex natura rei, non præcisè ex præcepto Ecclesiæ prærequiritur Character Sacerdotalis.

86 Ad secundam partem quæstionis respondeo: probabile esse, quod valida sit Ordinatio Episcopi ab uno Episcopo, si fiat cum dispensatione Papæ ex aliqua necessitate. Atque ita sustinent Cardinalis Bellarminus, &

Vas-

Vasquez, quos citat, & sequitur Conink. *disp.* 20. *de Sacramento Ordinis dub.* 9. *n.* 83. *& Conclus.* 5. *n.* 92. Layman *lib.*5. *tract.* 9. *cap.* 5. *n.* 1. *ver. Nota.* Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccles. cap.*9.*n.* 51. ubi alios adducit. Ratio est, quia non Christus Dominus, sed Apostoli constituerunt ut Episcopus a tribus Episcopis consecraretur; sed Decretum Apostolorum, quando non est Juris divini, potest ab Ecclesia cum causa mutari: ergo &c. Major probatur, eo quia si Christus Dominus sic instituisset, non potuisset Sanctus Gregorius Primus respondere Sancto Augustino Anglorum Episcopo, ut ipse ordinaret Episcopos, donec haberentur plures, quorum tres ordinarent deinde alios. Accedit, quod ex tribus Episcopis unus dicitur Consecrator, reliqui dicuntur Assistentes: ergo signum est, quod unus sit de essentia Consecrationis. Praterea, in *lib.* 8. *Constitutionum Sancti Clementis cap.* 27. legitur, quod urgente necessitate potest Episcopus ab uno ordinari.

87 Dixi, probabile esse, quia si constaret factum S. Gregorii, esset omnino certum. Verùm Conink citatus *n.* 92. *ver. Secundum.* ostendit, quod S. Gregorius oppositum dicit in fine *lib.* 12. *Epistolarum registri.* & similiter idem Conink *ibidem* dicit, quod non est certa auctoritas Sancti Clementis.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN SIT VERUM, QUOD QUIDQUID POTEST Papa in Orbe Terrarum, potest Episcopus in sua Diœcesi.

88 REspondeo, quod quamvis Doctores magni nominis, prout sunt Abulensis *in cap.* 19. *Matth. quæs.*87. *litera E,* Victoria *de Matrim. pa.* 1. *n.*7. Sanchez

Digitized by Google

chez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 61. *n.* 3. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 25. *de Pœniten. sec.* 1. *n.* 13. & *de Legib. lib.* 6. *cap.* 14. *n.* 3. & alii admittunt hanc propositionem, nimirum quidquid potest Papa in toto Orbe, potest Episcopus in sua Diœcesi, exceptis illis, quæ Papa sibi reservavit, propter hanc rationem; quia Episcopus est Pastor ordinarius in sua Diœcesi, sicut Papa in toto Orbe, quamvis Episcopus sit subjectus Papæ: ergo in his, in quibus Papa non limitat Jurisdictionem Episcopo, potest æquè Episcopus, ac Papa.

89 Nihilominus talis propositio non est vera, quia multa potest Papa, quæ præscindendo ab omni reservatione Sedis Apostolicæ, non possunt Episcopi in sua Diœcesi, ut bene probat Fagnanus *in cap. Perniciosam. de Officio Judicis ordinarii a n.* 55. *usque in finem.* ergo falsum est, quod eandem potestatem Jurisdictionis habent Episcopi in sua Diœcesi, quam habet Papa in toto Orbe. Antecedens ostenditur, quia omissis definitionibus Fidei, quæ ad solum Papam spectant, cum Christus pro solo Petro rogaverit, ut non deficeret Fides ejus; Canonizatio Sanctorum, & Cognitio causarum majorum Ecclesiæ ad solum Papam spectant, non ex vi reservationis sibi factæ, sed ex institutione divina, ut dicitur *Can. Dudum. 3. quæs. 6.* ibi: *Hæc Ecclesia (nempe Romana) Domino instituente, prima, & caput sit cæterarum, & ad eam, quasi ad Matrem, & apicem omnes majores Ecclesiæ causæ, & judicia Episcoporum recurrant.*

90 Item solus Papa dispensare potest ut Monachus uxorem ducat, licèt in Sacris constitutus, ut dicetur suo loco. Atque hoc ex plenitudine potestatis, quam habet Papa, ex qua in Matrimonio rato, & non consummato, etiam dispensare potest. Hanc autem plenitudinem potestatis habet, quia Successor Petri, & Vicarius Christi in terris gerens vicem non puri hominis, sed Dei, ut di-

Digitized by Google

citur *in cap. Pro humani: de Homicidio in 6.* ibi: *Et ipsius Redemptoris locum in terris, quanquam indignè tenentes.* Unde Papa omnia potest, dummodo non faciat contra Fidem. Insuper solus Papa potest inducere impedimenta dirimentia Matrimonium, ipse solus dispensare potest in Bigamia, & multa alia, quæ dicentur suis locis, & videri possunt apud Fagnanum citatum. Quorum omnium ratio est, quam dat Sanctus Thomas adductus ab eodem Fagnano, quia scilicet ipse habet plenitudinem potestatis Pontificalis, quasi Rex in Regno; sed Episcopi assumuntur in partem solicitudinis, quasi Judices singulis Civitatibus præpositi.

91 Ex quibus apparet falsitas illius propositionis; prædicta enim non possunt Episcopi, non quia ea sibi reservavit Papa, sed quia ipse solus habet plenitudinem potestatis a Christo. Nec Sanchez supra citatus admittit, quod possit Episcopus totum illud, quod potest Papa in Orbe, adeoque dissolvere sponsalia cum damno Tertii; nam dicit *n. 3. ver. Sed dicendum*: [*Non potest Episcopus, potest verò Papa, quia nullus præter supremum Principem potest jus acquisitum Tertio auferre*] Suarez autem *in tract. de Pœnit. citato*, loquitur de absolutione Sacramentali; & certum est, quod sicut Papa potest absolvere quoscunque Fideles, ita Episcopus suos subditos, nisi peccatum habeat annexam excommunicationem reservatam Papæ.

92 Atque hæc de Episcopis dicta sint satis. Plura autem addentur cum opportunitas venerit. Interim si quis velit notitiam omnium Episcoporum in toto Orbe existentium, legat Barbosam *in lib. de Offic. & Potest. Episc. tit. 1. cap. 7. de Episcopatuum divisione; ubi eam tradit.*

CAPUT OCTAVUM.

DE ARCHIEPISCOPIS, SEU METROPOLITANIS, PRIMATIBUS, ET PATRIARCHIS.

§. PRIMUS.

QUID SIT ARCHIEPISCOPUS, seu Metropolitanus?

1 ARchiepiscopus sic dicitur quasi Princeps Episcoporum, cum præsit Episcopis suffraganeis suæ Provinciæ: *Can. Cleros, versu. Archiepiscopus distinct.* 21. Metropolitanus verò dicitur secundùm Isidorum in dicto *Can. Cleros*: a mensura Civitatum, quia decem, aut undecim Episcopos sub se soleat continere; sed veriùs Metropolitanus dicitur a Metropoli: Metropolis autem est Urbs Mater, idest prima, & præcipua reliquarum: est enim in quaque Provincia Urbs quædam, quæ inter alias eminet tanquam caput, & Episcopus hujus Civitatis dicitur Metropolitanus.

Sicut enim illa Urbs aliis præest, ita Episcopus illius præest Episcopis aliis; ideoque ut bene advertit Van-Espen *part.* 1. *tit.* 19. *cap.* 1. *n.* 8. Metropoles civiles fuerunt electæ, ut essent Metropoles Ecclesiasticæ. Verùm decursu temporis electio Ecclesiæ Metropolitanæ non fuit conjuncta Metropoli civili; sed quædam, sicut placuit, fuerunt electæ in Metropoles, etiamsi Urbs illa non esset Metropolis; & quidem hæc electio jam spectat ad Summum Pontificem cum consensu Principum, auditis Episcopis, qui suffraganei esse debent, & aliis habentibus interesse.

2 Hinc non requiritur, quod contineat sub se Archiepiscopus decem, aut undecim Civitates Episcopales,

les, neque necesse est, ut Archiepiscopus sit Metropolitanus civiliter, idest sit Episcopus in Civitate, quæ sit caput Provinciæ. Unde quod dicit Barbosa cum aliis *lib.1. Juris Ecclesiastici cap.7. n.4.* quod scilicet idem sit Archiepiscopus, & Metropolitanus, verum est, *si* ly *Metropolitanus* ecclesiasticè sumatur, non autem si civiliter; idest omnis Archiepiscopus est caput aliquarum Ecclesiarum Episcopalium, adeoque Metropolitanus Ecclesiasticè, quatenus ejus Ecclesia est Metropolis, seu caput aliarum; non autem omnis Archiepiscopus est Episcopus in Civitate Metropoli. Non repugnat tamè quod aliquis sit Archiepiscopus, idest habeat privilegia Archiepiscopalia, & tamen non habeat Episcopos suffraganeos, hunc autem Barbosa citatus *n.4.* vocat Archiepiscopum, non Metropolitanum.

§. SECUNDUS.

QUÆNAM SIT AUTHORITAS ARCHIEPISCOPORUM.

3 AMpla erat authoritas Archiepiscoporum supra suffraganeos Episcopos: nam in primis suffraganei præstabant juramentum obedientiæ idem, quod hodie præstant Romano Pontifici, cum enim Metropolitanus ordinarius Consecrator illorum, ut videre est apud Van Espen *par.1. tit.19. cap.2. n.7.* Cum autem circa annum 1400. Confirmatio, & Consecratio omnium Episcoporum cœperit devolvi ad Romanum Pontificem, ideo nunc ipsi soli juramentum obedientiæ præstant Episcopi.

4 Erant item Metropolitani ordinarii Judices Episcoporum suffraganeorum, ut constat *ex Can. Quiæ cognovimus 10. quæst.3.* & aliis Conciliis, & textibus relatis

tis ab eodem Van Espen *part.* 1. *c.* 3. *tit.* 19. *a n.* 1. *usq; ad* 5. Nunc autem ex Tridentino *sess.* 13. *de Reform. cap.* 8. statutum est, ut *causæ Episcoporum cum pro criminis objecti qualitate cõparere debeant, coram Põtifice Maximo referantur, ac per ipsum terminentur:* & *sess.* 24. *de Reform. cap.* 5. statuitur, quod *causæ criminales graviores contra Episcopos, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantùm Romano Pontifice cognoscantur, & terminentur.* Atque hinc causæ criminales contra Episcopos non possunt ab Archiepiscopis hodie cognosci, nisi ex commissione Summi Pontificis, ut facti instructionem sumant, & processum conficiant, quem tamen statim ad Summum Pontificem transmittere debent, ut ipse causam terminet, & definitivam sententiam ferat. In causis autem civilibus nil immutatum esse à Tridentino affirmat Van Espen citatus *cap.* 4. *n.* 12. & Gonzalez Tellez *in lib.* 1. *Decretal. tit.* 31. *cap.* 9. *ait: Hodie civiles tantùm causas definire valent.* adeoque juxta jus commune manent Metropolitani ordinarii Judices Episcoporum suffraganeorum, nisi ipsi fuerint immediatè subjecti Romano Pontifici.

5. Tota igitur Potestas, & Jurisdictio Archiepiscopi supra suffraganeos Episcopos reducitur ad hæc. Primò quod possit eis præcipere, quæ ad eorum officium spectant, & negligentes compellere etiam per censuras, ut constat *ex Can. Quia cognovimus* 10. *quæst.* 3. & docent Pirhing *lib.* 1. *tit.* 31. *sess.* 2. §. 1. *n.* 14. & 15. Pignatelli cum aliis *tom.* 8. *consult.* 22. *n.* 3. Non potest autem Vicarius Generalis Archiepiscopi, dum Archiepiscopus est in Provincia, aut non longè distans, excommunicare, vel suspendere Episcopum suffraganeum, ut constat *ex cap.* 5. §. *Officiales de Officio Ordinarii in* 6. Delegatus verò ab Archiepiscopo potest censuras in suffraganeum Episcopum ferre; quia de Vicario extat prohibitio in Canone cit. Unde nec licita, nec valida erit excommunica-

nica-

Digitized by Google

nicatio ab ipso contra suffraganeum Episcopum. De Delegato tamen nulla est in Jure prohibitio.

6 Secundò. Potest Archiepiscopus, seu Metropolitanus ad Concilium Provinciale Episcopos suffraganeos vocare, & statuta Provincialia condere cum consensu Coëpiscoporum Provincialium.

§. TERTIUS.

QUÆNAM SIT AUTHORITAS, ET JURISDICTIO Archiepiscopi in Subditos Suffraganeorum?

7 Dico primò: Archiepiscopum in subditos Suffraganeorum nullam Jurisdictionem exercere posse, nisi in casibus in Jure expressis. *Can. Nullus. & Can. Conquæstus. 9. quæst. 3. cap. Pastoralis. de Officio Judicis Ordinarii.& cap. Romana Ecclesia. eodem tit. in 6.* Casus autem in Jure expressi sunt. 1. quoties subditus Episcopi suffraganei appellat ab Episcopi sententia, vel gravamine, sive in causis spiritualibus, sive civilibus, & temporalibus. *cap. Romana. de Appellationibus in 6,* & *cap. Duo simul. de Officio Judicis ordinarii.* Barbosa *lib. 1. Juris Ecclesiast. cap. 7. a n. 52.* & Pirhing *lib. 1. tit. 31. a n. 20.*

8 Notandum primò, quod non potest Archiepiscopus constituere Vicarios foraneos, seu Judices in Diœcesibus Suffraganeorum super futuris causis appellationum, nisi consuetudine fuerit receptum, ut constituantur. Postquam autem ad ipsum Archiepiscopum fuerit appellatio facta, bene potest ipse officiales ibi constituere, qui partes citent &c. Ratio est, quia postquam facta est appellatio, jam Jurisdictionem acquisivit, ante eam factam, nullam Jurisdictionem actualem habet in subditos Suffraganei. Atque ita *in cap. Romana. de Officio Judicis ordinarii in 6.*

9 No-

Digitized by Google

9 Notandum secundò, quod quamvis causam ad se per appellationem delatam possit Archiepiscopus subdito Suffraganei delegare, non tamen potest cogere invitum, ut delegationem suscipiat. Ratio est, quia sufficit ut causa pertineat ad Jurisdictionem Delegantis, & non requiritur, ut Delegatus sit subditus Delegantis. Cum igitur jam Archiepiscopus habeat Jurisdictionem in Appellantem, & Appellatum, poterit non subdito suo causam delegare; at non subditum suum compellere non potest ad acceptandam commissionem: atque ita Pirhing *lib.* 1. *tit.* 31. *n.* 23

10 Dico secundò. Casus secundus, in quo Jurisdictionem habet in subditos Suffraganeorum Archiepiscopus, est, cum visitat Provinciam, quam visitare posset liberè, & procurationes exigere, pro ut latè describitur *in cap.* 1. *de Censibus in* 6. nisi Jure novo Tridentini *cap.* 3. *sess.* 14. *de Reform.* statutum fuisset, ut non visitentur Diœceses Suffraganeornm, nisi causâ cognitâ, & probatâ in Synodo Provinciali. Cum igitur nunc Concilia Provincialia rarissimè celebrentur, abiisse in desuetudinem visitatio Metropolitanorum videtur.

11 Dico tertiò. Casus tertius, in quo Archiepiscopus Jurisdictionem exercere potest in subditos Suffraganeorum, est, quoties in Provincia, aliqua prava consuetudo habetur, & Episcopi negligētes sint in ea tollenda: tunc enim poterit excommunicare subditos Episcoporum, qui eam pravitatem exercent; quia universalis cura totius Provinciæ Metropolitano commissa est, ut dicitur *Can. Cleros. dist.* 21.

12 Dico quartò. Casus quartus, in quo exercere potest Jurisdictionem in subditos Episcoporum, est, quoties Canonici Cathedralis Suffraganeorum cessantem divinis, & Episcopus vellet in Ecclesia Cathedrali divina celebrare: tunc enim ad querelam Episcopi potest

Archie-

Digitized by Google

Archiepiscopus punire Canonicos, & eos compescere tanquam Papæ Delegatus. ita *in cap.Irrefragabilis. §.Caterum de Offic. Jud. ord.*

13 Alios Casus, in quibus devoluitur Jurisdictio in subditos Suffraganeorũ ad Archiepiscopum refert Glossa *in cap. Pastoralis. ver. Exceptis. de Offic. Jud. ord.* & Quaranta *in summa Bullarii. verbo Archiepiscopi authoritas.* Breviter autem referuntur ab Andrea Vallensi *lib.*1. *tit.* 8. §. 2. *n.*2. nimirum si subditus Episcopi delinquat in Diœcesi Archiepiscopi, vel in ea prædium habet. Si absolutus ab Archiepiscopo nolit obedire Episcopo. Si Clericus causam criminalem contra suum Episcopum habeat, quæ deduci debet ad Synodum Provincialem, in qua Archiepiscopus præest. Si Episcopus negligens fuerit in eo,quod facere debet. Verùm Pirhing. *lib.*1.*tit.* 31. *n.* 29. probabiliùs censet, quod licèt Archiepiscopus possit compellere mandatis, & censuris Episcopum suffraganeum negligentem, ut bene suum munus exerceat, non tamen potest, si ille negligens sit, exercere Jurisdictionem in subditos ejus;quia non reperitur concessa talis Jurisdictio. Reliqui casus videantur apud Barbosam *lib.*1. *Juris Eccles. cap.* 7. *a n.* 51. *usq; ad* 103.

QUÆSTIO UNICA.

AN, ET QUOMODO ARCHIEPISCOPUS possit Excommunicatum ab Episcopo suffraganeo absolvere?

14 REspondeo, quod quamvis possit Archiepiscopus excommunicatum a Suffraganeo absolvere, si ad ipsum fuerit appellatum, ut constat *ex cap. Per tuam. de Sententia excomm.* & *cap. Venerabilibus. §.Porro. eodem tit. in 6.* tamen ut licitè fiat,debet servari mo-

Digitized by Google

modus præſcriptus *in cap. Ad reprimendam. de Offic. Jud. ord.* nimirum ut illum excommunicatum remittat ad Excommunicatorem, ut ab eo abſolvatur. Quod ſi Epiſcopus excommunicator nollet abſolvere, tunc Archiepiſcopus abſolvat recipiendo cautionem juratoriam, quod Epiſcopo ſatisfactionem competentem dabit, niſi conſtiterit, quod injuſtè fuerit excommunicatus. Si enim appellans fuerit injuſtè excommunicatus, tunc Archiepiſcopus ipſe abſolvere debet, & non remittere Epiſcopo excommunicatori. Ex eodem *cap. ad Reprimendam. de Offic. Jud. ord.*

15 Notandum hìc eſt, quod excommunicatus in uno loco habetur pro tali in omni loco; quia excommunicatio afficit perſonam, & ideo privatus eſt omnibus bonis Eccleſiæ. Per appellationem autem non ſuſpenditur ipſa excommunicatio, ſed cauſa devoluitur ad Superiorem, nimirum Archiepiſcopum, qui cognoſcere debet, an juſtè, vel injuſtè fuerit ille excommunicatus; & an abſolvendus ſit, vel ne. Interim tamen, non obſtante appellatione, poteſt Epiſcopus excommunicator appellantem excommunicatum abſolvere, ſi velit; quia per appellationem non eſt ei ablata Jurisdictio ordinaria, quam habebat, ſed ſolùm impedita in hoc, quod non poſſit aliquid facere, quod impediat effectum appellationis. Abſolvere autem non ſolùm non impedit, ſed juvat effectum appellationis. Ita Suarez *diſp. 7. de Cenſuris. ſect. 2. n. 33.*

§. QUARTUS.

DE PALLIO, ET CRUCE ARCHIEPISCOPALI.

16 PAllium eſt quoddam ornamentum de corpore Sancti Petri ſumptum, plenitudinem Pontificalis officii cum Archiepiſcopalis nominis appella-

Digitized by Google

tione conferens. *cap. Nisi specialis. de Authoritate, & usu Pallii. & cap. Significasti de Elect. &c.* Quod sit de corpore Sancti Petri sumptum habetur *in cap. Significasti.* Quod sit conferens plenitudinem, habetur *in cap. Nisi specialis.* Dicitur autē sumptum de corpore Sancti Petri, tum quia super altare ipsius benedicitur a Papa, tum quia a Sede Romana datur. Et quamvis quatuor Patriarchæ, nimirum Alexandrinus, Constantinopolitanus, Antiochenus, & Hierosolymitanus conferant etiam Pallium Metropolitanis subditis, tamen id non nisi ex concessione Sedis Apostolicæ Romanæ faciunt, & postquam ipsi ab ipsa Sede Romana suum Pallium acceperint. *cap. Antiqua de Privilegiis.* Van Espen *par. 1. tit.19. cap.5.n.10.*

17 Dicitur conferens plenitudinem potestatis &c. quia sicut Episcopus, nisi sit consecratus, non habet plenum Jus in sua Diœcesi; ita Archiepiscopus in sua Provincia, nisi Pallium obtineat, non habet plenum Jus, nec potest Archiepiscopus nominari, nec exercere ea, quæ sunt Ordinis Archiepiscopalis; nimirum Concilium convocare, Chrisma conficere, Clericos ordinare, & cætera omnia, quæ sine sacrificio Missæ non fiunt. dicto *cap. Significasti de Elec.* & *cap. Quod sicut. §. Præterea eodem tit.*

18 Notandum. Quod ante acceptum Pallium jam consecratus Episcopus, quamvis non possit dici Archiepiscopus, tamen poterit exercere ea, quæ fiunt cum sola stola sine Missa, ut cæmeteria sacrare, campanas benedicere &c. Item si exerceat alia, quę sine Missa nō fiunt, erunt quidem valida, sed illicita; adeo ut non solùm peccet contra Canones, verùm etiam possit ab officio removeri, aut aliâ pœnâ puniri. Vallensis *lib. 1. tit.8. n. 2. ver. Quòd si.* Azorius *lib. 3. inst. moral.cap.34.quæst.6.*

19 Uti potest Pallio Archiepiscopus Missam solemniter celebrans in omni Ecclesia, etiam exempta, Provinciæ suæ, non tamen ex Ecclesia egrediens processionaliter

Digitized by Google

naliter indutus vestibus sacris. *cap.* 1. *de Authoritate, & usu Pallii.* & *cap. Cum sis. eodem titulo* nec toties quoties Missam celebrat: hoc enim habet solus Summus Pontifex; sed solùm statutis diebus, & temporibus. *cap. Ad honorem. de Authoritate, & usu Pallii.* Hi autem dies exprimuntur a Glossa in dictum *cap. Ad honorem.* nimirum Dies Nativitatis Domini, S. Joannis, S. Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Dominica in ramis Palmarum, Feria v. in Cœna Domini, in Sabbato Sancto, tribus diebus Resurrectionis, & Pentecostes, in festivitate S. Joannis Baptistæ, & Omnium Apostolorum, & in Tribus Festivitatibus Beatæ Virginis, in die Omnium Sanctorum, in Dedicatione Ecclesiæ, & Ordinatione Clericorum, aut Consecratione Episcoporum, in omnibus principalibus festivitatibus cathedralis Ecclesiæ, & in die anniversario propriæ consecrationis.

20 Est autem ita personale Pallium, ut non possit alteri accommodari, sed ille, qui accepit, debet cum eo sepeliri. *cap. Ad hoc. de Authorit. & usu Pallii.* Item si transeat Archiepiscopus ad aliam Ecclesiam Archiepiscopalem, non potest priore Pallio uti, sed aliud petere, & expectare debet. *cap. Bonæ memoriæ il secondo in fine. de Postulatione Prælatorum.* Et Talis cum utroq; Pallio sepeliri debet. Vallensis *lib.* 1. *tit.* 8. *n.* 3. *v. Præterea.* citans Panormitanum. Quod si Archiepiscopus Pallium suum perdat, vel casu comburatur, poterit sine Pallio celebrare. Ita Rodericus a Cunha apud Barbosam *lib.* 1. *Juris Ecclesiastici. cap.* 7. *n.* 124.

21 Forma Pallii describitur ab Innocentio III. & refertur a Van Espen *par.* 1. *tit.* 19. *cap.* 5. *n.* 5. Item forma, qua petitur Pallium, & qua accipitur, refertur ab eodem Van Espen *ibidem n.* 12. & quidem peti debet intra tres menses a die Consecrationis, vel Confirmationis, vel Institutionis, vel Collationis, si antea non

fuerit consecratus. Et præstari debet Juramentum obedientiæ Summo Pontifici a Petente.

22 Pallio utuntur Archiepiscopi, Patriarchæ, & Primates, non verò Episcopi nisi ex privilegio, quod est concessum Episcopo Ostiensi in Ostiis Tiberis Fluvii, Sacri Cardinalium Collegii Decano, qui Papam consecrat, Papiensi in Lombardia, Lucensi in Tuscia, Bambergensi in Germania, Quinqueclesiensi in Ungaria. Videantur Barbosa *lib. 1. Juris Ecclesiastici cap.7. a n. 103. usque ad* 125. ubi agit de Pallio, & Azorius *par. 2. lib. 3. cap. 34.*

23 Aliud Insigne proprium Metropolitanorum, postquam Pallium acceperint, est Crucem elevatam ante se deferre per totam Provinciam etiam in locis exemptis. *cap. Antiqua. de Privilegiis*, & *Clementina. Archiepiscopo.eodem titulo.*

24 Notandũ, quod Crux defertur semper ante Archiepiscopum intra Provinciam suam, & quoties dat solemnem benedictionem, & quoties ingreditur Cathedralem; inter ipsum, & Crucem soli Canonici, & Dignitates esse possunt.

25 Denique Archiepiscopus benedicere potest subditos occurrentes in tota Provincia. *Clementina. Archiepiscopo. de Privilegiis.* Quod tam de benedictione solemni per illa verba, *Sit nomen Domini benedictum &c.* quàm de simplici intelligit Quaranta *in summa Bullarii. verbo. Archiepiscopi authoritas. n.30.* & Barbosa *lib. 1. Juris Eccles. cap.7. n.130. & 131.* dicit, quod potest collocare sedem Archiepiscopus in sua Provincia pro celebratione in Pontificalibus sine licentia Episcopi loci, vel Superioris loci exempti; quia in hoc non exercetur Jurisdictio, non tamen potest ordinare, chrismare, degradare sine licentia Episcopi, vel Superioris; quia in his exercetur Jurisdictio. Glossa *in dicta Clementina. Archiepiscopo. verbo. Etiam celebrare.*

S. QUIN-

Digitized by Google

§. QUINTUS.

DE IIS, QUÆ COMPETUNT PATRIARCHIS, & Primatibuus.

26 PAtriarchas, & Primates non differre in re, sed in nomine dicunt plures apud Barbosam *lib. 1. Juris Eccles. cap. 6. n. 10.* Verùm aliqui sunt strictè Patriarchæ, alii latè Patriarchæ, strictè verò Primates. Est igitur strictè, & verè Primas, latè, & impropriè Patriacha, qui in primaria Civitate Provinciæ, vel unius Regni, Sedem Archiepiscopalem habet. Est autem Patriarcha strictè, & verè, qui Superior in Jurisdictione est supra Episcopos, & Archiepiscopos plurium Provinciarum, seu Regnorum. Atque ideo sunt verè Patriarchæ tantùm quatuor post Romanum Pontificem, (est enim Romanus Pontifex etiam Patriarcha, ut dicemus suo loco) nimirum Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus. Ita *cap. Antiqua. de Privilegiis.* Qui desiderat scire unde ortum habuerint, & quare primus sit Constantinopolitanus, secundus Alexandrinus &c. legat Barbosam citatum *a n. 14. usque ad 25.* aut Phœbeum *lib. 1. tit. 2. a n. 5. usq; ad finem.* Sunt & alii, qui nomen Patriarchæ habent, vel ex concessione Summi Pontificis, vel ex antiqua consuetudine, & dicuntur Patriarchæ minores, qui videri possunt apud Azorium *par. 2. lib. 3. cap. 35. quæst. 5. v. Porro sunt alii.* Similiter, qui desiderat scire lites, & decisiones inter quosdam Archiepiscopos de primatu, legat ipsum Azorium citat. *cap. 36.*

27 Privilegia Patriarcharum illorum quatuor sunt. Primò ut possint sedere, & incedere ante Cardinales, sed hoc privilegium hodie non servatur. Secundum, ut Metropolitanos, eorunque Suffraganeos deponere possint; quod

Digitized by Google

quod privilegium hodie non servatur propter Tridentinum: solus enim Papa hodie illos potest deponere. Tertium, ut possint uti rubea veste, equo albo phalerato, fræno, & calcaribus deauratis. Quartum, ut æquiparentur Regibus. Quintum, ut ubiq; Crucem elatam præseferant, & Pallio utantur, præterquam in Urbe Roma, & ubi fuerit Papa, vel ejus Legatus a latere utens insigniis Apostolicæ dignitatis. *cap. Antiqua. de Privilegiis.* Ubi notandum, quod Archiepiscopus non potest Crucem elatam ante se ferre, nisi in sua Provincia. Patriarcha verò etiam extra Provincias suas, ubicunque sit, solâ exceptâ Urbe, in qua sit Papa, vel ejus Legatus utens insigniis Dignitatis Apostolicæ. Crux autem Patriarchalis habet duo ligna transversa, Archiepiscopalis unum. Sextum est, quod supra innuimus, ut possint dare Pallium Metropolitanis Subditis. Septimum est, ut habeant Jurisdictionem ordinariam supra omnes Episcopos, & Metropolitanos Regionum sibi subjectarum. dicto *cap. Antiqua. de Privilegiis.* Adeoq; ea, quæ dicta sunt de Archiepiscopis respectu Suffraganeorum, dicta intelliguntur de Patriarchis respectu Metropolitanorum, & Episcoporum suarum Regionum, salvis semper appellationibus ad Sedem Apostolicam. Hæc omnia videri possunt apud Barbosã *lib.1.Juris Ecclesiast.cap.6.a n.25.usq;ad* 40.

28 Notandum hic est, quod est Privilegium Patriarchis concessum, ut ad ipsos appellari possit, omisso medio, salvis appellationibus ad Sedem Apostolicam, quibus est ab omnibus humiliter deferendum. Explico: fit regulariter appellatio gradatim. *lege. Imperatores.21. ut in principio. ff. de Appellationibus, & cap. Dilecti. il terzo de Appellationibus, recusationibus, & relationibus:* adeoque inter Ecclesiasticos Judices ab inferioribus Prælatis appellatur ad Episcopum, ab Episcopo ad Archiepiscopum, ab Archiepiscopo ad Primatem, vel Patriarcham.

Id

Digitized by Google

Id igitur, quod conceditur Patriarchæ, est, ut omisso medio, nimirum Archiepiscopo, vel Episcopo, ad ipsum licita sit appellatio in omnibus suis Provinciis. Atque ita *ex cap. Antiqua. de Privilegiis.* infertur; quia cum dicat *Renovantes Patriarcharum privilegia* si non concederet hanc appellationem, omisso medio, nullum daretur privilegium, adeoque non sibi cohæreret Canon.

29 Denique notandum est. Quod ubi in sacris Canonibus fit mentio Patriarcharum soli veniunt illi quatuor veri, & strictè Patriarchæ, non verò alii minores. Azorius *par. 2. lib. 3. cap. 36. quæst. 7.*

CAPUT NONUM.

DE LEGATIS, ET NUNCIIS APOSTOLICIS.

§. PRIMUS.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT LEGATUS APOSTOLICÆ SEDIS?

1 LEgatus Sedis Apostolicæ est ille, cui a Summo Pontifice committitur gubernanda Civitas, vel Provincia, ibiq; vices Papæ gerit, ordinariam habens Jurisdictionem: *cap. Legatos. de Offic. Legati in 6.*

2 Tres sunt species Legatorum. Prima est Legatorum a latere, seu Lateralium. Secunda Dativorum, seu Missorum, aut Constitutorum. Tertia Nativorum, seu Natorum. Sunt Laterales, qui de latere Summi Pontificis, cui assistunt, emanant, & hi sunt Cardinales, ita ut ipsi soli propriè dicantur Legati a latere, ut ait Glossa *in cap. 1. de Offi. Legati. v. Legationis, & v. Commissum. in cap. Excommunicati. eodem tit.* quia soli Cardinales semper

per

Digitized by Google

per aſſiſtunt Papæ, & pars corporis ejus dicuntur.

3 Legati dativi ſunt Prælati non Cardinales, qui mittuntur a Summo Pontifice cum poteſtate Legationis, aut pro certo negotio ad alios Principes:& tales dicuntur Nuncii, pro ut ſunt in Hiſpaniis,Galliis, Polonia, & cæteris, qui in multis negotiis in illis locis Perſonam, & authoritatem Romani Pontificis gerunt. *Can.1.diſ.94.* ibi: *Sedis noſtræ intra Provinciam Siciliam vices noſtras, Deo auxiliante, commiſimus.*

4 Notandum hìc, quod illi, qui a Summo Pontifice mittuntur ad Civitatem aliquam, vel Provinciam Eccleſiaſtici ſtatus regendam abſque poteſtate Legati, & non ſunt Cardinales, dicuntur Gubernatores, non Legati, nec Nuncii, & habent ſolùm ordinariam poteſtatem circa regimen Civitatis. Illi autem, qui ad aliquod negotium minus, vel certam cauſam mittuntur a Papa, dicuntur Commiſſarii Apoſtolici. Verùm latè ſumpto vocabulo, poſſent omnes iſti dici Legati; quia omnis ab alio miſſus dicitur Legatus. *lege 1.& 2.ff.de Legationibus.*

5 Legati nativi ſunt, qui nec emanant, nec mittuntur a Papa, ſed habent annexum dignitati officium Legati; atque ideo dicuntur Legati nati; quia eo ipſo, quod ad dignitatem illam eliguntur, veluti naſcuntur Legati: & tales ſunt Archiepiſcopus Cantuarienſis in Anglia *cap.1. de Off. Legati.* & Eboracenſis *cap.1. de Appellationib.* & Rhemenſis in Francia *cap.Per venerabilem. §.Verùm. Qui filii ſint legitimi.* & alii, qui videri poſſunt apud Azorium *par.2.lib.5.cap.27.quæſt.1.v. Legati nati*

§. SE-

Digitized by Google

§. SECUNDUS.

QUODNAM SIT OFFICIUM, ET JURISDICTIO Apostolicorum Legatorum? Quis Honor eis debeatur? Et in quo differant inter se?

6 OFficium Legatorum est vices Papæ gerere in loco Legationis; adeoque sunt ab omnibus honorandi, ac dignè recipiendi; item adjuvandi in eundo, & redeundo in suis necessitatibus. *cap. Cum instantia*; & *cap. Procurationes. de Censibus.* Et taliter sunt honorandi, ut qui eos non admiserit, vel impedimentum imposuerit in officio Legationis, ipso facto est excommunicatus, & loca subjecta illi subjacent Interdicto Ecclesiastico, usquedum contumacia perseveret. *Extravagante: Super gentes. de Consuetudine.*

7 Omnes Legati Apostolici egressi ex Urbe utuntur Legationis insigniis, quæ sunt vestis rubea, equus albus phaleratus, frœnum, & calcaria deaurata. Ostiensis *in cap. Antiqua. de Privilegiis. n.* 12. Vallensis *lib.* 1. *tit.* 30. §. 2. *n.* 1. Has vestes, præsente Legato de Latere, alius Legatus deferre non potest, nec Legationis munus exercere. *cap. Volentes. de Officio Legati.*

8 Potest Legatus in Provincia sibi demandata, quod potest Episcopus in sua Diœcesi; & ejus Jurisdictio est ordinaria, adeoque morte Summi Pontificis non cessat. *cap. Legatos. de Officio Legati in 6.* Comparantur enim Proconsulibus, & Præsidibus; ita ut Legati à Latere se habent ut Proconsules, qui mittebantur ab urbe Roma, & Nuncii ut Præsides; adeoque eorum munus est vice Summi Pontificis salutaria inducere, & promovere, & noxia cuncta extirpare: & causas locorum, ubi sunt legati, quæ per appellationem, aut simplicem queri-

Digitized by Google

moniam ad eos deferuntur, tanquam Judices ordinarii cognoscere. *cap. 1. de Offic. Legati.*

9 Legati circa ea, quæ ad Jurisdictionem pertinent, ut mores componere, vitia extirpare &c. possunt statuta condere perpetuò duratura. *cap. Nemini dubium. de Officio Legati.*

10 Potestas Legatorum ex tenore literarum suæ commissionis pendet; sed Legatis a latere, etiam non ostensis literis, credi debet. Aliis verò Legatis non creditur, nisi ostensis literis Apostolicis. *Can. Nobilissimus. Distin. 97.*

11 Legatus a latere habet majorem potestatem, quàm Legatus Missus, seu Constitutus, & Legatus Constitutus habet majorem, quàm Legatus Natus. Unde, ut dixi, præsente Legato a latere, non potest Constitutus exercere munus Legationis, & præsente Constituto, Legatus Natus neque valet Jurisdictionem Legati exercere. Vallensis *lib. 1. tit. 30. §. 3. n. 1.* Item, præsente Legato a latere, non utitur insigniis suis Legatus Natus, nec Episcopus in Civitate, & Diœcesi suæ potest, præsente Legato a latere, benedicere populum, & deferre mozzettam; nec Archiepiscopus Crucem ante se. Barbosa cum aliis. *lib. 1. Juris Ecclesiastici. cap. 5. n. 22, & 23.*

12 Legatus a latere potest beneficia vacantia tempore suæ Legationis in Provincia sibi demandata conferre, quod non potest Legatus Constitutus, nec Legatus Natus, nisi eis fuerit specialiter commissum. *cap. 1. de Offic. Legati in 6.* Quæstiones autem, quæ moventur circa hanc potestatem, quam habet Legatus a latere beneficia conferendi, decidentur, cum de Beneficiis erit agendum. Interim legi potest Barbosa *lib. 1. Juris Eccles. cap. 5. a n. 28.* vel Azorius *par. 2. lib. 5. cap. 28.*

13 Item Legatus a latere potest absolvere excommunicatos ob Clerici percussionem, & aliis excommunica-

nica-

nicationibus Papæ reservatis; quod non habent cæteri Legati. *cap. Excommunicati. de Offic. Legati.* non tamen potest Legatus a latere ex vi generalis mandati ea, quæ Papa sibi reservavit; unde nec Episcopos transferre potest de uno loco in alium, nec unam Ecclesiam Cathedralem alteri subjicere; & ideo Cardinalem Titulo Sancti Laurentii in Lucina Legatum in Sicilia, legimus *in cap. Nisi. & cap. Quod translationem. de Offic. Legati.* reprehensum fuisse ab Innocentio III. illis verbis. *Nisi specialis illa dilectio, quam ad personam tuam habuimus, & habemus, factum motum animi nostri temperarat, pœna dolenda, cognoscere, quantum excesseris.* eo quod Episcopum Trojanum ad Ecclesiam Panormitanam sine consensu prædicti Summi Pontificis, transtulit; eandemque Ecclesiam Panormitanam Messanensi subjecit, dans ei privilegium Primatiæ, quod Panormitanæ debetur, tanquã Archiepiscopali existenti in Primaria Civitate Regum Sede, ac Regni Capite.

14 Denique neque potest causam specialiter commissam uni a summo Pontifice, ad se avocare, vel sententiam ab eo latam irritare. *cap. Studuisti. de Offic. Legati.* Nec postquam ipse Legatus causam remisit Papæ, potest eam amplius cognoscere. *cap. Licet Tranenses. de Offic. Legati.* Ratio primi est, quia mandatum speciale derogat generali. Ratio secundi est, quia legatus jam desinit esse Judex causæ, quam retulit ad Pontificem.

15 Denique ex Tridentino *sess. 24. de Reform. cap. 20.* interdicitur Legatis quibuscunque, ne Episcopos in causis ad eorum tribunal spectantibus impediant, aut perturbent, nec in Clericos, aliasque personas Ecclesiasticas procedant, nisi priùs requisito Episcopo, & ipso negligente. Item idem Tridentinum præscripsit *sess. 22. de Reform. cap. 7.* Legatis formam in appellationibus admittendis, juxta *cap. Romana. de Appellationibus in 6.*

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM.

DE SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIBUS.

1 CArdinales sic dicti, quia Cardines Ecclesiæ; sicut enim ostium cardine regitur, ita Ecclesia Cardinalium consilio roboratur; adeoque Papæ in gubernanda universali Ecclesia assistunt tanquam Consiliarii præcipui. *cap. Fundamenta. §. Decet. de Elect. in 6.*

2 Olim erant Cardinales inferiores Episcopis, adeo ut arbitrarentur diminui in gradu, qui ex Episcopis fierent Cardinales, ut ait Zerola, & Gomesius adducti a Van-Espen *par. 1. tit. 22. cap. 1. n. 21.* Hodie tamen sunt propter officium digniores non solùm Episcopis, verùm etiã Archiepiscopis, & Patriarchis. Proter officium dixi, quia secũdùm Ordinem sæpe est superior Episcopus, quo nec ipse Papa est secundùm Ordinem superior. Hinc Cardinalatus est cæteris dignitatibus Ecclesiasticis excellentior, ut declaravit Eugenius IV. in Constitutione, quæ incipit *Non mediocri. §. 14.* & post Papam primum gradum obtinet; adeoque Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ æquiparantur Regibus, & sunt fratres Papæ, & cum eo, tanquam capite, speciali modo unum corpus efficiunt sicuti Canonici Cathedralis cum Episcopo. Barbosa cum pluribus aliis *lib. 1. Juris Eccles. cap. 4. a n. 14. usq; ad 33.*

§. PRIMUS.

QUÆNAM SINT CARDINALIUM PRIVILEGIA.

3 PRimum Privilegium Cardinalium est, ut in Ecclesia, cujus sunt Titulares, & in aliis subjectis eidem

Digitized by Google

eidē Titulari habeant Jurisdictionem Episcopalem. *cap. His, quæ. de Majoritate, & Obedientia.* Habet nanque quisque Cardinalis Ecclesiam aliquam in titulum, nimirum Sanctæ Crucis in Hierusalem: Sanctorum Marcellini, & Petri &c. Qui omnes Tituli, tum antiqui, qui solùm erant viginti octo, tum additi ab aliis Pontificibus, videri possunt apud Azorium *lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 1. *quæst.* 6. In his igitur Ecclesiis Cardinales, sive Presbyteri, sive Diaconi, possunt matrimoniis interesse, vel aliis licentiam dare ut interfint, benedicere solemniter, & uti insigniis Episcopalibus. Barbosa cum pluribus. *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 4. *n.* 33. Possunt in iisdem Ecclesiis beneficia conferre, Beneficiatos deponere, visitare personas subjectas, excommunicare, suspendere, & interdicere. Idem Barbosa cum aliis *n.* 37. 38. & 39.

4 Secundum Privilegium est, ut omnes Cardinales, sive Diaconi, sive Presbyteri etiam si non sint Episcopi, dummodo sint Sacerdotes, possint ordines minores conferre in propriis titulis suis subditis, ac familiaribus. Idem Barbosa cum pluribus aliis. *n.* 40.

5 Tertium Privilegium est, ut omnes, qui Cardinalem aliquem ausi fuerint offendere, vel consilium dare, aut auxilium in capiendo, percutiendo &c. teneantur crimine læsæ Majestatis, & gravissimis pœnis subjaceant. *cap. Fœlicis. de Pœnis in* 6. quod ipsum in Bulla Cœnæ Domini replicatur.

6 Quartum Privilegium est, ut Cardinalis Episcopus non possit damnari de crimine sine testibus septuaginta duobus; si Presbyter, sine quadraginta quatuor; si Diaconus sine viginti septem. *Can. Præsul.* 2. *quæst.* 4. Ostiensis, & Joannes Andreas *in cap. Licet universis. de Testibus*, per textum in dictum Canonem *Præsul*. Damnari autem, aut deponi non potest Cardinalis nisi a solo Romano Pontifice. Glossa *in cap. Ex gestis. de Clericis non resi-*

Digitized by Google

residentibus. ver. Ab omnibus.

7 Quintum Privilegium, ut in generalibus dispositionibus odiosis non comprehendantur Cardinales, nec in Constitutionibus pœnalibus, nisi fiat de eis mentio specialis. Ita plures Doctores, quos affert Barbosa citatus *n.* 59. *&* 60.

8 Sextum Privilegium est, ut eum, qui ducitur ad supplicium, si pallio, vel pileo tangant, liberent a morte. Idem Barbosa ex variis Authoribus *n.* 61.

9 Septimum est, quod a sententia lata cum voto, & consensu Cardinalium non datur appellatio; item, quod dicto Cardinalis creditur, non solùm se esse Legatum etiam non ostensis literis suę legationis, ut diximus, sed etiam si attestetur de speciali mandato Summi Pontificis, aut de ejus mente.

10 Notandum hìc est, quod creditur Cardinalis dicto, quoties concurrunt hæ tres conditiones; Primò quod Papa sit præsens, ad quem facilis possit haberi recursus pro verificatione assertionis. Secundò, quod sit de re verisimili assertio. Tertiò, quod non sit præjudicialis, adeoque creditur Cardinali Legato circa ea, quæ sunt Legato Jure communi competentia, non verò circa ea, quæ requirunt speciale mandatum. Ita plures Doctores, quos refert, & sequitur Barbosa dicto *cap.* 4. *lib.* 1. *Juris Eccles. n.* 66. & Pignatelli *tom.* 1. *Consult.* 249. *n.* 3.

11 Octavum Privilegium est, ut gaudeant Cardinales omnibus Privilegiis concessis Episcopis propter eorum majorem dignitatem. Unde gaudent Privilegio concesso *in cap. Quia periculosum. de Sent. excomm. in 6.* nimirum ut non includantur in generali statuto excommunicationis, suspensionis, & interdicti, nisi exprimantur, & possint sibi eligere Confessarium, quem voluerint; ut *in cap. ultimo. de Pœnit. & remissionibus.*

12 Nonum est, ut vestibus rubeis, & violaceis utantur,

Digitized by Google

tur; exceptis Dominicâ III. Adventus; & IV. Quadrageſimæ, in quibus utuntur colore roſæ ſiccæ. Regulares autem non mutant colorem habitus proprii. Innocentius IV. rubeum pileum tradidit Cardinalibus, quos mittebat ad regendas Eccleſias, anno 1244. poſtea omnibus fuit conceſſum. Paulus II. mandavit, ut nemo præter Cardinales birretum coccineum ferret, & primo anno ſui Pontificatus dedit pannum ejusdem coloris, quo equos, & mulas ſternerent, dum equitarent. Gregorius XIV. etiam Regularibus conceſſit rubeum pileum, quo antea ſoli Cardinales aſſumpti a Clero ſæculari utebantur. Urbanus VIII. voluit, ut Eminentiſſimorum titulum haberent, rejecto Illuſtriſſimorum titulo, & retento Reverendiſſimorum, ita ut in poſterum nemo poſſet hunc titulum aſſumere, niſi Electores Eccleſiaſtici Romani Imperii. Videatur Van Eſpen *par.* 1. *tit.* 22. *cap.* 1. *a n.* 24. Vtitur etiam titulo Eminentiæ Magnus Magiſter Equitum Sancti Joannis Hieroſolymitani. Denique Innocentius X. anno 1645. mandavit, ut ſolo nomine Cardinalis contenti non aliis titulis utercntur, quàm Eminentiæ Reverendiſſimæ, & quod in armis, & ſigillis coronas, & notas ſæculares amoverent, & ſolum pileum rubenti ſanguine Chriſti coloratum adhiberent.

§. SECUNDUS.

DE CONGREGATIONIBUS, ET CONCIſtorio Cardinalium.

13 CUM officium Cardinalium ſit Romano Pontifici aſſiſtere, eique in negotiis conſilium rectum præbere, & omnia, quæ eis a Papa pro utilitate Eccleſiæ injunguntur, adimplere; *cap. Per venerabilem. §. Sunt autem. Qui filii ſint legitimi*; & *cap. Fundamenta.*

§. De-

§. *Decet. de Elect. in 6.* solet Summus Pontifex eis negotia Ecclesiæ committere discutienda; adeoq; variæ Congregationes sunt institutæ, ut sic ea faciliùs expedirentur.

14 Est igitur Congregatio quorundam cętus Cardinalium a Pontifice institutus ad certa aliqua negotia dirigenda, discutienda, & terminanda, atque etiam de eis judicium ferendum, ita ut speciem aliquam Tribunalis referat. Unde & suos Officiales, & Ministros inferiores, quælibet Congregatio habet. Harum Congregationum aliæ sunt ordinariæ, aliæ sunt extraordinariæ. Istæ pro aliquo negotio instituuntur particulariter, quo finito cessant. Ordinariæ autem statum stabilem habent. Et tales sunt Congregatio Inquisitionis Fidei, sive Sancti Officii, quæ causas Fidei discutit: Congregatio Indicis, quæ libros corrigit: Congregatio Interpretum Concili Tridentini, quæ dubia circa Tridentinum occurrentia resolvit: Congregatio Sacrorum Rituum, quæ cæremonias, & ritus in festis, & officiis divinis ordinandis statuit; Congregatio Episcoporum, & Regularium, quæ negotia utrorunque discutit; ac propterea dicitur Occupatissima, & habet majorem numerum Cardinalium. Qui cupit harum Congregationum institutionem, finem, & numerum Cardinalium intervenientium scire, legat Van Espen *par. 1. tit. 22. a cap. 3. usq; ad finem tituli.*

15 Quænam autem sit talium Congregationum authoritas, & an earum declarationes habeant vim legis, an verò sint merè doctrinales; in quæstionem vertunt Theologi, & Canonistæ. Vera autem sententia est, ut innui in procemio num: 18. Quod si fuerint authenticâ formâ, ac solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejusdem Congregationis munitæ, habent vim obligandi in utroque foro, conscientiæ scilicet, & externo. Videantur Doctores, quos in dicto num. 18. procemii adduxi nimirum Barbosa *lib. 1. Juris*

Digitized by Google

ris Eccles. cap. 4. n. 81. 82. & 83. & Fagnanus *in cap. Quoniam. de Constitutionibus a n. 6. usq; in finem.*

16 Concistorium autem Cardinalium est consessus eorum coram Pontifice in ejus Palatio per modum Senatus: atque aliud est extraordinarium, in quo præter Cardinales intersunt alii Prælati, Principum Oratores, & Magistratus, qui Præsidenti Papæ assistunt, quod Concistorium dicitur publicum: aliud verò dicitur secretum, in quo soli Cardinales coram Papa interveniunt. De his Concistoriis agit Cardinalis de Luca *in relatione Curiæ Romanæ. discursu* 5. quem refert Van Espen *par. 1. tit. 22. cap. 2. a n. 5. usque in finem.* Et solent hodie fieri ad beneplacitum Papæ pro occurrentia negotiorum. Sunt autem negotia Concistorialia Creatio novorum Cardinalium, provisio Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium, & Coadjutoriæ cum futura successione talium Ecclesiarum.

§. TERTIUS.

DE OFFICIO CARDINALIUM SEDE VACANte, & de Officiis particularibus ipsorum.

17 Collegium Cardinalium, Sede vacante, nullam jurisdictionem pertinentem ad Papam exercere potest, nisi in casu urgentissimæ necessitatis, nimirum pro aliqua terra de dominio Ecclesiæ defendenda, vel pro occurrendo alicui periculo imminenti omnibus Cardinalibus. *Clementina. Ne Romani. de Elect.* & Pius IV. in Constitutione, quæ incipit: *Inter eligendo. idibus Octobris 1562. in Bullario novo. tom. 2. pag. 91.* Hinc Constitutiones Summorum Pontificum, nec immutari, nec corrigi possunt, nec in illis dispensari a cœtu Cardinalium, mortuo Papa: & præsertim quæ concernunt ad

Digitized by Google

electionem ipsius Papæ. *dicta Clementina. Ne Romani. de Elect.* Videatur Fagnanus *in cap. Cum olim. de Majoritate, & Obedientia a n. 3. usq; ad 63.* ubi de Jurisdictione Collegii Cardinalium, mortuo Papa, plenè agit.

18 Officia, quæ specialiter Cardinales aliqui gerunt, sunt Cancellaria Romana, & qui hoc habet officium dicitur Vicecancellarius: Dataria, & qui hoc habet, dicitur Datarius: Pœnitentiaria, & qui hoc officium habet, dicitur Summus Pœnitentiarius. Item datur Camerarius, Papæ Vicarius, Bibliothecarius, & Præpositus, seu Præfectus Inquisitionis generalis, & alii aliorum officiorum Præpositi, seu Præfecti ad beneplacitum Papæ.

19 Officium Cardinalis Vicecancellarii est cura, gubernatio, & directio Audientiæ sacri Palatii specialiter circa expeditionem Bullarum, & literarum Apostolicarum super collationibus Beneficiorum, & aliarum gratiarum: atque ipse interest examini ejus, qui in Auditorem Sacrę Rotæ assumendus est. Dicitur autem Vicecancellarius, & non Cancellarius; quia solus Papa est Ecclesiæ Cancellarius, ut volunt multi apud Barbosam *lib. 1. Juris Eccles. cap. 4. num. 17.* Cardinalis autem de Luca *in Relatione Romanæ Curiæ. discursu 10.* vult quod non videtur dignitati Cardinalitiæ congruum assumere officium inferius, seu Prælativum, ideòst quod ea gerebant Prælati; non est tamen incongruum, quod illud Jure cujusdam Commendationis administretur: quemadmodum Cardinalis in munere Datarii, non dicitur Datarius, sed Prodatarius. Hoc officium Vicecancellarii, quo ad Jurisdictionem per regulas Cancellariæ sibi tributam, cessat morte Pontificis, quamvis Bullæ, quæ jam inveniuntur plumbatæ in vita Pontificis, subscribi possint, & expediri per Officiales Cancellariæ.

20 Datarii officium est, libellos supplices pro gratiis obtinendis, & dispensationibus offerre Papæ, & difficul-

ta-

Digitized by Google

tates, aut rationes, ob quas neganda sit, vel concedenda gratia, proponere. De Signaturis Gratiæ, & Justitiæ non nihil diximus *cap.* 4. §. 17. ubi de Referendariis Apostolicis. Habet Datarius suos Officiales, de quibus videri potest Cardinalis de Luca *in Relatione Curiæ Romanæ discursu* 9.

21 Camerarii officium est, ærario, seu Romani Pontificis fisco, & patrimonio Ecclesiæ præesse. Glossa *v. Camerarium. In Clement: Romani. de Elect.* Ejus officium morte Papæ non expirat: sicut nec Pœnitentiarii. *Eadem Clementina.* §. *Eo tamen.*

22 Officium Pœnitentiarii majoris, seu potiùs summi, est circa forum Sacramenti Pœnitentiæ, & utitur opera aliorum Pœnitentiariorum minorum, qui confessiones audiunt, & habent authoritatem absolvendi a censuris, dispensandi &c. juxta concessionem a Sede Apostolica sibi factam. Non expirat morte Pontificis, ut dixi, Authoritas Summi Pœnitentiarii, nec aliorum Pœnitentiariorum quo ad forum animæ; quo ad verò forum fori mixtim, vel separatim pertinentia, conquiescit. Ita Barbosa cum aliis *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 4. *num.* 98.

23 Vicarius Urbis est constitutus a Papa tanquam Episcopo Romano, sicut alii Episcopi suum Vicarium Generalem in Diœcesi constituunt; & quia ejus deputatio solet fieri ad vitam ipsius Cardinalis Vicarii Romæ constituti, non expirat morte Pontificis ejus officium.

24 Bibliothecarius est, qui curam Bibliothecæ Papalis habet, & de eo fit mentio *in Can. Adrianus. dist.* 63.

25 Denique sciendum, quod nomine Cardinalium simpliciter soli Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, de quibus locuti sumus, veniunt. Unde Cardinales Ravennates, & Compostellani, & si qui alii sint hoc nomine appellati, dicuntur abusivè Cardinales, sicut Rex Scaccorum. Glossa *v. Principem mundi. in Can. Pudor* 32. *quæst.* 2.

Digitized by Google

Qui plura desiderat de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, potest Authores legere, quos citat Barbosa *lib. 1. Juris Eccles. cap. 4. num.* 101. Qui verò notitiam de Officialibus aliis Curiæ Romanæ uberiorem cupit, legat Cardinalem de Luca *in Relatione Curiæ Romanæ.*

CAPUT UNDECIMUM.

DE SUMMO PONTIFICE.

AD supremam omnium Ecclesiasticarum Personarum devenimus, nimirum Romanum Pontificem; de eo quantùm nobis licet pro nostris Institutionibus agemus.

§. PRIMUS.

DE NOMINIBUS, DIGNITATE, ET POtestate Summi Pontificis.

1 ROmanus Pontifex dicitur Papa, quia admirabilis, cum vices Dei gerat in terris; Papæ enim est interjectio admirantis: vel Papa dicitur, quia Pater Patrum a verbo græco Pappos, quod latinè est Pater. Dicitur etiam Christianorum Pontifex, Summus Sacerdos, Princeps Sacerdotum, Vicarius Christi, Caput Corporis Ecclesiæ, Pastor ovilis Domini, Rector domus Dei, Pontifex Maximus, & aliis nominibus appellatur, quæ referuntur a Barbosa *lib. 1. Juris Eccles. cap. 2. num. 19.*

2 Est Papa Episcopus Ecclesiæ Romanæ, & Archiepiscopus habens Episcopos suffraganeos, est Patriarcha Occidentis, & Summus totius Ecclesiæ Pastor. Ut Episco-

Digitized by Google

ſcopus Romanus habet Vicarium Generalem, qui eſt, ut diximus, unus ex Cardinalibus, qui etiam dicitur Vicesgerens: ut Archiepiſcopus habuit ſeptem Epiſcopos Romæ vicinos ſibi ſubjectos, nunc autem ſunt ſex propter unionem duorum Epiſcopatuum, & ſunt ſex Epiſcopi Cardinales, nimirum Oſtienſis, Portuenſis, Sabinus, Præneſtinus, Albanus, & Tuſculanus, Septimus erat Silvæ candidæ, ſeu Sanctæ Rufinæ, qui unitus fuit Portuenſi: ut Patriarcha habet Papa ſibi ſubjectos Archiepiſcopos, & Primates Italiæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Poloniæ, Ungariæ, Galliæ, Svetiæ, & Norvegiæ: ut denique totius Eccleſiæ Paſtor præeſt omnibus totius mundi Eccleſiis, & Jura dat.

3 Salutatur Beatiſſimus Pater, aut Sanctiſſimus, quia talis præſumitur, ac propterea illum adoramus, & in pede oſculamur. Videatur Barboſa dicto *cap. 2. lib. 1. Juris Eccleſ. a n. 1. uſq; ad 20.*

4 Eſt hic nobis agendum de Romano Pontifice non ut Epiſcopo, Archiepiſcopo, & Patriarcha, quia ut tali conveniunt ea, quæ jam dicta ſunt de aliis, ſed de ipſo ut Papa, ſeu ut Paſtore univerſali totius Eccleſiæ loquimur.

5 Dico itaque primò: Dignitas Papæ eſt omnium Suprema, ita ut nullum Papa Superiorem in terris agnoſcat; quia ipſe eſt caput Eccleſiæ univerſalis. Caput inquam, pro ut eſt Vicarius Capitis, ideſt Chriſti, quantùm ad exteriorem gubernationem: non verò quantùm ad influxum gratiæ interiorem; in quo ſenſu ſolus Chriſtus Dominus eſt caput Eccleſiæ, ut bene ait Sanctus Thomas *3. par. quæſt. 8. art. 6.* Eſt igitur Papa Vicarius Chriſti, & Dei, cujus eſt omnis terra, & caput viſibile totius Eccleſiæ, & quamvis *Can. Ego Ludovicus. dist. 63.* dicatur Vicarius Beati Petri; tamen hoc impropriè dicitur, ut notat Sylveſter. *verbo Papa n. 1.* nimirum gerens

rens Vicariatum Christi, quē gessit Divus Petrus; adeoq; habet Papa summam potestatem æqualiter ac habuit Divus Petrus.

6 Dico secundò: Potestatem supremam habet Papa immediatè a Deo. *cap. Per venerabilem. §. Sunt autem. Qui filii sint legitimi. Can. Sacrosanta Romana, dist. 22.* Et probatur, quia non habet eam a se; quia est Vicarius: nec a communitate Fidelium; quia nec legitur Christus dedisse communitati Fidelium potestatem hanc, ut eam alicui communicaret; nec potest communitas Fidelium eam communicare; quia, cum sit potestas ligandi, & solvendi in foro conscientiæ, excedit omnem humanam potestatem: ergo solùm a Christo est talis potestas concessa. Et quidem immediatè Beato Petro, cui dixit Joannis 21. *Pasce oves meas*, & Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum &c.* & mediante electione, Successoribus Petri. Unde solus Petrus, ejusque Successores Romani Pontifices primatum in Ecclesia tenuerunt; ita, ut isti, post Canonicam electionem, immediatè a Christo supremam potestatem consequantur. *Can. Quanvis. dist. 21.* & *cap. Licet de vitanda. de Elect.* Et ideo Cardinales per electionem non conferunt Jurisdictionem Papę. Quomodo enim conferre possunt, dum eam ipsi non habent? *cap. Nemo potest. de Regulis Juris in 6.* Solùm igitur designant Personam, cui ex vi promissionis Christi factæ Petro, confertur ab ipso Christo suprema Jurisdictio. Videatur Fagnanus *in cap. Significasti. de Elect. a n. 28.*

7 Dico tertiò: Authoritas Papæ est supra Concilium universale; adeoque authoritas Concilii œcumenici, seu universalis non est immediatè a Deo, sed ab ipso Papa; & ideo quando dixit Concilium Constantiense, habere se authoritatem a Deo, cui omnes obedire debent, etiam ipse Papa, hoc non fuit determinatum,

dum

dum erat Concilium Generale, ut testatur Joannes de Turrecremata, qui ibi fuit præsens; & similiter decreta Concilii Basileensis, quo ad hoc punctum non fuerunt legitima, nec approbata. Unde est, quod nec Summus Pontifex, nec tota Ecclesia congregata facere potest, quod ipsa non sit sub uno tantùm capite; quia Vicarius, & Communitas subjecta nō potest facere contra id, quod Principalis Dominus, nimirum Christus fecit, dum dixit: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et erit unum ovile, & unus Pastor.* Est igitur supra omne Concilium Authoritas Papæ, ut definit Concilium Florentinum sub Eugenio IV. *sess.* 25. & Lateranense sub Leone X. *sess.* 11. & legi potest Fagnanus a *num.* 10. *In cap. significasti. de Elect.* & Joannes Azorius *par.* 2. *Institutionum Moralium lib.* 4. *cap.* 13. & Pignatelli *tom.* 9. *consult.* 92. *per totam.*

§. SECUNDUS.

AD QUÆ, ET QUAS PERSONAS SE EXtendat Authoritas Papalis?

8 PLura, ad quæ se extendit authoritas Papæ dicta sunt sparsim, & plura etiam dicentur suis locis, cum opportunitas venerit in toto decursu hujus operis. Interim.

9 Dico quartò: Potestas Papæ extenditur supra omnes Prælatos, quicunque illi sint; quia eos instituere potest, & deponere, privare, & suspendere, cum sit Judex universalis. *Can. si Papa. dist.* 40. *Can. Factæ Subditorum* 9. *quæst.* 3. *cap. Per Venerabilem.* §. *Rationibus. Qui filii sint legitimi.* Videatur Azorius *par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 14. ubi subjectionem omnium Patriarcharum, Primatium, Archiepiscoporum, & Episcoporum Romano Pontifici debitam ex

ex variis testimoniis ostendit. Hinc quia Judex ordinarius est omnium fidelium Papa, a quocunq; potest ad ipsum fieri appellatio, etiam omisso medio *Can. Ad romanam. Il secondo. 2. quæst. 6.* Pignatelli *tom. 3. consult. 1. a num.* 18. *usque ad* 24.

10 Dico quintò: extenditur Jurisdictio Papæ supra Imperatorem, Reges, & Principes omnes Christianos. Unde Zacharias Papa deposuit Regem Francorum, quia non erat utilis Regno. *Can. Alius* 15. *quæst. 6.* Innocentius excommunicavit Arcadium Imperatorem, & alius Innocentius Fidericum deposuit. *Can. Duo sunt. dist. 96.* ubi dicitur quod non tam aurum est pretiosius plumbo, quàm potestas Pontificia sit altior Dignitate regia. Deinde probatur, quia Potestas omnium Imperatorum, Regum, & Principum sæcularium jurat fidelitatem Papæ, & obedientiam recognoscendo ab ipso omne quod habet, ut patet *in Can. Tibi Domino: dist. 63.* ergo est inferior, & subjecta potestati Papæ.

11 Neque obstat primò, quod potestas Imperatoris sit a Deo, sicut est ipsa potestas Pontificia. *Can. Quoniam. dist.* 10. quia est quidem a Deo, sed mediante Papa, qui eam potestatem Imperatori concedit, non ut homo, sed ut Vicarius Dei.

12 Neque obstat secundò, quod sint potestates distinctæ *dicto Can. Quoniam. dist.* 10. nimirum una Spiritualis, alia Temporalis, & ad diversos fines ordinatæ. *Can. Duo sunt. dist. 96.* non obstat: quia ita sunt distinctæ, ut una, nimirum Imperatoria, sit minor, quàm Pontificia, & illi subordinetur. Sunt enim duo luminaria. *cap. Solitæ. §. Præterea. de Majoritate, & Obedientia.* Luminare scilicet majus, ut præesset diei, ideſt spiritualibus in firmamento Ecclesiæ, & est Potestas Pontificia; & Luminare minus ut præesset nocti, ideſt temporalibus, & est potestas Regia, aut Imperatoria.

Quod autem potestas Imperatoria sit ordinata ad temporalia, & Pontificia ad spiritualia non facit, quin utraque potestas sit in Summo Pontifice, quanvis diverso modo, nimirum Principalior, quæ est spiritualis, est in Pontifice immediatè, tum quo ad institutionem, tum quo ad executionem, quantùm ad omnes personas, & per omnia. Minus principalis, quæ est temporalis, est in Pontifice solùm immediatè quo ad institutionem; quia ipse Imperatorem instituit, sed non secundùm immediatam executionem, nisi ex causa; ut patet *in cap. Per venerabilem. §. Rationibus. Qui filii sint legitimi*: ibi: *Certis causis inspectis temporalem Jurisdictionem casualiter exercemus.* Atque hinc

13 Dico sextò: Papa potest per se ipsum immediatè Imperatorem eligere; quando justa est causa: potest etiã Electores Imperatoris creare, & jam creatos mutare, si adest justa causa. Ita Sylvester cum aliis, *v. Papa. quæst.* 10. §. *Tertium.* Et ratio est; quia Papa habet dirigere ad pacem, & finem spiritualem omnes Fideles. Ergo eligere potest Ministros ad talem finem necessarios: ergo si justa causa adest, potest Imperatorem, & Electores eligere, & electos mutare. Quod ipsum militat de Regibus, aliisque Principibus Christianis.

14 Dico septimò: Papa Electum Imperatorem potest confirmare. *cap. Venerabilem. de Elect.* Confirmatum consecrare. *cap. Cum veniſſent. de Sacra Unctione.* Consecratum coronare, & in coronatione juramentum fidelitatis, & obedientiæ exigere. *Can. Tibi soli. dist. 63.* quod si fuerit Imperator dignus excommunicatione, potest illum Papa excommunicare, & deponere. *Can. Duo. dist. 96.* & Vassallos ab ejus fidelitate absolvere. *Can. Nos Sanctorum* 15. *quæst.* 16. Videatur Azorius *par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 19. *quæst.* 6. *& lib.* 10. *cap.* 2. Ubi fusè, & eruditè probat citatis textibus, & Doctoribus utriusque Juris potestatem Im-

Digitized by Google

peratoriam proximè pendere a Romano Pontifice. Videatur etiam Pignatelli *tom.* 5. *Conſ.* 60. *n.* 1. & 2. Ubi oſtendit Summum Pontificem eſſe totius Mundi Monarcham tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus, & *tom.* 6. *conſult.* 31. *n.* 15.

15 Jam longum eſſet,& contra Inſtituti noſtri rationem quæ de Summi Pontificis poteſtate dici poſſent, ſingillatim hìc explicare, cum tanta ſit,ut Papa ſit omnia, & ſuper omnia, ut ait Baldus. *In lege Barbarius in fine. ff. de Officio Prætoris*;& poſſit ſupra jus,& contra jus, & extra jus humanum omnia, ut ait idem Baldus *in cap. Cum ſuper. n.* 1. *de Cauſa poſſeſſionis, & propietatis*; quapropter aliquas tantùm quæſtiones maximè utiles breviter reſolvere ſit licitum.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM SUMMUS PONTIFEX POSSIT Papatui renunciare, vel ob aliquod crimen deponi?

16 REſpondeo ad primam partem quæſtionis affirmativè. *ex cap.* 1. *de Renunciatione in 6.* & Barbola cum multis *lib.*1. *Juris Eccleſ. cap.*2. *n.*211. & Azorio *lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 6. *quæſt.* 1. *verſu. Nihilominus*, & Sylveſtro *verbo Papa quæſt.*3.& aliis communiter. Ratio eſt quia ſic fuit definitum a Bonifacio VIII. in prædicto *cap.* 1. & exemplo ſuo a Sancto Cœleſtino V. qui de conſenſu, & concordi conſilio Cardinalium Papatui renunciavit; & præterea,quia rationes in cotrarium adductæ nihil probant. Nam quod renunciatio debeat fieri in manu Superioris, intelligitur,quando qui renunciat,Superiorem habet, non verò quando Superiorem non habet. Sicut enim ſine Superiore inſtituitur, ita ſine Superiore

Digitized by Google

riore renunciat, ut bene ait Pater Suarez *de Fide. diſp.* 10. *ſect. 6. n.* 1. Nec Summus Pontifex adſtringi poteſt ad ſolemnitates, quæ in reſignationibus Beneficiorum requiruntur; quia tales ſolemnitates ſunt de Jure humano, quo Papa non adſtringitur.

Neque alia ratio de contractu inito inter Eccleſiam, & Papam electum tanquam Sponſum inter, & Sponſam, urget; quia hoc ſolùm probat non poſſe ſine juſta cauſa renunciare; at poſita juſtâ causâ. e.g. virium defectu, aut inhabilitate regendi univerſalem Eccleſiam, bene poteſt Papa ipſe ſe determinare ad renunciandum, & ejus conſcientiæ ſtandum eſt; cum non habeat Superiorem, qui cauſam illam examinare, admittere, aut rejicere valeat. Unde quanvis videatur, quod debeat Papa hoc negotium cum Cardinalibus conferre, non tamen tenetur ex præcepto aliquo divino eorum definitionem ſequi.

Neque demum valet tertia ratio, nimirum quod Papa habeat immediatè Jurisdictionem à Deo, quia ita eſt a Deo, ut etiam ſit ab ipſo homine cooperante per conſenſum, & volitionem; unde per diſſenſum fit renunciatio. Sicut in naturalibus anima rationalis infuſa a Deo, homine cooperante per generationem, poteſt tolli a corpore per operationem hominis.

17. Reſpondeo ad ſecundam quæſtionem; & dico primò: ob ſolum crimen hæreſis poteſt Papa cogi ut dignitatem deponat. Eſt ſententia communis, teſte Azorio *par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 7. *quæſt.* 4. *verſu Altera ſententia. Et ſumitur ex Can. Si Papa diſt.* 40. ibi: *Cunctos ipſe judicaturus a nemine eſt judicandus; niſi deprehendatur a fide devius.* Ratio autem eſt quia hæreticus ſe ipſum ab Eccleſia ſegregat, propter autem alia crimina nemo ſe ſegregat ab Eccleſia: ergo juſtum eſt, ut Papa, qui per hæreſim ab Eccleſia ſe ſeparat, Pontificatum amittat, non verò ob alia crimina. Item hæreſis adverſatur doctrinæ

Digitized by Google

Fdei; alia crimina non adversantur Fidei, sed bonis moribus: ergo cum Papa sit magister Fidei, & veritatis, si talis non est, cum jam sit hæreticus, non potest fungi munere Papali; per malos autem mores quanvis possit malo exemplo suo pernicioſus esse Fidelibus; tamen quia Christus dixit de Pharisæis *Matth. 23. Sederunt super Cathedram Moysi Scribæ, & Pharisæi, quodcunque dixerint vobis, facite; secundum autem opera eorum nolite facere.* Ideo dum Papa Fidem retinet, & malus est, Papa est, & ejus doctrina tenenda; mores autem, & opera ejus non sequenda. Videatur Suarez *de Fide disp. 10. sect. 6. n. 14.*

18 Dico secundò: Papa in hæresim lapsus externam, & notoriam, vel ex facti ipsius evidentia, vel ex propria ipsius Papæ confessione, aut est ipso Jure divino privatus Pontificatu, ut est sententia Sylvestri *verbo Papa. quæs. 4.* Paludani, Armillæ, Turrecremata, Anconitani, & aliorum apud Azorium *par. 2. lib. 4. cap. 7. quæst. 1.* aut est privandus Pontificatu per sententiam declaratoriam Ecclesiæ de illius hæresi; ut docet Azorius citatus. *versu Attamen*, & Pater Suarez. *de Fide. disp. 10. sect. 6. n. 3.*

Probatur: quanvis Papa quandiu est Papa deponi non potest propter quodcunque crimen, nec a Concilio, nec a tota Ecclesia, nec a toto Mundo: tum quia ipse est Superior nullum habens Superiorem in terris; tum quia Deus sibi reservavit judicium Papæ, dum est Papa. *Can. Aliorum 9. quæst. 3.* tamen quando est hæreticus manifestus (manifestus, inquam, quia aliter in dubium revocari potest utrum sit hæreticus, nec ne; & ideo non potest declarari è Pontificatu decidisse) quando igitur est hæreticus manifestus, eo ipso est separatus ab Ecclesia: ergo eo ipso desinit esse Caput Ecclesiæ; quia caput recisum non potest esse caput corporis illius, a quo est recisum: ergo tunc, vel ipso facto desinit esse Papa, vel bene potest ab Ecclesia judicari, & declarari, decisus a Pontifi-

Digitized by Google

tificatu. Est enim tunc Ecclesia Superior ipso Papâ; vel quia jam ille non est amplius Papa; vel quia cogere potest Concilium generale, & ferre sententiam declaratoriam depositionis ipsius Papæ, cognitâ causâ hæreseos ipsius: hæc autem Superioritas deducitur ex ipsius Christi institutione, & necessaria ratione; quia eo ipso quod Papa est hæreticus manifestus, nisi subjiceretur Ecclesiæ, nascerentur gravissima incommoda: ergo necesse fuit, ut Christus Dominus, qui suam Ecclesiam duraturam esse firmam, & stabilem promisit Petro, dedisset Ecclesiæ Jus declarandi per sententiam Papam hæreticum decidisse a Pontificatu, & faciendam esse novam electionem alterius Papæ. Ita Azorius *par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 7. *quæst.* 2. *versu Quærat aliquis.*

19 Hinc quatuor limitationes admittunt Doctores ad conclusionem supra traditam *num.* 7. de Superioritate Papæ supra Concilium generale. Prima est in casu Schismatis; quando scilicet Duo, vel Plures contenderent de Pontificatu; tunc enim Concilium est Judex competens, juxta terminos *in Can. Si Duo. dist.* 79. Secunda limitatio est, quando Canonica non fuerit electio Pontificis; tunc enim Concilium generale cognoscere potest. *Can. Si quis pecunia. eadem dist.* 79. Tertia est quando ipse Papa sponte suâ se Concilio subjicit. Potest enim major judicari a minori, si ultrò se major minori submittat. *Lege: Est receptum. ff. de Jurisdictione omnium Judicum.* Verùm hæc limitatio non approbatur a Doctoribus: non enim potest Papa suæ potestati renunciare, quæ a Deo est; & legitur Concilium respondisse Sancto Marcellino Papæ. *Prima Sedes a nemine judicatur.* Quod ipsum alia Concilia, quibus aliqui Papæ se subjecerunt, respondisse leguntur. Videatur Fagnanus *in cap. Significasti. de Elect. a num.* 71. *usque in finem.*

20 Quarta limitatio est, quando Papa est notorius hære-

hæreticus, & tunc Concilium est Judex, juxta *Can. citatum Si Papa. dist.* 40.

21 Verùm prædictæ limitationes non sunt propriè limitationes illius firmissimæ conclusionis asserentis Papæ authoritatem esse supra omne Concilium, ut bene ponderat Fagnanus citatus *a num.* 65. *usque ad* 71. Nam quando plures certant de Pontificatu, nemo illorum est certus Pontifex: adeoque non Pontifex Maximus tunc judicatur a Concilio, sed judicatur factum eligentium. Similiter quando Electio non est Canonica, & reprobatur, non judicatur Romanus Pontifex; quia non est Pontifex Romanus, qui non est Canonicè electus, sed judicantur Electores. Denique quando Papa fit hæreticus, & est pertinax, & notorius, jam fit minor quocunque fideli, ideoque subest Concilio non ut Papa, sed ut quilibet de Populo. Unde nullus est casus, in quo verus Pontifex Maximus subjiciatur Concilio generali.

Dixi, Pertinax, quia si Papa in hæresim lapsus manifestam corrigi velit, non est Pontificatu privandus, ut docet cum Hugone, & Glossa *in Can. Si Papa dist.* 40. Azorius *part.* 2. *lib.* 4. *quæst.* 1. *cap.* 2. *versu Quæres an Papa?* juncto *Can. Dixit Apostolus* 24. *quæst.* 3.

QUÆSTIO II.

AN, ET IN QUIBUS POSSIT PAPA ERRARE?

POtest Romanus Pontifex considerari ut Persona privata, & ut Persona publica totius Ecclesiæ primatum tenens, adeoq; Pastor universalis; quo posito.

22 Dico primò: Romanus Pontifex, ut Supremus Ecclesiæ Pastor errare non potest in definitionibus Fidei, nec in iis decretis, quæ concernunt ad statum totius Ecclesiæ

Digitized by Google

cleſiæ, nec in Canonizatione Sanctorum. Eſt concluſio apud Catholicos certa, & de fide quo ad definitiones Fidei, ut ait Pater Suarez *de Fide diſp.* 5. *ſect.* 8. *num.* 4. & videri poſſunt Azorius *par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 4. *quæſt.* 3. & Doctores citati à Barboſa *lib.* 1. *Juris Eccleſ. cap.* 2. *a num.* 38. *uſque ad* 45. in quo ipſe cum aliis defendit, etiam ut veriorem, neque errare poſſe in approbandis Religioſorum Ordinibus.

Probatur autem prima pars aſſertionis authoritate Chriſti Domini, qui dixit Petro: *Ego rogavi pro te, ut non deficiet Fides tua*, quæ verba de omnibus Succeſſoribus Petri in proponendis articulis Fide credendis intelliguntur; ut oſtendit Innocentius III. *in cap. Majores de Baptiſmo.* Et probatur; quia una debet eſſe Fides in Eccleſia; ſed non poſſet eſſe una, ſi dubia orta in materia Fidei non determinarentur ab eo, qui toti Eccleſiæ præeſt, qui eſt Succeſſor Petri pro tempore exiſtens, cujus etiam authoritate congregatur, & confirmatur Concilium univerſale: ergo poteſtas determinandi articulos Fidei reſidet in Succeſſoribus Petri; ſed Fides Petri ex oratione Chriſti ad Patrem, deficere non poteſt: ergo Succeſſores Petri deficere non poſſunt in determinandis articulis credendis.

Præterea: Evidens eſt hic diſcurſus, ut bene ait Pater Suarez *de Fide diſp.* 5. *ſec.* 5. *num.* 4. nimirum: Experientiâ conſtat dari in Eccleſia controverſias in materia Fidei propter Hæreticos inſurgentes, & inter ſe diſſidentes; ergo neceſſaria eſt aliqua regula viva habens authoritatem determinandi, quid credendum ſit, ut ſervetur ea Fides, quam Chriſtus voluit, & dixit duraturam in perpetuum. Hæc autem regula non poteſt eſſe Scriptura Sacra; cùm de vero ejus ſenſu ſint multoties controverſiæ; nec ipſi homines diſſidentes, quia vel eorum judicia ſunt paria, & ſic neutra pars habet certitudinem, vel judi-

Digitized by Google

judicium unius excedit aliud, & sic Fides tandem reducitur ad humanam opinionem: neque potest hæc regula esse Spiritus privatus: quia neutra pars dissidentium habet evidens signum, quod a bono Spiritu moveatur, cum quælibet pars dicere possit se a bono Spiritu moveri: ergo debet dari aliqua alia regula viva infallibilis; sed hæc non potest esse nisi Summus Pontifex Romanus, cui Christus promisit in Petro assistentiam Spiritus Sancti, dum rogavit, ut non deficeret Fides ejus: ergo Summus Pontifex Romanus errare non potest in materia Fidei.

23 Quòd autem verba Christi prædicta fuerint dicta non personaliter Petro, sed omnibus ejus Successoribus in Pontificatu.

Probatur; quia Christus dicens Petro Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* significavit perpetuitatem ædificii fundati in illa petra, & ideo illam petram esse perpetuam; sed non fuit perpetua in persona, quia Petrus mortuus est: ergo in Cathedra, & successione. Similiter dum dixit Joannis 21. *Pasce agnos, & pasce oves meas* non restrinxit sermonem ad agnos, & oves existentes, existente Petro, sed significavit totum gregem suum a minimo usque ad magnum, qui per oves, & agnos significatur: ergo ex consonantia talium verborum Christi, & communi sensu Ecclesiæ, & ex rei necessitate constat, Christum ita instituisse primatum Ecclesiæ in Persona Petri, ut in ejus Successoribus perpetuò duraret.

24 Habet hanc infallibilitatem Summus Pontifex ex Cathedra definiens, independenter a Concilio generali congregato, ut bene probat Suarez *de Fide. disp. 5. sect. 8. num. 6.* quia expediens fuit Ecclesiæ, ut potestas Capitis non esset alligata Concilio. Nam sæpe occurrit necessitas damnandi hæresim novam insurgentem, vel declarandi aliquam veritatem necessariam, quæ in dubium revo-

Digitized by Google

revocatur; Concilium autem generale congregare difficillimum est, & multoties moraliter impossibile propter bella, persecutiones, & alia impedimenta: ergo expediens fuit, quod Summus Pontifex haberet potestatem definiendi articulos credendos independenter à Concilio generali. Videantur reliqua apud Suarium citatum.

25 Probatur nunc secunda pars assertionis, nimirum quod non possit Pontifex errare in decisionibus pertinentibus ad statum universalem Ecclesiæ, quæ etiam existimatur certa de Fide ab aliquibus, ut videre est apud Suarium *disp.* 5. *de Fide. sect.* 5. *num.* 7. quia si Pontifex Summus in præceptis ferendis pertinentibus ad statum universalem Ecclesiæ potest errare, posset Ecclesia approbare, ut honesta, quæ turpia sunt, & ut inhonesta, quæ honesta sunt; sed hoc repugnat sanctitati, & veritati Fidei; ergo repugnat Summum Pontificem in his Decretis errare. Sit exemplum: Ecclesia approbavit Communionem Fidelium sub una specie sufficere ad salutem, & est de Fide ex Tridentino *sess.* 21. *cap.* 1. sed ut Ecclesia in tali, vel simili materia honestè operetur, sufficit ut Romanus Pontifex id approbet, imò Ecclesia ejus approbationem sequi tenetur: ergo ut Ecclesia non erret, necesse est Pontificem errare non posse in tali materia; aliter approbaret ut honestum, quod tale non est.

26 Probatur tertia pars: nimirum quod neque in Canonizatione Sanctorum possit Pontifex errare; quia non debet Ecclesia posse errare in cultu Sanctorum, eorunque veneratione, adorando damnatum, & ad eum preces fundendo; hoc enim repugnat sanctitati, & veritati Fidei: ergo ut Ecclesia in hoc non erret, necesse est Summum Pontificem non posse errare in Canonizatione &c. Nam eo ipso, quod Pontifex proponit Sanctum adorandum, tenetur Ecclesia sub præcepto eum adorare: ergo si Pontifex posset in hoc errare, jam Ecclesia pos-

Digitized by Google

ſet errare in adorando; quod eſt cõtra promiſſiones Chriſti, & Providentiam divinam. Videatur Barboſa *lib. 1. Juris Eccleſ. cap. 2. num.* 43. & Pignatelli *to.4. Conſult. 42. num.* 24.

27 Probatur etiam ultima pars, nempe non poſſe Pontificẽ errare in approbatione Religionum, quia oportet, ut Eccleſia habeat ſecuritatem, & certitudinem, non ſolùm in præceptis, ſed etiam in conſiliis, & in via perfectionis: ergo ſi Pontifex, approbando ut bonum hunc Religionis ſtatum, erraret, jam Eccleſia erraret in via perfectionis. Præterea approbare Religionem eſt veluti canonizare inſtitutum illud ut Sanctum: ergo ſpectat ad Providentiam divinam, & aſſiſtentiam promiſſam Spiritus Sancti, ut non erret Eccleſia in ſequendo tali approbato inſtituto; ſed erraret Eccleſia, ſi Pontifex in approbando eo erraret: ergo dicendum, non poſſe Pontificem in hoc errare.

28 Dico ſecundò: Romanus Pontifex, ut perſona privata poteſt errare; quia homo eſt, naturaliter ſubjectus humanis infirmitatibus ignorantiæ. In iis igitur, quę non concernunt ad ſtatum Eccleſiæ univerſalem, ſed ad aliquam Eccleſiam particularem e. g. in decidendo primatu inter Metropolitanas Eccleſias alicujus Regni, & in aliis ſententiis ferendis, quia pendent a probationibus, quæ fallibiles ſunt, falli poteſt Summus Pontifex, & ſimiliter in excommunicatione aliqua ferenda contra aliquam perſonam falli poteſt; quia quæſtio facti, & in facto conſiſtens repræſentari poteſt, & apprehendi aliter, ac eſt.

Valde tamen controverſum inter Authores eſt, an poſſit ut perſona privata Papa incidere in peccatum hæreſis formalis: nam hoc videtur ſupponi poſſibile ex ſupracitato *Can. Si Papa. diſt.* 40. in qua ſuppoſitione procedunt, quæ ſupradicta ſunt. Et ita ſuſtinent quamplurimi

rimi Canoniſtæ antiqui, & Theologi adducti a Barboſa *lib.* 1. *Juris Eccleſ. cap.* 2. *n.* 47. Oppoſitum tamen ſentiunt alii, quos refert ipſe Barboſa *n.* 49. & P. Suarez *de Fide. diſp.* 10. *ſect.* 6. *n.* 11. *in medio*, ait, probabilius eſſe, quod Pontifex ut privata perſona errare poſſit in Fide ex ignorantia, non verò ex contumacia. Legatur prædictus Barboſa *a n.* 49. *uſque ad* 75. & Azorius *par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 4. *a quæſt.* 3. *uſq; in finem capitis*; qui Authores referunt varios Pontifices, qui erraſſe dicuntur in Fide, ſed eos purgant, adeoque concludunt Deum non permiſiſſe, ut aliquis verus Papa fuerit defactò in hæreſim formalem lapſus. Quod ipſum *in cap. Significaſti. n.* 68. *& ſequentibus. de Elect.* & *in cap. Majores. n.* 13. *de Baptiſmo.* probat Fagnanus.

§. ULTIMUS.

DE PRÆROGATIVIS PAPÆ, SEU DE IIS, quæ ſoli Papæ conveniunt.

29 PApa ſtatim ac eligitur juxta formam *in cap. Licèt de vitanda. de Elect.* eſt Papa, nec indiget confirmatione, quia Superiorem non agnoſcit. Qui cupit habere notitiam de Conclavi Cardinalium, & formâ electionis, legat Jacobum Pignatelli *tom.* 8. *Conſ.* 9.

30 Papa ſemper, & ubique in Miſſarum ſolemniis utitur pallio, quo Patriarchæ, & Archiepiſcopi utuntur ſolùm certis temporibus, & locis. *cap. Ad honorem. de Authoritate, & Uſu Pallii.* Semper, & ubique Crucem antè ſe defert; imò cum iter ad alias Civitates agit, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſecum præferre conſuevit.

31 Nomen Romani Pontificis in Miſſa ab omnibus eſt ubique recitandum, ſicut nomen Epiſcopi in propria Diœceſi.

Digitized by Google

32 Non tenetur Papa interesse Concilio generali; sed sufficit assistere per suos Legatos; nec tenetur in negotiis sequi consilium Cardinalium; nec consensum eorum expectare, sicut Episcopi in multis Canonicorum consensum. Barbosa cum aliis *cap. 2. lib. 1. Juris Eccles. n. 79. & 80.* & Fagnanus *in cap. Ex parte. n. 18. de Feudis.*

33 Utitur Papa vestimentis albis juxta illud *Ecclesiastes 9. ver. 8. Sint omni tempore vestimenta tua candida.* Et publicè, ac solemniter super humeros hominum defertur, ut sic in eo Christum, & Beatum Petrum honorent Fideles, qui omnes ejus pedes osculantur.

34 Nullo Jure positivo humano astringitur Papa, & potest omnes Canones annullare, exceptis iis, qui sunt de rebus Fidei, aut Juris naturalis, & divini; tenetur enim hos Canones servare non minùs, ac reliqui omnes. Ratio est, quia qui legem facit, tollere potest, nec unus Papa potest alium ligare, cum habeant æqualem potestatem, & par in parem non exercet Imperium. Verùm hæc dicta intelliguntur, attenta plenitudine potestatis; nam attenta æquitate naturali, sicuti quilibet Papa vult suas Constitutiones observari; ita æquum est, ut Antecessorum suorum statuta veneretur. *Can. Justitiæ 25. quæst. 1.* Atque ideo nunquam præsumitur, quod velit Juri alicujus præjudicare, aut privilegia concessa Ecclesiis sine causa tollere. Videatur Barbosa *dicto lib. 1. Juris Eccles. cap. 2. a n. 95. usq; ad 119.* & *n. 128.* & *129.*

35 Insuper quando dicitur, quod Papa non ligatur lege positiva, intelligitur quo ad vim coactivam, quia a nemine cogi potest ad illius observantiam, non verò quo ad vim directivam. Ipse enim secundùm Canones se vivere velle profitetur. *In cap. Cum omnes. de Constitutionibus.* ibi: *Cum igitur quod quisq; Juris in alterum statuit, ipse debeat uti eo, & Sapientis dicat authoritas, patere legem, quam ne ipse extulerit.* Hinc ne de Pontifice dica-

tur,

tur, quod dixit Christus *Matth.* 24. *Dicunt, & nõ faciunt, imponunt aliis onera gravia, digito autem suo nolunt ea movere.* debet Papa licèt non coactè, voluntariè tamen secundùm Canones vivere, juxta illud, quod Christus dixit *Matth.* 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* & juxta Apostolum dicentem: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.*

36 Præterea tenetur Papa stare contractui, quo se alicui obligavit, & juramento, & voto, quo se ad aliquod licitum obligavit, a quo se absolvere, aut facere, ut absolvatur sine gravi causa non potest. Fagnanus *in cap. Ex epistolæ n.* 31. *de Probationibus.* Sylvester *verbo Papa. quæst.* 12. & Barbosa citatus *n.* 136.

37 Nullâ censurâ ligatur Papa; quia substantia, & effectus censuræ est Juris humani, cui quo ad vim coactivam non subjacet Papa; immo si cum Excommunicato sciens, & volens loquatur, aut eum saluter, jam talis est absolutus. Menochius *de Præsumptionibus. lib.* 2. *Præsumptione* 20. *num.* 30. Hinc Papa si in Paschate nõ communicaret, non incurreret pœnas võtentas *in cap. Omnis utriusque de Pœnitentiis, & Remissionibus.* At est juxta paulò ante dicta hìc notandum, quod quanvis vi coactiva non obligetur per talem Canonem, tamen vi directiva, & secundùm rationem obligatur Papa communicare in Paschate, & semel in anno confiteri; non solùm quia decet Principem uti suis legibus, sed etiam quia tale præceptum est ex Jure Divino per humanum determinato. Jure enim divino est Pœnitentia, & sumptio Eucharistiæ præcepta; Jus autem humanum statuit tempus unius anni, quo elapso tale divinum Jus obliget.

38 Solus Papa potest erigere, & constituere Ecclesiam in Cathedralem. *Can. Præcipimus.* 16. *quæst.* 1. et Episcopalem in Metropolitanam. Solus ipse Episcopatus dividere, aut unire: translationem Episcoporum facere:

Coad-

Digitized by Google

Coadjutores Episcopis dare: Coadjutorias cum futura successione concedere: novas Dignitates in Cathedralibus, aut Collegiatis creare: duos Episcopatus uni conferre: Degradatum restituere: delegare mero Laico causas spirituales, & concedere, ut possit excommunicare, & absolvere ab excommunicatione, beneficia conferre, & similia jura spiritualia: exemptionem a jure, & potestate Episcoporum alicui tribuere: Jus ad vacatura beneficia concedere: Indulgentias plenarias, & ubique, & pro Defunctis impertire: dare licentiam, seu dispensationem, ut quis extra tempora, aut ante ætatem ordinetur in Sacris: Cardinales creare: ut Regulares transeant ad laxiorem ordinem concedere: Religiones approbare: Resignationes in favorem Tertii cum reservatione fructuum admittere: pensiones in beneficiis imponere: in impedimentis matrimonii dispensare, & in irregularitatibus; & alia multa, de quibus suis locis, solus Papa facere potest. Adeoque ejus prærogativas supra cæteros Episcopos enarrare quis poterit?

Has innuisse sufficiat, de quibus variis Juribus, & Doctoribus adductis agit Barbosa *dicto cap. 2. lib. 1. Juris Eccles. a num. 139. usque ad 179.*

CAPUT DUODECIMUM.

DE PRIVILEGIIS CLERICORUM.

CLericorum nomine in favorabilibus veniunt omnes omnino Clerici, sive in majoribus, sive in minoribus constituti, ac etiam in prima tonsura, omnes etiam Canonici, Dignitates, Episcopi, & Cardinales, ita ex pluribus Juribus, & Doctoribus Barbosa *de Jure Eccles. lib. 1. cap. 39. num. 2.* In materia autem stricta, & odiosa; cum scilicet agitur de pœna inferenda Clericis, aut

Digitized by Google

aut de incommodo, nomine Clericorum veniunt soli simplices Clerici, non verò Canonici, Dignitates, Abbates, Episcopi, vel Cardinales, ut in superioribus diximus, sed debet de ipsis specialis mentio fieri, ad hoc ut sub pœna, aut incommodo comprehendantur. Ratio est quia odia sunt restringenda, idest strictè interpretanda, favores verò latè: *ex cap. Odia. de Regulis Juris in 6.* Id ipsum confirmat ex variis Juribus, & Doctoribus Barbosa citatus *a num. 6. usque ad* 11. & Fagnanus *in cap. Bonæ memoriæ. de Postulat. Prælatorum. a num.* 5. Est autem sciendum, quod aliqui Clerici, qui in minoribus sunt, possunt esse conjugati, atque hi in privilegiis differunt secundùm aliqua a reliquis Clericis. Privilegia vel sunt circa ea, quæ Clericis competunt supra Laicos; vel circa ea, a quibus debent Clerici præ Laicis esse immunes, tum circa personam, tum circa res suas. De his igitur privilegiis est nunc hic agendum.

§. PRIMUS.

QUID HABEANT SUPRA LAICOS, CLERICI?

1 Clerici supra Laicos habent Divina Officia celebrare, Altari ministrare, & Sacra contingere. *Can. Sacratas. cum sequentibus. dist.* 23. Hæc enim Laicis non permittuntur. *cap. Si quis baptizaverit. de Clerico non ordinato ministrante.* Et ratio est; quia qui Deo non est consecratus per Ordinem, non debet Ordinum officia exercere. Primum igitur Clericorum privilegium est, posse Ecclesiasticam Jurisdictionem exercere, quam Christus reliquit Ecclesiæ, nimirum ligandi, atque solvendi.

2 Ex hoc, quod soli Clerici possint Officia Ecclesiastica

stica exercere, oritur secundum privilegium, nimirum quod soli ipsi sint capaces Beneficiorũ Ecclesiasticorum. *cap. Ex literis. de Transactionibus. cap. Cum adeo. de Rescriptis.* & *cap. In Ecclesia. de Institutionibus.* Ex quibus constat Laicos non esse capaces Beneficiorum.

3 Soli Clerici possunt intra cancellos Altaris, Missæ assistere, & officia cantare: cum Laici debeant extra cancellos consistere. *Can. Sacerdotum. de Consecratione. dist. 2.* ibi: *Nulli Laicorum liceat in eo loco, ubi Sacerdotes, & reliqui Clerici consistunt, quod presbyterium nuncupatur, quando Missa celebratur, consistere.* & *cap. 1. de Vita, & Honestate Clericorum.* ibi: *Ut Laici secus Altare, quando sacra mysteria celebrantur, stare, vel sedere inter Clericos non præsumant.* Possunt tamen hodie intra cancellos Altaris accedere Laici ad effectum recipiendi Eucharistiã, non autem ad effectum sedendi, vel stando cum ipsis Ministris Altaris. Ita Abbas *in dictum cap. primum. de Vita, & Honestate Clericorum. num. 3. ad finem. versu Nota. in verbo ad orandum*: ubi dicit: duo casus dantur, in quibus Laici licitè accedunt ad Altare, nimirum ad orandum, & Corpus Christi sumendum.

4 Sacerdotes jurare debent tacto pectore, & non tactis scripturis sicuti Laici. *Can. Si quis Presbyter. 2. quæst. 4. cap. Cum in causa. de Juramento calumniæ.* Excipitur quando specialiter est statutum, ut juramentum fiat per tactionem Scripturæ.

§. SECUNDUS.

DE PRIVILEGIO CANONIS.

SUnt Clerici immunes, ut diximus, circa personam, & circa res suas præ Laicis. Et primò quidem circa personam datur privilegium Canonis, & pri-

vi-

vilegium Fori; nunc de primo, deinde, de secundo.

5 Privilegium Canonis est, quod nemo possit Clerico violentiam inferre sub pœna excommunicationis. Ita statutum est ab Innocentio II. in Concilio Lateranensi; & habetur *in Can. Si quis suadente. 17. quæst. 4.* his verbis: *Si quis, suadente Diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere:* habetur etiam dicta excommunicatio *in cap. Non dubium. de Sent. Excom.* Circa privilegium hoc plura sunt discutienda: ideo sit.

QUÆSTIO PRIMA.

QUINAM CLERICI GAUDEANT HOC PRIVILEGIO?

6 Dico primò: non solùm omnes, qui sunt ordinati, sed etiam, qui primam Tonsuram habent, gaudent hoc Privilegio: colligitur *ex cap. Cum contingat. de Ætate, & Qualitate, & Ordine præficiendorum*, junctâ Glossâ. *verbo Ordo:* atque ita docent communiter Doctores, quos refert Barbosa. *lib. 1. de Jure Eccles. cap. 39. §. 1. num. 2.* & Fagnanus *in cap. Cum contingat. num. 82. & 112. de Ætate, & Qualitate &c.*

7 Dico secundò: gaudet hoc Privilegio, etiam ille ordinatus, vel tonsuratus, qui clericalem habitum non defert, nec servit alicui Ecclesiæ, prout requiritur a Tridentino *sess. 23. de Reformatione. cap. 6.* ad hoc ut gaudeat Privilegio fori. Ratio est, quia Tridentinum quo ad Privilegium Canonis nihil innovavit, sed solùm quo ad Privilegium fori. atque ita docet Gonzalez *ad Regulam octavam Cancellariæ. Glossa 5. §. 5. n. 7.* Riccius *in Praxi rerum fori Ecclesiastici. Decis. 607.* aliique plures.

Digitized by Google

Confirmari itē potest *ex cap. Si verò il secondo. de Sent. Excomm. junctâ Glossâ verbo Noluerit*; ubi sic: *Item habes, quod licèt Clericus non servet habitum suum, adhuc retinet privilegium suum.* Ubi tamen notatur *ex cap. In audientia. eodem titulo.* quod si Clericus ter admonitus ab Episcopo non deponit habitum sæcularem, aut arma militaria, amittit privilegium suum, ut infra dicetur.

8 Dico tertiò: Clerici conjugati cum una Virgine habitum deferentes, & Tonsuram clericalem, gaudent Privilegio Canonis. Constat *ex cap. Clerici. de Clericis conjugatis in 6.* & ex Tridentino *sess. 23. de Reform. cap. 6.* quod tamē addit dictam Constitutionem Bonifacii VIII. in dicto *cap. Clerici.* servandam esse, si prædicti Clerici conjugati alicui Ecclesiæ serviant, vel Episcopo; hinc, ut ait, cum Covarruvias, & aliis Barbosa citatus *n. 4.* debet copulativè Clericus conjugatus, & Tonsuram deferre, & habitum, ut gaudeat hoc privilegio; & ex Tridentino debet etiam servitio Episcopi, vel Ecclesiæ esse deputatus: ejus tamen Uxor non gaudet hoc privilegio; quia est personale, propter reverentiā Ordinis clericalis.

9 Dico quartò: Clericus irregularis, suspensus, interdictus, aut excommunicatus gaudet dicto privilegio Canonis. Ratio est, quia adhuc retinet Ordinem clericalem, ratione cujus data est immunitas; & ita docent Abbas *in cap. Ecclesiæ. num. 8. de Immunitate Ecclesiæ*, & Barbosa cum pluribus aliis *dicto lib. 1. Juris Eccles. cap. 39. §. 1. n. 5. & 6.* & probatur manifestè: nam si duo Clerici se mutuò percutiant, sunt ambo excommunicati, & tamen unus illorum percussit alium excommunicatum: nam qui priùs percussit, est jam excommunicatus: ergo qui repercutit, percutit jam excommunicatum, & non ideo non est etiam ipse excommunicatus.

10 De Clerico degradato docet Glossa *in cap. Accedens. versu Presbytero. dist. 50.* quod etiam gaudeat privi

vi

Digitized by Google

vilegio Canonis, quæ tamen Glossa de verbaliter Degradato, non de realiter, intelligenda est, secundùm aliam Glossam *in cap. Degradatio. de Pœnis in 6. versu Privilegio Clericali*: Atque ita docet Abbas *in cap. Contingit n.* 12. *de Sent. Excomm.* nimirum quod Degradatus actualiter non gaudeat: Degradatus autem verbaliter gaudet.

Est autem verbalis degradatio sententia Episcopi prolata contra Clericum degradandum; realis verò, seu actualis est cum exuitur Clericus reus vestibus sactis juxta formã in jure præscriptam *in dicto cap. Degradatio. de Pœnis in 6.* Ratio autem, quam assignat Abbas, est: quia per actualem degradationem exuitur omni privilegio: ergo prius non perdidit, ideoque ante actualem degradationem adhuc gaudet privilegio. Non est autem necessarium, ut tradatur Curiæ sæculari manualiter, sed sufficit traditio ipsa verbalis, quæ est in ipso actu degradationis, ad amissionem omnis privilegii Ecclesiastici: ut docet Fagnanus in dictum *cap. Cum non ab homine. n.* 16. 90. & 91. *de Judiciis.*

11 Dico quintò: secundùm Barbosam *dicto* §. 1. *cap.* 39. *lib.* 1. *Juris Eccles. num.* 7. afferentem pro hac opinione Toletum, & Squillante: Clericus mortuus gaudet privilegio Canonis, ita ut qui Clerico mortuo inferat violentiam, sit excommunicatus. Idem docet Felinus *in cap. A nobis. il secondo num.* 4. *de sent. Excomm.*

12 Dico tamen sextò: cum Fagnano *dicto cap. A nobis. il secondo num.* 29. *de Sent. Excomm.* Clericus mortuus non gaudet tali privilegio; ideoque qui in Clericum mortuum violentas manus injicit, non est excommunicatus hac excommunicatione; licèt incurrat in aliam Bonifacii VIII. *in Extravagante Detestandæ. de Sepulturis.* ubi ille, qui mortuos in frusta concidit, aut coquit aquis, aut exenterat, aut dividit carnes ab ossibus mortuorum, excommunicatur. Ratio assertionis est, quia

Canon *Si quis suadente*, loquitur de Clerico, sed Cadaver non est Clericus; quia caracter non imprimitur in corpore, sed in anima ex Tridentino *sess. 7. de Sacramentis. Can. 7.* ergo &c. Item hoc privilegium est datum in favorem Ordinis Clericalis, ut patet *ex cap. unico de Clericis conjugatis in 6.* ubi dicitur Innocentius II. edidisse Canonem in favorem totius Ordinis Clericalis; sed mortuus, seu Cadaver non habet Ordinem Clericalem, seu Sacramentum *ex Can. Licitè, 32. quæst. 7.* ergo &c. Denique Canon loquitur de Clerico, cui injiciantur manus violentæ; sed mortuus non patitur violentiam: nec qui corpus mortuum vulnerat, punitur tanquam de vulnere; quia corpus mortuum injuriam non sentit; ergo &c.

13 Neque obstat, quod privilegium Canonis datur etiam Conversis, & Laicis novitiis. *cap. Non dubium. de sent. Excomm.* & *cap. Religioso eodem titulo in 6.* ergo non est datum ratione Ordinis; non obstat; quia manifestus est textus supra citatus; & item rotundus est *in cap. Contingit. il primo de sent. Excomm.* ibi: *cum ille Canon, non tam in favorem Clerici ordinati, quàm in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus.* Quod autem detur etiam Conversis, & Laicis religiosis, & etiam non ordinatis Novitiis nihil refert: nam conceditur, & Clericis ordinatis in favorem Ordinis, & etiam Religiosis non ordinatis in favorem Religionis: conceditur autem eis dum vivunt, non autem post mortem.

14 Item sicut qui caput amputat mortuo, non ideo est irregularis; quia irregularitas non contrahitur, nisi in casibus in Jure expressis; ita nec pœna excommunicationis debet incurri, nisi in casibus in Jure expressis. In Jure autem nõ exprimitur percutiens mortuum, sed Clericum: nomine autem Clerici non venit mortuus, ut dictum est; sicuti nomine hominis non venit Cadaver: homo enim est anima, & corpus unitim. *cap. In quadam. de*

celebratione Missarum; ibi: *Ad esse hominis duo principaliter requiruntur, videlicet corpus, & anima; ex quorum conjunctione verus homo subsistit.* Unde qui mortuum ferit, non occidit hominem; & ideo non est irregularis.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUI CLERICI NON GAUDEANT hoc Privilegio?

15 Dico primò: Clericus hæreticus amittit hoc privilegium, sicut, & omne aliud Clericale: constat *ex cap. Ad abolendam. de Hæreticis*: ibi: *si Clericus est; totius ecclesiastici Ordinis prærogativâ nudetur.*

16 Dico secundò: amittit hoc privilegium Canonis Clericus bigamus; qui, vel ex duplici matrimonio, vel cum Vidua contraxit bigamiam. *Capite unico de Bigamis in 6.* Notat autem Layman *lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 5. num. 3.* quòd non amittunt privilegium Clerici in Sacris constituti, qui contraxerunt matrimonium cum Vidua; quia tales verè bigami esse non possunt; cum matrimonium fuerit invalidum; atque hoc ipsum docet Fagnanus *in cap. Nuper à nobis. num. 28. de Bigamis non ordinandis*; ubi ex variis textibus, & Doctoribus probat, eos Clericos amittere privilegium, qui verè, vel interpretativè bigami sunt, idest qui, vel duas uxores Virgines successivè, vel unam viduam, aut corruptam validè acceperunt, prout sunt Clerici in minoribus: non autem amittunt, qui fictè contrahunt, ut sunt Clerici in Sacris. Videatur de hac re Fagnanus *a num. 10. usque ad 29.*

17 Dico tertiò: Clericus enormitatibus se immiscens, nimirum faciens seditiones, prælia, aggressiones, & hujusmodi in populo, amittit privilegium Canonis. Colligitur *ex cap. Perpendimus. de sent. Excom.* Et sustinent

hanc

Digitized by Google

hanc opinionem Alexander de Nævo *Consilio 59. n. 14.* Layman *loco cit. verſ. 4. Clerici in fine*; Abbas *in dictum cap. Perpendimus. de ſent. Excomm. num. 3.* Numero autem 5. & 6. addit ex Joanne Andrea quod requiritur, ut dimiſſo habitu, ſe immiſceat enormitatibus, ad hoc ut amittat privilegium; quia ſic habetur *in cap. Cum non ab homine. eodem titulo*: atque etiam docet Butrius, Cardinalis, Navarrus, & Felinus, quos ſequitur Fagnanus *in cap. Perpendimus. num. 2. de Sent. Excomm.* Idipſum docet Pirhing *lib. 5. Decretalium tit. 39. ſect. 3. §. 5. num. 91. verſu Notandum.* ubi ſic habet: *Percutiens Clericum, qui dimiſſo habitu clericali immiſcet ſe enormitatibus, non eſt excommunicatus; quia talis Clericus amittit privilegium Canonis; ſi quis ſuadente, ipſo facto, etiam ſine alia admonitione.* Hinc, ut videtis, Doctores ſic intelligunt textum *dicti cap. Cum non ab homine.* ubi dicitur *contempto habitu.* nimirum *dimiſſo habitu.* Unde ſi Clericus, non dimiſſo habitu, ſe immiſceat enormitatibus, non amittit privilegium ipſo facto. Videatur Fagnanus citatus *a num. 12. uſque in finem.*

18 Dico quartò: amittunt privilegium Canonis Clerici, qui ter admoniti ab Epiſcopo, dimiſſo habitu, ſe negotiis ſæcularibus immiſcent. *cap. Contingit. il ſecondo de ſent. Excomm.* Item illi, qui per annum exercent artem ignominioſam, Mimi, Hiſtrionis, ſeu Joculatoris ipſo Jure amittunt privilegia Clericalia. Si autem ante annum fuerint ter admoniti ab Epiſcopo, & non reſipiſcant, amittunt, etiam non elapſo anno. *cap. unico. de Vita, & Honeſtate Clericorum in 6.*

QUÆSTIO TERTIA.

QUI VENIANT NOMINE MONACHORUM, hoc Privilegio gaudentes?

19 Dico primò cum communi Canoniſtarum, quod omnes utriuſque ſexus Religioſi profitentes

ali-

Digitized by Google

aliquam regulam approbatam a Sede Apostolica, gaudent privilegio Canonis; & item Conversi, vel Conversæ, Novitiique omnes. Barbosa *lib.* 1. *de Jure Eccles. cap.* 39. §. 1. *a num.* 16. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 5. *num.* 4. Pirhing *lib.* 5. *Decret. tit.* 39. *sect.* 3. §. 1. *num.* 49. & constat de Conversis, sive Maribus, sive Fœminis *ex cap. Non dubium*, junctâ Glossâ, *verbo Conversos*, & *cap. Ex tenore. cap. de Monialibus. de Sent. Excomm.* de Novitiis autem constat *ex cap. Religioso.* §. *Quanvis. eodem tit. in 6.*

20 Dico secundò: Tertiarii in communi viventes, sive mares, sive fœminæ sub habitu, & voto aliquo expresso, gaudent privilegio, non minùs ac Fratres Ordinis tertiæ regulæ Sancti Francisci; si autem in propriis domibus habitent, habentur tanquam Sæculares. Ita definit Leo X. apud Rodericum *tom.* 2. *quæstionum regularium. art.* 5. *in fine. quæst.* 65.

21 Dico tertiò: Eremitæ, qui sub aliqua regula, & voto, vel alia obligatione in Communitate vivunt de licentia Summi Pontificis, gaudent privilegio. Sunt enim verè Religiosi. Si tamen vagi fuerint non gaudent. Glossa *in Can. qui verè* 16. *quæst.* 1. Et ita innumeri Doctores relati a Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 39. §. 1. *num.* 23.

22 Dico quartò: Equites Sancti Joannis Hierosolymitani, seu Melitenses, gaudent privilegio Canonis; quia sunt propriissimè Religiosi. Est certa sententia. Equites autem Sancti Jacobi, Calatravæ, & Alcantaræ, quod etiam gaudeant, docet cum Navarro Aloysius Riccius *in Praxi rerum fori Eccles. parte* 4. *resol.* 176. & Filliucius *tom.* 1. *tract.* 15. *cap.* 1. *num.* 14. *quæst.* 5. ubi etiam addit Equites Ordinis Christi in Lusitania sub nomine Militum de Spada, & Equites Sancti Stephani in Florentia; quia sunt ecclesiasticæ Personæ servantes suo modo ex dispensatione Apostolica vota religiosa.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO QUARTA.

QUID VENIAT NOMINE INJECTIONIS Manuum violentarum, propter quam incurritur excommunicatio?

23 Dico primò: ex Pirhing *lib. 5. tit. 39. sec. 3. §. 1. num. 51.* Barbosa *lib. 1. Juris Eccles. cap. 39. §. 1. num. 25.* & aliis communiter, quod per hæc verba. *Manus violentas injecerit*, intelligitur quævis actio externa, & corporalis sufficiens ad peccatum mortale. Hoc enim ex illis aliis Canonis verbis: *suadente Diabolo*: requiritur, ut incurratur excommunicatio. Actio, inquam externa injuriosa, sive manibus, sive aliis membris facta circa personam Clerici, vel res ei adhærentes, ut si Clericus, vel Monachus occidatur, mutiletur, vulneretur, manu, ense, fuste &c. si eripiatur ei aliquid de manibus per vim, aut injuriam v. g. Liber, Nummi &c. vel de corpore e g. Pileus, aut vestis. Secus autem si sine vi abscindatur Clerico marsupium, vel auferatur vestis, dum ipse jacet in lecto. In tali enim casu non incurritur excommunicatio; quia non habetur violentia in Clericum. Item excommunicationem incurrit, qui Clericum, vel Monachum conspergit aquâ, luto, lapillis; qui apprehendit frænum equi, cui Clericus insidet, qui persequitur Clericum; ita ut in fluvium, vel foveam incidat. Denique qui Clericum detinet in carcere, aut vinculis, sive in loco publico, sive privato, etiam sine læsione corporis. *ex cap. Super. de Sent. Excomm.* Item qui veneno in cibo, vel potu propinato Clericum occidit. Barbosa cum aliis *num. 36.*

24 Dico secundò: qui Clericum consentientem aliquo ex prædictis modis percutit, adhuc incurrit excommu-

Digitized by Google

municationem. Constat *ex cap. Contingit. il primo de sent. Excomm.* Argumentum, quia Canon non tam est in favorem Clerici ordinati, quàm in favorem Ordinis clericalis; nec Clericus potest huic privilegio renunciare, quia est in favorem communitatis. Unde non valet dicere: consentienti, & volenti non fit injuria; quia hoc valet in jis, in quibus aliquis potest consentire. Clericus autem in sui percussione consentiens, non est ipso facto excommunicatus, sed excommunicandus per sententiam; ut patet ex citato *cap. Contingit.* ibi: *Excommunicetur*: ergo supponitur non esse ipso jure excommunicatus. Ita Pirhing *loco cit. num.* 52. utrùm autem seipsum graviter percutiens, sit excommunicatus; aliqui negant, alii affirmant. Videtur dicendum quod non; quia ad excommunicationem incurrendam, supponitur ex ipsis terminis distinctio Personarum inter percussum, & percutientem. Ita Pirhing *loco cit.* & Barbosa *num.* 41. *in fine*: ubi dicit, se resolutioni eorum, qui volunt Clericum se graviter percutientem esse excommunicatum, nunquam acquiescere potuisse.

25 Dico tertiò, etiam mandantes occisionem, aut percussionem gravem Clerici, incurrunt excommunicationem. Constat *ex cap. Mulieres.* §. *Illi verò. de Sent. Excomm.* Requiritur autem ut percussio sequatur: unde si Mandans revocavit mandatum, & intimavit Mandatario, ne percuteret Clericum, si deinde Mandatarius percutiat, Mandans non est excommunicatus. Ita Pirhing citatus *num.* 53. *versu Infertur tertiò.* Et Barbosa *loc. cit. n.* 42. qui id confirmant ex variis Juribus, & Doctoribus. Secus autem si Mandans mutaverit animum, sed non notificaverit Mandatario, ut abstineret a percussione; quia in tali casu ex jisdem, aliisque Doctoribus, si sequatur percussio, est Mandans excommunicatus, ut pote qui adhuc sit causa moralis percussionis. Similiter si quis non

Digitized by Google

mandavit percussionem Clerici, sed alius suo nomine fecit, & deinde notificavit se illius nomine percussisse Clericum, & ipse ratam habet percussionem, est etiam excommunicatus. Ita statuitur *in cap. Cum quis de Sent. Excommun. in 6.* quod si alius percussisset Clericum inimicum tuum, sed non nomine tuo, & tu gaudeas de illa percussione in corde tuo, non es excommunicatus; quia ratum quis habere non potest, quod non est ipsius nomine gestum: juxta *cap. 9. de Regulis Juris in 6.* Atque ita in eodem *cap. Cum quis. de Sent. Excomm. in 6.*

Noto tamen, quod excommunicatio incurritur a Ratificante, non a tempore percussionis Clerici, sed ratihabitionis. Glossa in cit. *cap. Cum quis. versu. Sed quid in primo casu.* Item noto, quod occultans delinquentem, & receptans eum, qui nomine suo percussit, intelligitur ratificare. Ita Farinaceus *in Praxi criminali. par. 5. quæst. 135. num. 48.*

26 Dico quartò, non solùm consulentes, auxilium dantes, seu cooperantes ad percussionem Clerici, sed etiam permittentes, seu non impedientes, cum possent impedire, excommunicantur. *cap. Quanto. de Sent. Excom.*

QUÆSTIO QUINTA.

QUINAM PERCUTIENTES CLERICUM, VEL Monachum, excusentur ab incurrenda Excommunicatione?

27 Dico primò: Pueri nõ habentes judiciũ ad peccandum, sicut & amentes non incurrunt excommunicationem percutientes Clericum. Est assertio certa. Non enim potest excommunicari, qui non potest mortaliter peccare.

28 Dico secundò: si quis non baptizatus percutiat Cle-

Clericum, neque est excommunicatus, quia non est membrum Ecclesiæ; ideoque recidi non potest.

29 Dico tertiò: si quis percutiens Clericum, ignorat illum esse Clericum, & quidem probabiliter, non autem per ignorantiam crassam, & affectatam, non incurrit excommunicationem. *cap. Si verò il secondo. de Sent. Excommunic.*

Quod si quis velit percutere Clericum, & percutiat Laicum, non est excommunicatus; at si velit percutere hunc Clericum e. g. Petrum, & percutiat aliun Clericum e. g. Joannem, videns esse Clericum, excommunicatur; quia jam habet intentionem percutiendi Clericum, & defacto Clericum percutit, & quanvis credat esse alium, tamen jam videt hunc esse Clericum: ergo &c. At verò si intendat hunc Clericum percutere, sed casu percutiat alium Clericum proximè astantem; casu, in quam, idest non intendens percutere hunc alium, non incurrit excommunicationem; quia non percutit voluntariè hominem, quem sciat esse Clericum. Ita Layman, Sanchez, Bonacina, Farinaceus, & alii apud Barbosam *lib. 1. Juris Eccles. dicto cap. 39. §. 1. num. 59. & 60.*

30 Dico quartò: qui Clericum sibi vim inferentem, sive in persona, sive in rebus propriis, vi repellit incontinenti, non est excommunicatus. *cap. Si verò. il primo. §. Si verò Clericum. de Sent. Excomm.* Ratio est, quia cuilibet est licitum vim vi repellere; debent autem servari lëges defensionis circa modum, tempus, & causam, nimirum, ut si Clericus non insultat cum armis, non potest alius se defendere cum armis, & hoc circa modum; circa tempus, ut sit illico in ipso insultu, non post; quia tunc est vindicta; circa verò causam, ut tanta fiat insultatio, quanta est defensionis necessitas. Hinc si fœmina percutiat Clericum, qui ejus pudicitiam tentat, non est excommunicata; at si solis verbis, & non facto eam tentat,

Digitized by Google

non poteſt percutere, niſi valde Clericus moleſtus eſſet; & aliter fœmina ſe a Clerico liberare non poſſet. Ita docet Pirhing *lib. 5. tit. 39. §. 3. num. 67.*

31 Dico quintò: percutiens Clericum joco, & non ex odio; item ſi Clerici infra puberes annos ſe invicem percutiant, non incurrunt excommunicationem. *cap. Super. de Sent. Excomm.* Notat autem Pirhing *num. 74.* quod Clerici impuberes, ſi ſint doli capaces, & ex ira, & odio ſe percutiant, & non ex joco, aut percuſſione veniali, per dictum textum non excuſantur ab excommunicatione, ſed ſolùm a reſervatione excommunicationis, nimirum quod non debent adire Papam, ſed poſſunt ab Epiſcopo abſolvi.

Præterea Magiſter causâ diſciplinæ percutiens Clericum, non incurrit excommunicationem. *eodem Cap. Super. §. Neque Magiſter. de Sent. Excomm.* Extenditur ad Prælatum, qui Clericos ſubditos causâ diſciplinæ, & correctionis percutit, & ad Patrem reſpectu filii, etiam in Sacris conſtituti per aliquos, quanvis alii Doctores negent, & ſolùm velint, quod excuſatur Pater percutiens filium Clericum adoleſcentem in minoribus. Videatur Barboſa *dicto cap. 39. §. 1. lib. 1. Juris Eccleſ. num. 76.* & Pirhing cit. *num. 75.* Non debent autem Prælati verberare Clericos ſuos per Laicos, niſi ſit conſuetudo, nec verberatio causâ correctionis debet eſſe excedens; aliter non evitabitur excommunicatio. Pirhing *num. 71. in fine.* De his Magiſtris, & aliis habentibus officium, qui causâ diſciplinæ percutiunt Clericos ſubditos, videatur textus *in cap. Cum voluntate. §. Si qui verò. de Sent. Excomm.*

32 Dico ſextò: percutiens Clericum caſu fortuito, non incurrit excommunicationem. *cap. Si verò il primo. de Sent. Excomm.* ibi. *Niſi forte turbam arcendo iruentem, non ex deliberatione, ſed fortuito caſu Clericum lædat.* Item percutiens ſine advertentia ſufficienti ad cul-

pam

Digitized by Google

pam gravem; ita ut, si deinde advertat, manus retrahat, aut si leviter percutiat, ita ut culpa non judicetur mortalis, non incurrit excommunicationem.

33 Dico septimò: percutiens Clericum turpiter invētum cum Uxore sua, (cujus nomine venit, etiam Sponsa de præsenti, non tamen de futuro) Sorore, Matre, vel Filia, non est excommunicatus. *cap. Si verò. il primo. §. Nec ille. de Sent. Excomm.* Quod si non incontinenti percutiat, aut si Fœmina non est ita proxima percutienti, incurrit excommunicationem. *Eodem cap. Si verò. §. Cæterum.* Ratio autem, cur iste percutiens non sit excommunicatus, non est, quia non peccat, sed quia Ecclesia censet percussionem factam esse ex vehementi passione doloris. Ita Pirhing cum Suarez *dicto lib. 5. tit. 39. §. 3. num. 70. in fine.* Turpiter autem inventus dicitur ille, qui actus quoscunque impudicos cum dictis Personis exercet, veluti osculando, amplexando &c. vel si solus cum sola reperiatur in loco suspecto. &c.

34 Dico octavò: non incurrit excommunicationem Judex Laicus, vel Minister, qui capit, vel ligat Clericum, ut ipsum consignet Episcopo, quando dictus Clericus invenitur in flagranti delicto, vel noctu, vel in circumstantia, in qua Clericus est paratus alteri nocumentum facere, & non invenitur ejus Prælatus, aut Minister Prælati. Similiter, qui Clericum debitorem fugientem capit, ut citiùs remittat ad suum Superiorem. Ubi notandum, quod non potest detineri Clericus ultra vigilti horas, quin consignetur suo Superiori Ecclesiastico: imò si Clericus offerat cautionem idoneam, non potest detineri sine excommunicatione. Ita cum pluribus aliis Barbosa *citatus a num. 78. usque ad 82.*

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO ULTIMA.

IN QUIBUS CASIBUS POSSIT ABSOLVE-re Episcopus ab Excommunicatione ob Clerici Percussionem?

EST prædicta excommunicatio reservata Papæ, ut habetur *in dicto Can. Si quis suadente.* nec potest ab alio absolvi, nisi urgente mortis periculo. Sunt nihilominus aliqui casus, in quibus potest absolvi ab Episcopo, vel Prælato regulari. Ideoq;

35 Dico primò: quoties percussio est levis, potest ab Episcopo absolvi percutiens ab excommunicatione. Probatur. *ex cap. Pervenit. de Sent. Excomm.* & sustinent Bonacina *de Censuris disp. 4. sect. 4. pun. 5.* Layman *lib. 1. par. 2. cap. 5. num. 10.* Pirhing *lib. 5. tit. 39. sect. 3. §. 2. num. 58.* Barbosa *lib. 1. de Jure Eccles. cap. 39. §. 1. num. 86.*

Nomine autem percussionis levis non venit percussio illa, quæ non pertingit ad peccatum mortale; quia jam supponimus, ubi non habetur mortale, non incurri excommunicationem; ideoque non opus esse absolutione. Nomine igitur levis percussionis, seu modicæ intelligimus illam, quæ distinguitur ab enormi, seu gravi. Est autem percussio gravis, seu enormis, illa quæ maculam notabilem affert corpori, vel per quam laceratur caro, vel mutilatur membrum, vel effunditur copiosus sanguis, vel extrahuntur multi capilli, vel dentes. Est levis, seu modica percussio illa, quæ fit palmâ, pede, baculo, lapide, & nullam maculam, aut laniationem carnis importat, nec sanguinis effusionem immodicam. Ita Pirhing loc. cit. *num.* 57. & Barbosa *num.* 87. Verùm attendendæ sunt circumstantiæ loci, temporis, personæ, & modi percutiendi, ad hoc ut judicari possit, utrùm percussio

sit

Digitized by Google

sit levis, an gravis, & enormis. Potest enim accidere, quod quis in platea, vel in Ecclesia leviter percussus, sit atrociter injuriatus; ideoque illa percussio reputari debet gravis. Standum est igitur judicio Prudentum, & quoties levis reputatur percussio, poterit ab Episcopo absolvi, vel etiam a Prælato habente Jurisdictionem quasi Episcopalem, ut bene notat Pirhing citatus *num.* 58. *versu Porrò.* & a Vicario Generali, vel Capitulari, Sede vacante, ut notat Fagnanus *in cap. Pervenit. de Sent. Excom.*

36 Dico secundò: Officialis sæcularis si ratione officii sui leviter percusserit cum advertentia Clericum, v. g. quando Apparitores, vulgò (Alabardieri) advertunt aliquem esse Clericum, & tamen eum percutiunt, si percussio non est enormis, possunt ab Episcopo absolvi, si autem sit enormis, non possunt nisi a Papa. Ratio prioris est, quia delictum commissum exercendo officium allevïatur; sed quia non caret culpâ, ideo non evitatur excommunicatio, sed solùm conceditur Episcopo, ut possit absolvere: at verò si sit enormis, non conceditur Episcopo potestas absolvendi, quia ille Officialis sibi usurpat Jurisdictionem in Clericum, dum taliter percutit. *cap. Si verò il primo. de Sent. Excomm.* Pirhing *num.* 59.

37 Dico tertiò: si Monachi, vel Canonici regulares in claustro se percusserint mutuò non enormiter, possunt ab Abbate, vel Episcopo Diœcesano absolvi. *cap. Monachi. de Sent. Excomm.* Idipsum conceditur Clericis in communi viventibus, ut scilicet possint ab Episcopo absolvi, si percussio non sit enormis. *cap. Quoniam. §. Indulgemus. de Vita, & Honestate Clericorum.* Si verò percussio fuerit enormis recurrendum est ex jisdem Juribus ad Sedem Apostolicam. Nunc autem ferè omnes Prælati regulares habent ex concessione Apostolica privilegium absolvendi suos subditos ab excommunicatione contracta ob enormem percussionem.

Quod

Quod si unus Regularis alium ex alio Ordine percusserit, debet esse præsens Prælatus illius Religiosi, qui fuit percussus, quando percutiens absolvitur a proprio Prælato, ut injuriam illi condonet, quanvis dictus Prælatus Percussi, possit se remittere Prælato Percutientis, ut sine ipso præsente absolvat. Layman *lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 10. versu Tertiò Regularis.* Si verò ipse Prælatus regularis fuerit percussor alterius Religiosi, poterit absolvi ab eo, quem in Confessorem elegit. Barbosa *citatus. num. 19.*

38 Moniales Clericum, aut sese invicem percutientes possunt ab Episcopo absolvi, etiam si percussio sit enormis. *cap. de Monialibus. de Sent. Excomm.*

39 Pueri ante annos pubertatis incidentes in excommunicationem ob Clerici percussionem gravem, possunt ab Episcopo absolvi. *cap. Super eo. de Sent. Excomm.*

40 Mulieres cujuscunque ætatis, & conditionis, etiã si percussio Clerici sit enormis, possunt ab Episcopo absolvi. *cap. Mulieres. de Sent. Excomm.* Item Servi, Filii familias, & alii, qui sub alterius potestate sunt constituti. *ex eodem cap. Mulieres.* Barbosa *num. 96. & 97.* Pirhing *dicto lib. 5. tit. 39. §. 4. num. 79.*

41 Impotentes adire Sedem Apostolicam, ut Claudi, Cæci, Pauperes, Infirmi, Senes, etiam ob enormem Clerici percussionem, possunt ab Episcopo absolvi. *cap. Quanvis. de Sent. Excomm.* Barbosa *num. 98.* ubi ait ex aliis Doctoribus, quod etiam si senex sit fortis ad ambulandum, non tenetur ire Romam; & item quod infirmitas, quæ sit impedimentum eundi Romam, ex consilio Medicorum debet haberi.

Qui aliquod aliud impedimentum habet, propter quod sine periculo vitæ ire non potest Romam, vel qui relinquere non potest Uxorem, & filios sine periculo, vel qui habet inimicitias capitales, propter quas non potest adire

re

Digitized by Google

re Romam, potest ob percussionem Clerici, etiam enormem absolvi ab Episcopo. Item illi, qui arte sua vivunt, qui cogerentur mendicare, si Romam adirent. Barbosa cum pluribus Doctoribus *a num.* 101. *usque ad finem.* ubi concludit, quod quando delictum est omnino occultum, & non deductum ad forum contentiosum, potest Episcopus absolvere excommunicatum ob percussionem Clerici gravem, ex Tridentino *sess.* 24. *de Reformatione cap.* 6.

§. TERTIUS.

DE PRIVILEGIO FORI.

42 PRivilegium fori est exemptio Clericorum a Jurisdictione laicali, ita ut, nec eorum personæ, nec bona eorum, subjiciantur potestati laicali, & tam in civilibus, quàm in criminalibus debeant a Judice ecclesiastico judicari. *Can. Si Imperator. dist.* 96. *Can. Continua. Can. Nullus Clericus. Can. Nullus Episcopus. Can. Clericum. & sequentibus* 11. *quæst.* 1. *cap. Si diligenti. de Foro competenti. cap. Cum non ab homine. & cap. Clerici verò. de Judiciis. & cap. Si Judex laicus. de Sent. Excomm. in* 6. Item in Jure civili tale privilegium Clericorum habetur *lib.* 1. *Codicis tit.* 6. *de Episcopis, & Clericis. Authentica. Statuimus*: ubi sic: *Statuimus, ut nullus ecclesiasticam Personam in criminali quæstione, vel civili trahere præsumat ad judicium sæculare contra Constitutiones Imperiales, & canonicas Sanctiones.*

43 Hinc est celebris quæstio, an sit solùm de Jure humano, an verò ex Jure divino talis exemptio Clericorum a Judicio sæculari, in qua quæstione Barbosa *de Jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 39. §. 2. *num.* 57. affirmat esse magis consentaneum, quod sit de Jure divino. Prosper Fagna-

Digitized by Google

nus *in 1. lib. Decretalium. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ. de Constitutionibus a num. 10. usque ad 24.* probat esse de Jure divino. Idipsum docent Glossa *in Can. Si Imperator. dist. 96. & in cap. Quanquam. de Censibus in 6.* Navarrus *in cap. Novit. Notabili. 6. de Judiciis num. 30.* Diana *par. 1. tract. 2. resolut. 1.* cum pluribus Theologis, & Canonistis, quos citat.

44 Esse tantùm de Jure humano defendunt alii relati ab ipso Diana, Roas, Alciatus, Covarruvias, Vallascus, Cevallos, & alii, quos refert Gonzalez Tellez *in lib. 2. Decretal. tit. 1. de Judiciis. cap. 8. num. 11.*

45 Dicendum primò, quod de Jure divino sit exemptio Ecclesiasticorum in causis ecclesiasticis a potestate laicali, seu in negotiis spiritualibus, nimirum in creandis Episcopis, & Sacerdotibus, in distribuendis Parochiis, & in causis inde emergentibus, &c. Probatur; quia Potestas ecclesiastica est distincta a Civili, & illâ superiòr; quia cum sit in ordine ad effectus supernaturales remissionis scilicet peccatorũ, collationis gratiæ, ordinandi Sacerdotes, concedendi Indulgentias, excommunicandi &c. non potuit ortum habere, nisi a Deo: ergo a Jure divino est talis potestas non ab humano; sed talis potestas fuit a Christo Domino communicata Divo Petro, & Apostolis, eorunque Successoribus, qui Apostoli ab Initio Ecclesiæ sine ulla laicæ potestatis authoritate curam, & administrationem Ecclesiæ exercuerunt, & sic deinceps factum est: ergo in causis ecclesiasticis, quæ Potestatis ecclesiasticæ sunt propriæ, sunt Clerici exempti Jure divino a potestate civili. Hæc enim ad solas res naturales se extendere potest. Ita Molina *tom. 1. de Justitia. disp. 31. concluf. 2.* quem sequitur Gonzalez Tellez *supra citatus.*

46 Dicendum secundò: in causis civilibus, aut criminalibus habent Ecclesiastici exemptionem non Jure, di-

divino, sed humano. Probatur: quia nullus est locus Sacræ Scripturæ, ex quo possit deduci, quod exemptio a Jurisdictione laicali sit de Jure divino, quo ad Civilia, & Criminalia, in quibus Clerici non agunt, ut Clerici, seu ut Personæ Ecclesiasticæ, & Sacræ, sed ut homines; non enim faciunt contractus, aut committunt delicta, quà Clerici: probatur autem, quod nullus textus sit. Nam illud *Genesis* 47. in quo dicitur Josephum, non feciſſe tributariam Pharaoni terram Sacerdotalem, non probat; quia bene potuit fieri à Regis beneficentia, postulante id recta ratione. Nec illud *Matth.* 17. in quo dicitur, quod tributum non debet reddi à filiis; nam ille textus loquitur de Christo, qui nulli hominum erat subditus: Denique nec probat illud *Psal.* 104. *Nolite tangere Christos meos*; quia præcipitur ibi, ne fiat injuria Ministris Dei, in quibus includuntur, etiam ipsi Reges sæculares. Ita idem Molina *conclus.* 3.

47 Dicendum tertiò: Consentaneum est Juri divino, quod Personæ ecclesiasticæ non sint subjectæ foro Sæculari; ratio est, quia Jure divino Personæ Ecclesiasticæ sunt Pastores animarum, & ideo Superiores Judicum laicorum in spiritualibus. Indecens autem esset, quod Episcopus, Parochus, & Presbyter, quibus Judices sæculares, tanquam filii in spiritualibus subjiciuntur, deberent ab ipsis judicari: ergo consonum Juri divino est, ut Personæ ecclesiasticæ non judicentur a Laicis. Videantur Molina citatus *totâ disp.* 31. Gonzalez Tellez *in cap. Clerici verò. de Judiciis. per totum.* Diana *par.* 1. *tract.* 2. *Resol.* 1. Barbosa *de Jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 39. §. 2. *num.* 7.

48 Hinc Clerici renunciare non possunt tali immunitati, quia non in favorem privatum Personæ, sed in favorem totius Ordinis clericalis est introductum privilegium fori, ut probat textus *in cap. Si diligenti. de Foro competenti*; & latè probat cum innumeris Doctoribus

Digitized by Google

Barbosa *num.* 8. & Gonzalez Tellez *in dictum cap. Si diligenti.* Videri etiam possunt reliqui Doctores citati a Diana *par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 3.

Unum est notandum, nimirum Summum Pontificem de Jure divino esse exemptum a quacunque Jurisdictione laicali, cum sit constitutus a Christo Domino Vicarius ejus, cui data est omnis potestas in Cœlo, & in terra. Necessariò enim sequitur, ut bene ait Scaccia *de Judiciis Causarum civilium, criminalium, & hæreticalium lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 8. quod si omne Imperium fuit translatum in Christum Dominum, & Summus Pontifex ejus vices gerit, & propterea dicitur suus Vicarius *cap. Inter. de Translatione Episcopi*, sequitur, inquam, quod præcedat omnes Potestates, & Dignitates Mundi.

§. QUARTUS.

DE IIS, QUÆ REQUIRUNTUR IN CLERICIS, ut gaudeant Privilegio Fori.

49 QUidquid sit in Jure Canonico communi; dico servanda esse, quæ in Jure novo Tridentini disponuntur *sess.* 23. *de Reformatione cap.* 6. ubi sic: *Is, & etiam Fori privilegio non gaudeat, nimirum primâ Tonsurâ initiatus, aut in minoribus Ordinibus constitutus, nisi Beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum, aut Tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur.* Plura sunt hic discutienda. Ideo sit

QUÆSTIO PRIMA.

AN CLERICUS IN MINORIBUS BENEFICIATUS, etiamsi Habitum, & Tonsuram non deferat, gaudeat Privilegio Fori?

50 REspondeo affirmativè, quia Concilium utitur particulâ disjunctivâ, *aut*, ergo ad hoc, ut Clericus in minoribus gaudeat Foro, debet esse, vel Beneficiatus, vel Habitum, & Tonsuram deferre serviens Ecclesiæ &c. Atque ita docent Zecchius *de Republica Eccles. tit. de Clericis. ver. Ad hoc.* Fagnanus *in cap. Inter cæteras. num. 3. de Rescriptis.* & *in cap. Si quis. de Foro competenti. num. 46.* afferens declarationem Sacræ Congregationis Concilii. Barbosa *lib. 1. Juris Eccles. cap. 39. §. 2. num. 13.* & alii relati ab ipso.

51 Nec obstat, quod Sixtus V. in Bulla, quæ incipit *Sacrosanctam. de Habitu, & Tonsura Clericorum*, statuerit ut Beneficiatus non deferens Habitum, & Tonsuram, sit ipso facto privatus Beneficio; non obstat, quia non excluditur a privilegio Fori ante Judicis sententiam declaratoriam super delicto, nimirum quod non gestaverit Habitum; ratio est, quia pœnæ in Jure semper requirunt declaratoriam super facto. Ita Fagnanus *in cap. Si quis. num. 25. de Foro competenti.*

QUÆSTIO SECUNDA.

AN SUFFICIAT COLLATIO BENEFICII ante adeptam possessionem, ad hoc ut Clericus in minoribus gaudeat Privilegio Fori?

52 REspondeo affirmativè: & quidem supposito, quod collatio sit valida: nam si dubium sit, an sue-

Digitized by Google

fuerit valida, standū est opinioni multorum dicentium: requiri possessionem, & non sufficere collationem ad gaudendum Foro. Quod si possessio jam habeatur, non debet inquiri, an sit legitima, vel non? quia etiam si legitima non fuerit; quia Clericus v.g. erat illegitimus &c. tamen dum reperitur in possessione beneficii, semper gaudet Foro. Ita docent quamplures, quos sequitur, & citat Barbosa *loc. cit. num.* 14. & 15. quod autem gaudeat ante possessionem ex sola collatione, probat Fagnanus *in cap. Si quis Clericus. a num.* 28. *de Foro competenti*; quia per solam collationem jus in beneficio tribuitur, legite ipsum.

QUÆSTIO TERTIA.

QUID VENIAT NOMINE BENEFICII, & an sufficiat Pensio?

53 REspondeo, quod nomine beneficii, ex cujus collatione, vel possessione, guaudet Clericus in minoribus privilegio Fori, venit quodcunque beneficium, etiā modici valoris. Ita sentiunt Plures, quos sequitur, & citat Barbosa *dicto lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 39. §. 2. *num.* 16. An autem Pensionarius possit haberi, quo ad Forum, pro Beneficiato, est valde controversum. Multi, quos citat Diana *par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 30. & Barbosa *num.* 21. sustinent, quod si non incedat in Habitu, & Tonsura non gaudet. Quæ opinio intelligitur de Pensione non excedente valorem 60. Ducatorum auri de Camera juxta Bullam Sixti V. quæ incipit: *Pastoralis est curæ to.* 2. *Bullarii novi. pag.* 654. Nam in hac declaratur antecedens Bulla, quæ incipit: *Cum Sacrosanctam*. in qua privantur pensione, qui Habitum, & Tonsuram non deferunt, & declaratur, quod privandi sunt, quoties ad valorem 60. Ducatorum auri de Camera pertigerit pensio.

Quo-

Digitized by Google

Quoties autem ad talem valorem non pertigerit, non sunt privandi pensione.

Dicit igitur supra dicta opinio, quod qui pensionem habent, non excedentem valorem 60. Ducatorum, & ideo possunt incedere sine Habitu, & Tonsura, absque amissione pensionis, isti si sine Habitu, & Tonsura incedunt, non gaudent privilegio; si verò cum Habitu incedunt, gaudent. Alii verò Doctores sustinent, quod Pensionarii absolutè gaudent Foro. Alii verò sustinent, quod tunc Pensionarius gaudet Foro, quoties pensionem habet loco tituli beneficii.

54 Dicendum cum Fagnano *in cap. Ad audientiam. il secondo, de Rescriptis. a num.* 122. *usque ad* 132. Hieronymo Gigante *in tract. de Pensionibus. quæst.* 94. *num.* 8. Salsedo *in Practica criminali Canonica. cap.* 67. *num.* 10. quod stante declampione Sacræ Congregationis, quam referunt prædicti Authores, Pensionarius censetur pro Beneficiato ad effectum gaudendi privilegio Fori: tum quia Cancellaria habet Pensionarium pro Beneficiato, & ideo vult exprimi in Bullis Pensiones, sicuti Beneficia: tum quia Pius V. cogit Pensionarium ad recitandum officium, saltem Beatæ Mariæ Virginis: ergo absolutè gaudet Pensionarius Foro, sicut Beneficiatus. Videatur Pignatelli *tom.* 3. *Consult.* 7. *num.* 24.

QUÆSTIO QUARTA.

AN CLERICUS IN MINORIBUS NON BENEFICIATUS debeat, simul Habitum, & Tonsuram deferre, ut gaudeat Foro?

55 SUpponimus ex textu Tridentini supra allegato, quod Clericus in minoribus, ut gaudeat Foro,

Foro, debet Habitum, & Tonſuram deferre, inſervire alicui Eccleſiæ, vel eſſe in Seminario, vel in aliqua Schola de licentia Epiſcopi, de quibus conditionibus ſunt deinceps reſolvenda Dubia, quæ inſurgunt.

Reſpondeo igitur ad quæſtionem, quod Clericus in minoribus non Beneficiatus debet, ſimul geſtare Habitum, & Tonſuram, ut gaudeat Foro, & non ſufficit ſi Tonſuram ſine Habitu deferat, aut Tonſuram ſine habitu. Ita Bellettus *Diſquiſitionum Clericalium quæſt. 1. tit. de Favore Clericorum perſonali.* §. 8. *num.* 7. Armendariz *tit. 19. de Foro competenti. num.* 13. Riccius *in Deciſionibus Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanæ. par. 4. deciſ.* 154. & alii plures, quos refert Barboſa *num.* 23. *dicto* §. 2. *cap.* 39. *lib.* 1. *Juris Eccleſ.*

56 Sed quæres: an ſi Habitum non geſtet ob paupertatem, vel Tonſuram non deferat, quia caput raſum habet ob aliquam infirmitatem; vel Habitum, aut Tonſuram ad breve tempus deponat, amittat Clericus *in minoribus* privilegium?

Reſpondeo negativè: quia in dictis caſibus non cenſetur totalis dimiſſio Habitus haberi. Accedit declaratio Sacræ Congregationis Concilii, quam affert Fagnanus *in cap. S. quis. de Foro competenti. num.* 20.

Nota hìc, quod de Habitu, in quo ſit repertus Clericus, ſi fuerit controverſia, an ſit clericalis, vel non, debet Epiſcopus cognoſcere, non verò Judex laicus. Ita *in* eadem declaratione.

57 Quæres iterum, an Clericus non Beneficiatus in minoribus ſolitus geſtare Habitum, & inſervire Eccleſiæ, vel ſtudere &c, ſi repertus fuerit noctu, vel interdiu *in* Habitu laicali cum armis gaudeat Foro?

Supponendum, quod ex Tridentino, non requiritur monitio Epiſcopi de reaſſumendo Habitu, prout Jure cõmuni requirebatur, ad hoc ut Clericus nõ Beneficiatus,

& in

Digitized by Google

& in minoribus incedens in Habitu laicali amittat Fori privilegium. Nunc enim ſine ulla præcedenti monitione amittitur privilegium ab eo, qui non eſt in Sacris, nec Beneficiatus, & in Habitu laicali incedit. Hoc tamen non obſtante.

Reſpondeo, quod etiam inſpecta mente Tridentini, iſte talis, qui ſolitus eſt Habitum geſtare, & caſu non geſtat, non amittit Fori privilegium; quia qui Habitum dimittit, ſtatim reaſſumpturus non cenſetur dimittere; ſicuti brevi reverſa Uxor non videtur divertiſſe. *L. Divortium non eſt. ff. de Divortiis.* Animus autem reaſſumendi Habitum, colligitur ex ipſa conſuetudine Habitum geſtandi; nec mutatio præſumitur voluntatis, niſi probetur. *L. Eum, qui voluntatem. ff. de Probationibus.* Menochius *præſumpt.* 37. *lib.* 6. *num.* 28. Videantur reliquæ rationes pro hac deciſione apud Fagnanum *in cap. Si quis. de Foro competenti. a num.* 51. *uſque ad* 58. In quo bene notat, quod Judex laicus inveniens Clericum ſine Habitu cum armis, ſi eum capiat, non incurrit excommunicationem, juxta *cap. Si Judex laicus. de Sent. Excommun. in* 6. Quia incedens in Habitu laicali; Laicus præſumitur; at ſi poſtea Clericus ſe manifeſtat, debet ad Judicem eccleſiaſticum remitti.

QUÆSTIO QUINTA.

AN SERVITIUM ECCLESIÆ, VEL STUdium in Schola publica, debeat neceſſariò eſſe de mandato Epiſcopi?

58 REſpondeo cum Fagnano *in cap. Si quis. de Foro competenti. num.* 22. Barboſa *lib.* 1. *Juris Eccleſ. cap.* 39. §. 2. *num.* 35. & aliis apud ipſos, quod verba Concilii dicentis *de mandato Epiſcopi, & de licen-*

Digitized by Google

tia Episcopi, non sunt substantialia, adeoq; si Clericus in minoribus non Beneficiatus, incedens in Habitu, & Tonsura alicui Ecclesiæ per paucas vices in Choro, & in processionibus interfuit, vel in Schola publica studeat, etiam si non habuerit licentiam, vel mandatum Episcopi, adhuc gaudet privilegio Fori, quidquid dicant plures Doctores, quorum sententiam aliquando secutus est ipse Barbosa, ut ipse dicit *a num. 31. usq; ad dictum num. 35.* Ratio est, quia sic decisum fuit a Sacra Congregatione Concilii *in una Valentina 29. Junii 1628.* & in alia *28. Martii ejusdem anni*. Habentur etiam aliæ Decisiones, quæ adducuntur ab eodem Barbosa *num. 36.* & ab eodem Fagnano *dicto num. 22.* occasione cujusdam Clerici Romani Cuperchini; quibus declaratur gaudere Fori privilegio Clericum, qui deferens Habitum, & Tonsuram inservit Ecclesiæ, tametsi non habeat mandatum Episcopi, aut inserviat alteri Ecclesiæ, quam illi, cui mandavit Episcopus, aut commoratur in aliqua Schola publica sine licentia Episcopi. Item videantur variæ Decisiones allatæ a Pignatelli *tom. 1. Consult. 174. a num. 4. usque in finem.*

QUÆSTIO SEXTA.

AN, ET QUANDO CONJUGATUS CLERICUS gaudeat Fori Privilegio?

59 REspondeo, quod ex Tridentino *dicto cap. 6.* & Constitutione Bonifacii VIII. *in cap. un. co. de Clericis conjugatis in 6.* Tria requiruntur in Clerico conjugato, ad hoc ut gaudeat privilegio Fori, quibus non habitis, non gaudet. Primum si cum unica, & Virgine contraxerit. Secundum si Habitum deferat, & Tonsuram. Tertium si alicui Ecclesiæ serviat, vel in aliquo Monasterio ab Episcopo deputatus fuerit in servi-

tium

tium Ecclesiæ. Ita Doctores communiter, qui videri possunt apud Barbosam citatum *num. 37. & 38.* & Scacciam *de Judiciis lib. 1. cap. 11. num. 20.*

60 Sed quæres, an Clericus conjugatus habens omnia suprædicta requisita gaudeat Foro, tam in criminalibus, quàm in civilibus?

Respondeo supponendo quæstionem procedere de Clerico in Minoribus; nam Sacerdotes, Græci uxorati certum est, quod gaudeant, tum in civilibus, tum in criminalibus. Ita Gonzalez Tellez *in cap. Ex parte tua. de Clericis conjugatis. num. 3.* Respondeo, inquam, communem Doctorum opinionem esse, ut asserit Scaccia *loc. cit.* quod solùm gaudeat in criminalibus, sive civiliter, sive criminaliter agatur de crimine; non autem in civilibus. Atque ita docent Covarruvias, Farinaceus, Azevedus, Tapia, Cenedus, & alii innumeri adducti a Barbosa *n. 38.* Idipsum docet Fagnanus asserens Decisionem Sacræ Congregationis Tridentini *in lib. 2. Decretalium. in cap. Proposuisti. num. 28. de Foro competenti.* non potest tamen, ut ajunt prædicti Doctores, Clericus conjugatus ob causas civiles personaliter distringi, aut in carcerem conjici a Judice laico.

Quid autem sit civiliter agi, aut criminaliter de crimine, explicatur a Glossa *in cap. Mediatores. de Testibus, & Attestationibus in 6.* hoc pacto: *Dicitur quis agere civiliter de crimine Simoniæ, quando agit, ut Simoniacus privetur beneficiis suis; sed si agit, ut privetur Ordinibus suis, dicitur agere criminaliter.* Hinc quando contra Clericum conjugatum agitur de aliquo crimine, sive agatur civiliter, idest ut restituat damnum illatum, sive agatur criminaliter, idest ut puniatur, & de eo vindicta sumatur, recurrendum est ad Judicem Ecclesiasticum; & non potest trahi ad Judicem laicum. Atque hoc important verba *cap. unici. de Clericis conjugatis in 6.* Quod autem

Digitized by Google

in civilibus causis non gaudeant Foro Clerici conjugati, colligitur ex verbis sequentibus ejusdem *cap. In cæteris autem eos gaudere nolumus privilegio Clericali.* Sicuti neque gaudent in criminalibus si Habitum, & Tonsuram non deferant, ut constat ex aliis verbis ejusdem textus.

61 Non reticeam tamen, quod Ancharanus, Martha & alii, quos refert Pirhing *lib. 2. tit. 2. sect. 3. §. 3. num. 94.* & *lib. 3. tit. 3. §. 5. num. 29.* & Pignatelli *to. 1. Consult. 489.* volunt, quod etiam in civilibus gaudeant Foro clericali Clerici conjugati; aliter melior esset conditio Clerici conjugati delinquentis, & per furtum pecuniam acquirentis, quàm debitoris ex aliquo contractu; quia hic posset conveniri coram Judice laico, ille verò non posset. Videatur Diana *par. 1. tract. 2. resolut. 50.*

62 Quæres secundò: an Clericus in Sacris, qui ex dispensatione Apostolica matrimonium contraheret, & sic statũ sæcularem assumeret, gauderet privilegio Fori?

Respondeo probabile esse, quod gaudeat, quia permanet Persona ecclesiastica. Ita docet Navarrus, quem adducit Gonzalez Tellez *in cap. Ex parte tua. de Clericis conjugatis. num. 3. in fine:* ubi ait: hanc opinionem bene firmasse D. Rodericum Parga, & Mandia Episcopum Accitanum. Affert præterea Barbosa *lib. 1. Juris Eccl. cap. 39. §. 2. num. 39.* Decretum Sacræ Congregationis Concilii sub die 24. *Martii*, & 17. *Septembris* 1618. quod ait gaudere Fori privilegio Subdiaconum, qui ex dispensatione Apostolica cum Vidua contraxit matrimonium, & obtinet pensiones ecclesiasticas.

Sanchez autem *lib. 8. de Matrim. disp. 8. num. 11.* vult quod si vestes induit sæculares, & utitur dispensatione transeundo ad nuptias, non gaudeat privilegio Clericali; quia jam translatus ad statum sæcularem est, quanvis maneat cum charactere indelebili in anima. Atque hæc opinio magis placet; quia Clericus conjugatus eo ipso, quod

Ton-

Digitized by Google

Tonsuram, atque Habitum dimittit, censetur exutus omni privilegio Clericali, ut notant communiter Doctores *in Clement.* 1. *de Vita, & Honestate Cleric.* Archidiaconus, Joannes Andreas, & Dominicus de Sancto Geminiano *in cap. unico de Clericis conjug. in* 6. Natta *consil.* 356. *n.* 6. *lib.* 2. Carolus de Grassis *in tract. de Effectibus clericatus. effectu* 1. *n.* 892. Aloysius Riccius *in Praxi variarum resolut.* 172. *num.* 1. ergo sive sit in Sacris, & cum dispensatione nubat, sive in minoribus eo ipso, quod vestibus secularibus utitur, non debet censeri Clericus, sed Sæcularis.

63 Quæres tertiò an Clericus in minoribus, qui vestibus Clericalibus se exuit, & matrimonium contraxit cum Unica, & Virgine, amittat absolutè privilegium, an verò solùm pro eo suspenditur, ita ut illud recuperare possit, si iterum assumat Habitum clericalem, & Tonsurã.

Respondeo: probabiliùs esse, quod privilegium non fuerit simpliciter amissum, sed suspensum; ideoque si reassumitur Habitus, & Tonsura a Clerico conjugato, aliunde potente gaudere Foro, idest non habente bigamiæ, vel aliud impedimentum, per quod absolutè tollitur privilegium, debet ipse gaudere. Ratio est; quia textus *in cap. unico de Clericis conjug. in* 6. dicit *Si vestes clericales non deferat, eos gaudere nolumus privilegio Clericali.* Sed hæc verba indicant privari privilegio quo ad usũ, non quo ad proprietatem: ergo, reassumpta veste Clericali, cum auferatur causa privationis privilegii, debet privilegium acquiri. Atque ita docet Joannes Andreas *in dictum cap. unicum de Clericis conjug. in* 6. *n.* 2. *& n.* 4. *in fine*, & alii, quos sequitur Pirhing *lib.* 3. *tit.* 3. §. 5. *n.* 30. Hinc est quod Clericus in minoribus, qui sæculariter vixit cum Uxore unica, & Virgine, si mortua Uxore, reassumit Habitum clericalem, & Tonsuram, omnia privilegia Clericalia recuperat. Idem Pirhing *num.* 31.

Cum

Digitized by Google

cum Covarruvia, Claro, & Sanchez.

64 Quæres quartò: an Clericus conjugatus cũ Unica, & Virgine ſerviens Eccleſiæ &c. ſi negotiationibus ſæcularibus ſe immiſceat, amittat privilegium Fori?

Reſpondeo, quod licèt multi, inter quos Clarus, & Scaccia citatus *num.* 20. dicant, quod amittat, tamen probabiliùs eſt, quod non amittat; quia Clerici conjugati præter caſus in Jure expreſſos reputantur, ut Laici, & non eſt indecens, ut causâ victûs negotiationem licitam exerceant; ſicut eſt indecens, quod Clerici non conjugati eam exerceant. Atque ita docent Pirhing *num.* 32. cum Covarruvia, & Sanchez. Item Layman cum aliis. *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 7. *n.* 4. *verſu Adde.*

65 Quæres quintò: an Uxores Clericorum gaudeant privilegio Fori?

Reſpondeo, quod Alexander de Nævo *in cap. Nullus. de Foro competenti. n.* 21. vult Uxorem Clerici gaudere privilegio Fori. Movetur; quia Uxor ſequitur Forum Mariti. *ex Lege Mulieres. de Incolis, & ubi quis Domicilium &c. Cod. lib.* 10. & *ex Lege Exigere. ff. de Judiciis, & ubi &c.* Citantur etiam Abbas pro hac opinione *in dictum cap. Nullus. de Foro compet. n.* 2. & Imola *ibidem num.* 3. Tenet etiam Fagnanus *in dictum cap. Nullus. a num.* 37. *uſque ad* 45. & alii plures relati a Deciano *trac. Criminali lib.* 4. *cap.* 9. *n.* 53.

Negant autem gaudere Fori privilegio Uxorem Clerici, Joannes Andreas *in cap. unicum de Clericis conjug. in* 6. Barboſa *lib.* 1. *Juris Eccleſ. cap.* 39. *n.* 62. Pirhing *lib.* 2. *tit.* 2. *ſect.* 3. §. 3. *n.* 95. quia privilegium Fori eſt perſonale conceſſum Eccleſiaſticis Perſonis: ergo non debet extendi ad Uxores Clericorum, quæ non ſunt Eccleſiaſticæ Perſonæ.

66 Dicendum videtur, quod gaudeant; quia legitima Uxor Clerici non debet eſſe pejoris conditionis, quã

Uxor

Digitized by Google

Uxór Laici: ergo si Uxor Laici gaudet Foro Mariti, debet Uxor Clerici gaudere Foro Mariti. Atque ex hoc solvitur argumentum contrarium; quia privilegium in Uxore Clerici non provenit ab extensione characteris Clericalis, qui est in Marito, quasi quod dicamus eam fieri Personam Ecclesiasticam; sed quia Uxor sortitur Forum Mariti. Atque hinc dicta Conclusio intelligitur de Uxore illius Clerici, qui gaudet Foro, & item in illis casibus, in quibus gaudet Maritus, & non in aliis. Unde Uxor Sacerdotis Græci gaudet tum in civilibus, tum in criminalibus; quia Maritus gaudet in utrisque. Uxor autem Clerici in minoribus, gaudet in criminalibus, non autem in civilibus, si juxta ea, quæ supra diximus, Clericus in minoribus conjugatus non gaudeat in civilibus. Ratio est, quia non aliunde gaudet Uxor, nisi quia est Uxor Clerici: ergo non potest gaudere Foro, nisi quantùm Maritus. Item mortuo Marito, nec amplius gaudet. Ita Fagnanus *loc. cit. num.* 44. de hac quæstione idem Fagnanus varia resolvit dubia. Denique quod filii, etiam Laici prædictorum Clericorum, gaudeant Foro, defendit Pignatelli *tom.* 1. *Consult.* 98. *a num.* 6

§. QUINTUS.

QUINAM ULTRA CLERICOS GAUDEANT Fori Privilegio?

67 Dico primò: Regulares omnes, & Moniales, tam Professi, quàm Conversi, & Novitii, Fori gaudent privilegio. Est certum *ex cap. Clericis. de Immunitate Ecclesiarum in* 6. & eam tradunt Scaccia *n.* 21. Bossius *tract. Criminali, tit. de Foro compet. n.* 127. Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 39. §. 2. *n.* 40. Pirhing *lib.* 3. *tit.* 2. *sect.* 3. §. 3. *n.* 97. Fagnanus *lib.* 2. *in cap. Nullus. de Foro competenti. n.* 49. & alii. 68 Di-

Digitized by Google

68 Dico secundò: Oblati, qui se, & sua in totum Religioni tradiderunt, gaudent Fori privilegio. Ita Barbosa *num. 44. lib. 1. Juris Eccles. loc. cit.* ubi requirit ex variis Doctorum Juribus, ac Decisionibus, quod se, idest personam propriam, & sua bona omnia tradiderint Religioni, transferendo se ad Religionem in ea degendo, non autem sufficit, si bona sua tradant Religioni, & ipsi in sæculo maneant, aut Habitum non mutent. Videatur tum ipse Barbosa, qui plura de his Oblatis dicit, tum Fagnanus *lib. 5. in cap. Ut privilegia. a n. 1. usque ad finem. de Privilegiis.*

69 Dico tertiò: Religiosi Ordinum Militarium gaudent Fori privilegio. Barbosa *a num. 46. usque ad 49.* Pirhing *num. 97.* Notat autem Barbosa *num. 50.* cum Rodriquez, Azebedo, Bobadiglia, & aliis, quod illi, qui sunt Confratres Melitenses, & portant mediam crucem albam *Tau* dictam, vulgò martelletto, non gaudent Foro; sed standum est praxi.

70 Dico quartò: Tertiarii Sancti Francisci, aut alterius Religionis, & Sorores, quæ dicuntur Bizochæ, vel Beatæ, si in communi vivunt, & regulam profitentur, gaudent Foro. Ita communiter Doctores. Si verò domi suæ habitent, nec ullum votum emittant, non gaudent; quia nullo modo sunt Personæ Ecclesiasticæ. Videatur Barbosa *a num. 41. usque ad 43.* Diana *par. 1. tract. 2. resol. 84.* ubi defendit ex aliis Doctoribus addita declaratione Sacræ Congregationis Tridentini, quod Mulieres istæ si Habitum gestent, & vitam cælibem voverint, etiam si vivant in domibus propriis, aut consanguineorum, vel affinium, gaudent Foro, & sunt, etiam exemptæ ab Ordinarii Jurisdictione, & solùm Superioribus Religionis, cujus Habitum gestant, subjectæ. Viri autem, ut gaudeant Foro, & Privilegiis Religionis, debent cum Claustralibus vivere, & habitare. Denique videatur Fagnanus

Digitized by Google

nus *in cap. Nullus. de Foro compet. an.* 65. *usque ad* 70. in quo affert decisionem Sacræ Congregationis Tridentini dicentis *Hujusmodi viros tertiarios in Congregatione non viventes, privilegiis Ordinis, cujus habitum gestant, non potiri.*

71 Dico quintò: Eremitæ, qui in communi vivunt juxta modum approbatum ab Episcopo, vel sunt Deputati ab Episcopo alicujus Ecclesiæ servitio, & vivunt sub obedientia ipsius Episcopi, & habitum gestant, gaudèt foro. Pirhing dicto *n.* 97. *ver. Similiter.* Barbosa *n.* 45. Fagnanus *ibidem a n.* 55. *usque ad* 64. Illi autem Eremitæ, qui licèt habitum Eremiticum deferant, sunt tamen puri Laici, nec ad ullum servitium Ecclesiæ astricti, & pro libitu habitum possunt deponere, non gaudent privilegio Clericali. Ita Abbas *in cap. Nullus. n.* 10. *de Foro compet.* Sylvester *verbo Eremita. q.* 1. Barbosa *n.* 45. Fagnanus *n.* 63. Pirhing. dicto *n.* 97. *propè finem.*

72 Dico sextò: Gaudent Fori privilegio quicunque sunt addicti militiis, seu ordinibus militaribus Sancti Joannis Hierosolymitani, Calatravæ, & ceteris Monasteriis Monachorum, Hospitalibus, vel Collegiis Ecclesiasticis; sed ut gaudeant tria debent concurrere copulativè ex Tridentino *sess.* 24. *de Refor. cap.* 11. *ver. Exceptis.* Nimirum ut actu serviant, ut intra eorum septa, & domos resideant, ut sub eorum obedientia vivant. Hac ratione Hospitalarii laici, seu Rectores Hospitalium si intra ipsum Hospitale vivunt, certum est; quod gaudeant Foro Ecclesiastico: si verò extra Hospitale degant, controversum est; & videtur dicendum, quod si authoritate Episcopi erecta sint Hospitalia, quibus præsunt, gaudeant. Si verò sine authoritate Episcopi fuerint erecta, nō gaudeant. Ita plures Doctores, quos sequitur Fagnanus *n.* 73. Pirhing dicto *n.* 97. *ver. Similiter.* & *in fine.* Barbosa *n.* 51.

73 Dico septimò: Familiares Episcopi, seu omnes

etiam Laici, qui sunt de Familia Episcopi gaudent Foro Ecclesiastico tum in civilibus, tum in criminalibus. Est communis opinio *ex cap. Finali. §. Petiit. de Officio Archidiaconi*, & videri possunt Scaccia *de Judiciis cap. 11. n. 22.* Abbas *in cap. Nullus. n. 6. de Foro compet.* Fagnanus *loco cit. n. 23.* Barbosa *n. 55.* & *in tract. de Potestate Episcopi. par. 3. Alleg. 107. n. 9. ver. Familia Episcopi.* Pignatelli *tom. 1. consult. 82. a n. 3. usque in finem*, ubi *n. 6.* refert quædam pertinentia ad nostrum Siciliæ Regnum, citato Diana *par. 4. tract. 1. resol. 30. & par. 5. tract. 1. resol. 1.*

74 Dico octavò: Famuli Clericorum conductitii, sicuti & Famuli Religiosorum conductitii, idest qui non vivunt intra septa, & Domos Religiosorum, nec sub eorum obedientia, quod gaudeant Foro, docet Glossa *in Can. Clericum 11. quæst. 1. ver. Idem dico de servientibus, & mancipiis Clericorum.* Item Glossa *in Can. Eos. dist. 23.* Joannes Andreas, & Imola *in cap. Nullus. de Foro compet.* Marsilius *Consilio 67. n. 60.* Maranta *in suo speculo par. 4. dist. 11. n. 4.* Carolus de Grassis, *effectu 1. n. 149.* & alii, quos referunt Barbosa *n. 56.* & Fagnanus *in cap. Nullus. de Foro compet. n. 20.* Idem autem Fagnanus ex Archidiacono, & aliis Doctoribus statuit, quod servi conductitii Clericorum non gaudeant Foro; servi autem perpetui gaudent; & assignat disparitatem; quia servus perpetuus quidquid acquirit, Clerico Domino acquirit, ac proinde conveniretur Clericus in persona servi sui coram Judice sæculari; quod est absurdum. At verò servus conductitius non est res ipsius Clerici, nec illi acquirit quidquid acquirit. Videatur dictus Fagnanus *a n. 20. usq; ad 23.* ubi argumenta pro exemptione Famulorum conductitiorum solvit & bene. Item plures Doctores allegat Barbosa *n. 57.* pro hac opinione negante dictam exemptionem, & *n. 58. & 59* solvit argumenta, quæ adducuntur pro exemptione; quod idem facit Felinus *n. 2. in cap. Nullus. de Foro compet.* 75 Di-

Digitized by Google

75 Dicendum, quod non gaudeant, nisi fuerint servi perpetui, seu Mancipia Clericorum, aut Religiosorum, aut Ecclesiæ. Ratio est; quia nullibi Jure cautum reperitur, quod tales servi conductitii sint exempti a Jurisdictione laicali, nec ipsi sunt divino obsequio dedicati, nec dici possunt Personæ Ecclesiastica. Præterea facit textus *in cap. Tuarum. ver. Quoddam. in fine de Privilegiis*, & *in Cap. Per exemptionem. ver. Verùm. eodem titulo in 6.* facit etiam textus *in cap. Licèt vobis. eodem titulo de Privilegiis. in 6. versu. Non sic autem*, ubi dicitur, quod privilegium datum Conventui, vel Collegio non extenditur ad familiares.

76 Neque obstat, quod *in Lege 1. & 2. Codice de Episcopis, & Clericis*; dicatur, servos Clericorum collectari non posse. Nam Leges loquuntur de Servis perpetuis: ait enim prima Lex *Vos, & Mancipia vestra nullus novis collationibus obligabit, sed vocatione gaudebitis.* Similiter ad textus *Can. Indicatum. dist. 86.* & *Can. Ecclesiarum servos 12. quæst. 2.* qui solent adduci, respondetur: quod loquuntur de Servis perpetuis Ecclesiarum. Ait enim Glossa in dictum *Can. Ecclesiarum. in fine. Clerici enim, & eorũ Mancipia sunt exempta.* Stet igitur servos Laicos Clericorum, & Religiosorum, non esse exemptos a Jurisdictione laicali, ut docent præter citatos Doctores, Abbas *in cap. Nullus. n. 6. de Foro compet.* Alexander de Nævo *n. 11. ibidem.* Julius Clarus *in Enaxi criminali lib. 5. §. finali quæst. 33. versu. Quæro numquid Familiares*, & Pirhing *lib. 2. tit. 2. sect. 3. §. 3. n. 96. ver. Tertio extendunt.*

Notandum tamen, quod si Clericus Dominus non posset uti suo privilegio, nisi includeretur famulus conductitius, tunc talis famulus gauderet. Exemplum habetur *in cap. Licèt vobis. de Privilegiis in 6. ver. Conceditur.* ubi dicitur, quod singulari personæ concessum privilegium audiendi Missam tempore interdicti, extenditur

ad suos familiares, sine quibus non potest uti eo privilegio; cum non possit decenter adire Ecclesiam sine illis. Ita Felinus *in dictum cap. Nullus. de Foro compet. n. 2. versu. Tene istam Conclusionem.* & Fagnanus *n. 22. in fine.* cum aliis, quos refert.

77 Dico nonò: Rustici, seu Coloni Ecclesiæ gaudent Fori privilegio, quoties Ecclesia habet ex privilegio Jurisdictionem in eos, vel quoties conveniuntur super re, quam tenent ab Ecclesia: in reliquis autem non gaudent. Ita Pirhing *loc. cit. ver. Quarto extendunt.* Glossa *in Can. Indicatum dist. 86.* Abbas *in cap. Nullus. n. 6. de Foro compet.* Fagnanus *ibidem. num. 46.* Joannes Andreas *num. 6. in dictum cap. Nullus.* & Alii.

78 Dico decimò: Concubinæ Clericorum de Fornicatione commissa cum Clerico, non possunt judicari, nisi a Judice Ecclesiastico. Atque ita intelligitur *Can. Eos. dist. 32.* Ratio est, quia non potest institui processus contra ipsam, quin tangatur persona Clerici; cum causa concubinatus sit individua inter ipsam, & Clericum: ergo cum Clericus sit exemptus a potestate laicali, etiam concubina est exempta. Atque ita sustinent cum pluribus Doctoribus, & ex variis Juribus Fagnanus *a n. 29. usq; ad 32.* & Pirhing *num. 96.* In criminibus autem cum Laicis commissis non gaudent Foro, Clericorum Concubinæ; quia jam cessat ratio supradicta, & quia non debent ex suo delicto, nempe ex Concubinatu cum Clerico, commodum reportare. Similiter in causis civilibus, neque gaudent Foro.

§. SEXTUS.

DE CLERICIS, QUI NON GAUDENT Foro Ecclesiastico.

79 Dico primò: Itali, qui ordines suscipiunt minores ab alieno Episcopo sine veris Dimisso-

foriis, etiam si habeant requisita a Tridentino, non gaudent Fori privilegio ex Constitutione Urbani VIII. quæ incipit *Secretis. Die* 11. *Decembris* 1624. quam adducit Barbosa *cap.* 39. *lib.* 1. *Juris Ecclesiastici.* §. 2. *n.* 66. Clerici autem ordinati per Simoniam, aut ante legitimam ætatem, aut ab Episcopo excommunicato, suspenso, aut interdicto non amittunt Fori privilegium: quia licèt sint suspensi ab exercitio Ordinum, tamen verè Ordines receperunt; ergo gaudent Foro. Ita de Grassis *effectu* 1. *num.* 640. *& num.* 665. *& sequentibus.* Barbosa cit. *n.* 67. Similiter non Itali ordinati in minoribus ab alieno Episcopo sine veris Dimissoriis gaudere debent, pro ut de taliter ordinatis docuerunt ante Constitutionem Urbani VIII. Martha, Navarrus, Riccius, & alii relati ab eodem Barbosa *dicto num.* 66.

80 Dico secundò: Clericus bigamus non gaudet Foro. *cap.* 1. *de Bigamis in* 6. & colligitur ex superiùs dictis §. 4. *quæst.* 6.

81 Dico tertiò: Clericus in Sacris, aut in minoribus Beneficiatus, si Habitum, & Tonsuram non deferat, & ter monitus ab Episcopo, non assumit Habitum, aut si post monitionem generalem factam in Synodo sub pœna privationis privilegii Clericalis (hæc enim monitio habet vim Legis, ad quam non requiritur alia trina monitio; cum Lex semper censeatur monere) neque assumit Habitum, privatur Foro. *cap. In audientia*, & *cap. Contingit. Il secondo de Sent. Excomm.* Clarus *in Praxi criminali* §. *finali. quæst.* 36. *n.* 19. Farinaceus *in Praxi lib.* 1. *tit.* 1. *quæst.* 8. *n.* 60. Pirhing *lib.* 2. *tit.* 2. *sect.* 3. §. 4. *n.* 98. Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 7. *n.* 2. Fagnanus *in cap. Contingit. il secondo de Sent. Excomm. a n.* 1. *usque in finem.*

82 Notandum, quod si Clericus non solùm in Sacris, aut in minoribus Beneficiatus, sed etiam in minoribus

non

non Beneficiatus, sive sit conjugatus, sive non, si tempore delicti commissi Habitum, & Tonsuram non gestaverit, & antequam a Judice sæculari propter illud delictum capiatur, & condemnetur, Habitum sine fraude reassumpserit, gaudet Fori privilegio; posito tamen quod Clericus in minoribus non Beneficiatus, aut conjugatus Ecclesiæ servierit post reassumptum Habitum, & habeat requisita, quæ dicta sunt supra §. 4. *quæst.* 5. *&* 6. Ratio est; quia sicut per dimissionem Habitus Clericalis amittitur privilegium; ita per reassumptionem Habitus sine fraude, recuperatur. Ita Clarus *in Praxi criminali.* §. *finali. n.* 16. Farinaceus *in Praxi lib.* 1. *tit.* 1. *quæst.* 8. *n.* 66. Pirhing *lib.* 2. *tit.* 2. *sect.* 3. §. 4. *n.* 98. *in fine.* quod ipsum verificatur de eo Clerico, qui ante delictum Habitum non gestaverit, & tempore delicti Habitum assumpserit. Covarruvias *Practicarum quæstionum cap.* 31. *n.* 8. Clarus cit. *num.* 15. & Farinaceus *loc. cit. n.* 66. Dicam inferiùs, quando non præsumitur fraus in reassumendo Habitu, cum de eo, qui Clericus, aut Monachus fit post commissum delictum, erit sermo. *num.* 102. Addit Fagnanus *in cap. Magnus. de Obligatis ad ratiocinia &c. num.* 29. quod sæpe approbata fuit a Sacra Congregatione Tridentini prædicta nostra assertio. Et Pignatelli *to.* 1. *Consult.* 45. *n.* 4. affert Decisiones pro eadem.

83 Dico quartò: Clericus etiam in Sacris si sit incorrigibilis, amittit Fori privilegium. *cap. Cum non ab homine. de Judiciis.* Est autem incorrigibilis ille, qui parvi pendit legales pœnas, & mandata Judicis sui, ita ut illis reclamantibus, velit delinquere, & in delicto permanere. Declarus *In tract. criminali par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *n.* 130. de Grassis *effectu.* 1. *n.* 198. Barbosa cit. *n.* 82. *in fine.* Ille igitur, qui a Judice Ecclesiastico propter delictum deponitur, & post depositionem, adhuc durat in delictis, & ideo excommunicatur, & post excommuni-

ca-

cationem adhuc est contumax, dicitur incorrigibilis, & est ipso Jure dimissus a Foro Ecclesiastico, ut docet Scaccia *de Judiciis: cap.* 11. *n.* 54. & ratio est, quia Ecclesia non habet ultra quid facere, & ideo debet puniri a Judice laico. Joannes Andreas, Cardinalis, Imola, & alii communiter *in dictum cap. Cum non ab homine. de Judiciis.*

84 Notandum tamen, quod ut Clericus amittat ratione inccorrigibilitatis privilegium Fori, debet intercedere Sententia Judicis Ecclesiastici, perquam declaretur incorrigibilis, & actu tradatur puniendus a Judice laico: quod probant Doctores ex ipso *cap. Cum non ab homine. de Judiciis*: ubi dicitur *Per sæcularem comprimendus est potestatem.* idest quod Judex Ecclesiasticus, quando non valet corrigere, possit, ac debeat facere per Judicem sæcularem: non autem, quod potestas sæcularis statim id facere possit. Similiter *in cap. Ut famæ. de Sent. Excomm.* dicitur, quod Laici capere possint Clericos incorrigibiles mandato Prælatorum: ergo non ipso Jure capere potest Judex sæcularis, sed postquam Prælatus declaravit, Clericum esse incorrigibilem, & mandavit ipsi ut eum caperet, & puniret. Atque ita docent Felinus *in citatum cap. Cum non ab homine. n.* 9. *&* 10. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 3. *cap.* 5. *n.* 3. Pirhing §. 4. *n.* 99. Scaccia *de Judiciis. dicto cap.* 11. *n.* 69. *&* 70. *ver. Sed tu*: ait, communem, & veram opinionem esse, quod Judex laicus non possit priùs exercere suam Jurisdictionem in Clericum, nisi ipsi tradatur ille a Judice Ecclesiastico; etiam si Clericus sit Assassinus, aut Hæreticus. Idem ait Barbosa *a n.* 80. *usque ad* 85. cum pluribus, quos citat.

85 Neque obstat huic Doctrinæ textus *in cap. Perpendimus. de Sent. Excomm.* quia ibi non est sermo de privilegio Fori, sed Canonis: qui faciliùs amittitur, cum sit inferioris conditionis, & ita explicant hunc textum communiter Canonistæ.

86 Di-

Digitized by Google

86 Dico quintò: Clerici, qui per annum integrum artem ignominiosam exercent Joculatoris, aut Histrionis, sive sint in minoribus, sive in Sacris, ipso Jure sine ulla alia monitione privilegium Fori amittunt. Si verò breviori tempore, quàm per annum exerceant, non amittunt, nisi fuerint ter moniti ab Episcopo, & non resipuerint. *cap. 1. de Vita, & Honestate Clericorum in 6.* Fagnanus *in cap. Contingit. il secondo de Sent. Excomm. n.* 15. cum Archidiacono, Joanne Andrea, Geminiano, & aliis communiter. Barbosa cum aliis multis *n.* 77.

87 Dico sextò: Clericus conjugatus per se ipsum exercens publicè artem vilem Tabernarii, & Macellarii, qui ter monitus ab Episcopo non desistit, privatur privilegio Fori; & omni alio privilegio clericali, tum quo ad res suas, tum quo ad personam. Si autem fuerit Clericus non conjugatus, & incedat in Habitu, & Tonsura, privatur privilegio in rebus suis; si verò incedat sine Habitu, privatur etiam quo ad personam privilegio Fori. *Clemẽt. 1. de Vita, & Honest. Cler.* Barbosa cũ pluribus aliis *n.* 78. Item qui negotiationibus sæcularibus se immiscet, amittit privilegium Fori. *Cap. ultimo de Vita, & Honest. Cleric.* amittit, inquam sine monitione præcedente quo ad res suas, quas defert occasione negotiationis; quo ad verò personam suam non amittit, nisi post trinam monitionem ab Episcopo. Ita multi Doctores, quos sequitur, & refert Diana *par. 1. tract. 2. resolut. 46.*

88 Dico septimò: Clericus in minoribus, qui arma suscipit factus Miles in bello, amittit privilegium Fori sine ulla monitione præcedente. Fagnanus *in cap. Contingit. il secondo de Sent. Excomm. n.* 16. & ratio est; quia non compatiuntur simul in una persona Militia cælestis, & sæcularis. Clericus autem in Sacris non amittit, sed cogendus est Militiam deserere, agere pœnitentiam, & ad Ecclesiastica munera revertere. Barbosa *n.* 79. & alii apud ipsum.

89 Di-

Digitized by Google

89 Dico octavò: Clericus in Sacris, qui dimisso Habitu, enormitatibus se immiscet, amittit Fori privilegium. Colligitur *ex cap.* 1. *de Apostatis.* & *cap. Perpendimus. de Sent. Excomm.* & *cap. Ex parte. il terzo de Privilegiis.* Nomine autem enormitatum veniunt prælia, seditiones, assassinia, & quodlibet delictum sævum, & enorme, ex quo oritur infamia. Riccius *in Praxi variarum. resol.* 172. *n.* 3.

Dixi, in Sacris, quia si est in minoribus non Beneficiatus per ipsam dimissionem Habitus, jam amittit ex Tridentino sine ulla alia monitione privilegium Fori, ut supradictum est. Atque hinc Clerici in minoribus difficiliùs perdunt privilegium Canonis, quàm Fori; quia illud non amittunt per dimissionem Habitus; nisi fuerint ter moniti ab Episcopo. At privilegium Fori amittunt per solam dimissionem Habitus, quia ad gaudendum, simul requiruntur, & gestatio Habitus, & Tonsuræ, & Servitium Ecclesiæ, vel studium &c. ut dictum fuit suo loco. Clerici verò in Sacris faciliùs amittunt privilegium Canonis, quam Fori; quia Fori privilegium non amittunt, nisi in casibus jam dictis post Judicis Ecclesiastici trinam monitionem, & declarationem criminis, ut mox dicemus. At privilegium Canonis amittunt per dimissionem Habitus, & commissionem enormitatis ipso facto sine monitione, ut dixmus supra §. 2. *quæst.* 2. *n.* 17. unde est quod Clericum in Sacris percutiens, qui dimisso Habitu, enormitatibus se immiscuit, non est excommunicatus. Fagnanus *in cap. Perpendimus. de Sent. Excomm. n.* 3. & *a n.* 12. *usque in finem.* Sunt hic plura discutienda: ideo sit.

Digitized by Google

QUÆSTIO PRIMA.

AN CLERICUS IN SACRIS, VEL MONACHUS Professus, qui dimisso Habitu enormitatibus se immiscuit, possit puniri a Judice laico sine prævia trina Monitione de reassumendo Habitu, & sine degradatione facta ab Episcopo?

190 SUppono primò, quod Clericus degradari potest, & dimitti a Foro Ecclesiastico, vel a Jure, vel a Judice. A Jure dimittitur, aut propter incorrigibilitatem, aut propter enormitatem sceleris v. g. propter assassinium. *cap. 1. de Homicidio in 6.* a Judice dimittitur; vel per verbalem degradationem, scilicet per sententiam Episcopi, subsequente tamen traditione Clerici Judici sæculari, vel per actualem degradationem, scilicet spoliationem vestium sacrarum juxta formã præscriptam in Sacris Canonibus, nimirum *Can. Felicem cum tribus sequentibus 15. quæst. 7.* & *cap. Degradatio de Pœnis in 6.* & *cap. Non potest. junctâ Glosâ. verbo Sacerdotum. de Sent. & Re judicata*; & novissimè ex Tridentino *sess. 13. de Reform. cap. 4.*

191 Suppono secundò a Judice Ecclesiastico posse degradari Clericum ex jisdem duabus causis, ex quibus elicitur per ipsum Jus a Foro Ecclesiastico, nimirum propter incorrigibilitatem, aut propter enormitates. Verum tamen est id, quod advertit Scaccia *de Judiciis cap. 11. n. 60. & 61.* quod ex vi Juris, si non habetur incorrigibilitas, nullum est delictum, propter quod Clericus in Sacris debeat degradari. Id ipsum docet, & probat Diana *par. 7. tract. 1. Resolut. 11. n. 5.* Nam tam in crimine hæresis, quàm falsi commissi in literis Apostolicis, aut

conspirationis in proprium Episcopum; qui sunt tres casus potissimi, propter quos Clericus debet degradari, potest, si non adest incorrigibilitas, detrudi in carcerem perpetuum, & non tradi curiæ sæculari. Et in crimine hæresis, certi Juris est, quod si non habetur relapsus, & & pertinacia, non traditur Judici sæculari puniendus Clericus. Ducitur argumentum Doctrinæ supradictæ *ex cap. Cum non ab homine. de Judiciis.*

92 Suppono tertiò, quod attenta consuetudine solet Clericus degradari, vel propter incorrigibilitatem, vel propter enormitatem delicti. Verùm aliqui Doctores cum Scaccia *citato n.* 62. quia incorrigibilem vocant, non solùm eum, qui committit aliquod delictum dignum depositione, & postquam est depositus, adhuc est incorrigibilis, juxta dictum *cap. Cum non ab homine. de Judiciis*; sed etiam vocant incorrigibilem illum, qui enorme delictum committit, juxta *cap. Perpendimus. de Sent. Excomm.* Ideò semper verificatur, quod quando quis degradatur est incorrigibilis, sumunt enim incorrigibilem pro eo, qui non dat spem emendationis.

93 Suppono quartò, quod si delictum commissum est enorme, & sævum v. g. assassinium, aut aliud ex expressis in Jure, de quibus infra *n.* 99. sufficit unum delictum, ad hoc ut Clericus possit degradari. Si verò non est ita sævum, requiruntur plura delicta, ad hoc ut dicatur se enormitatibus immiscuisse. Ita communiter Doctores apud Scacciam *n.* 63. 64. *& deinceps.*

94 Suppono tandem, quod Monachus professus, quanvis non sit in Sacris, æquivalet Clerico in Sacris quo ad Forum, quia est addictus servitio Ecclesiæ, & Religionis, nec amplius ad sæcularem statum redire potest. Ita plures apud Dianam *par.* 1. *tract.* 2. *resolut.* 129. His suppositis.

95 Dicendum primò: Clericus in Sacris, & Mona-

Digitized by Google

chus professus non amittunt privilegium Fori, si dimisso Habitu, enormitatibus se immiscuerint, nisi priùs ter moniti fuerint de reassumendo Habitu. Ita multi, quos refert Marcus Antonius Cuccus *lib.* 3. *tit.* 9. *n.* 80. *&* 81. Zipæus *lib.* 2. *tit. de Foro compet. n.* 36. Cevaglios, Imola, Salzedo, & alii plures, quos refert, & sequitur Diana *par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 23. *& resol.* 129. & *par.* 7. *tract.* 1. *resol.* 11. *n.* 8.

96 Dicendum secundò: ad hoc, ut Judex sæcularis possit punire Clericum in Sacris, aut Monachum professum, qui etiam dimisso Habitu, enormitatibus se immiscuerunt, etiamsi assassinium, aut aliud quodcunque sævum scelus commiserint, requiritur saltem declaratoria Sententia Judicis Ecclesiastici super facto. Ratio est, quia Clericus habet pro se assistentiam Juris pro omnimoda exemptione a sæculari potestate. *cap. Si Diligenti. de Foro compet.* & *Can. Continua. Can. Si quisquam. Canon. Clericum &c.* 11. *quæst.* 1. Judex autem laicus ad limitationem exemptionis, quam dat Jus, fundat suam intentionem super enormitate commissa, a qua tribuitur ipsi Jurisdictio in Clericum: ergo in primis, & ante omnia constare debet de qualitate enormitatis. Constare autem non potest, nisi per declaratoriam Judicis competentis. *cap. Cum secundum de Hæreticis in 6.* ubi dicitur, quod Princeps temporalis non possit confiscare bona hæreticorum, nisi priùs a Judice Ecclesiastico fuerit Sententia super eodem crimine promulgata. Igitur, & si non requiratur alia Sententia ad hoc, ut Clericus assassinus, aut aliud enorme scelus ex expressis in Jure commitens cadat de Foro Ecclesiastico, requiritur tamen Sententia declaratoria, quod talis Clericus commiserit assassinium, aut aliud enorme scelus. Atque ita docet Fagnanus *in cap. Continet. Il secondo de Sent. Excomm. a n.* 21. *usque in finem*, & alii, quos ipse adducit; Barbosa *lib.* 1. *Juris*

Eccleſ. cap. 39. §. 2. *n.* 85. afferens conſtitutionem Clementis VIII. Diana *par.* 1. *tract.* 2. *reſolut.* 51. ubi alios Doctores referens ſuſtinet, quod etiamſi ſit notorium aſſaſſinium, aut aliud crimin enorme, adhuc priùs debet Judex Eccleſiaſticus ferre Sententiam declaratoriam criminis, & tradere Clericum Curiæ ſæculari, ut hæc poſſit procedere. Item *par.* 7. *tract.* 1. *reſolut.* 11. *n.* 4. *Ver. Sed magis.* & item *n.* 9. Idem ait Scaccia *de Judiciis. cap.* 11. *n.* 70.

97 Dicendum tertiò, quod, quanvis poſita declaratione a Judice Eccleſiaſtico ſuper Enormitate, propter quam Clericus etiam in Sacris, cadit ipſo Jure a Foro Eccleſiaſtico, non ſit neceſſaria degradatio actualis, ut bene probat Scaccia *n.* 81. cum aliis Doctoribus: cum jam ſufficiat declaratoria Sententia cum traditione Clerici in manus Curiæ ſæcularis; tamen tutiùs eſt dicere, quod antequam Judex ſæcularis manus imponat ſuper Clerico, non ſolùm in Sacris, de quo plures Doctores videntur aſſerere, quod non poſſit a ſæculari Judice puniri ſine prævia actuali degradatione: ſed etiam Clericus in minoribus non debeat puniri a ſæculari, quin præcedat actualis degradatio, & hoc ad quandam veneration-em Ordinis Clericalis, & ne Populus ſcandalizetur. Ita idem Scaccia *num.* 81. *ver. Verùm. Modernus in Quæſtionibus criminalibus lib.* 1. *quæſt.* 8. *n.* 109. Angelus de Caſtro *inter Conſilia criminalia diverſorum. conſilio* 37. *per totum. to.* 2. quod ſi Clericus ſit in minoribus, & non Beneficiatus, & inceſſerit ſine Habitu, & Tonſura, non habet locum ſupradicta Doctrina; jam enim talis eſt de Foro ſæculari, ut pote qui Clericatui per facta renũciaverit.

98 Pro complemento doctrinæ notandum eſt, quod præter caſus in Jure expreſſos non poteſt Epiſcopus degradare Clericum, & eum tradere Curiæ ſæculari; ut bene probat Fagnanus *in cap. Cum non ab homine. de Judiciis a n.* 65.

Digitized by Google

a n. 65. juxta quam doctrinam ob quodlibet delictum gravissimum Clericus deponi debet ab Ordine, & officio, & in carcerem perpetuum detrudi, & non tradi Curiæ sæculari.

99 Casus autem in Jure expressi sunt sequentes: Primus est hæresis. *cap. Excommunicamus. il primo.* §. *Damnati.* & *cap. Ad abolendam.* §. *Si Clericus. de Hæreticis*, & *cap. Super. eodem tit. in 6.* Secundus est crimen falsificationis literarum Apostolicarum. *cap. Ad falsariorum. de crimine falsi.* Tertius est conspiratio, aut insidiæ contra proprium Episcopum. *cap. Si quis Sacerdotem.* 11. *q.* 1. Quartus est Assassinium. *cap. Pro humani. de Homicidio in 6.* Est autem assassinus ille, ut notat Mascardus *de Probationibus tom.* 1. *conclusione* 137. & 138. qui conducto pretio occidit hominem incautum, aut qui hominem facit occidere per homicidas pecuniâ conductos, etiamsi hi sint Christiani: ut ex consuetudine, & communi sensu hodie intelligitur. Quanvis propiè assassini sint Infideles, qui sub Rege Tyranno illius mandato occidebant incautos. Quintus est incorrigibilitas; quando scilicet Ecclesia non habet ultra quid faciat; ut supradictum est. Sextus est Exercitium nefandi criminis, ex Constitut. 72. Pii V. Incipiente: *Horrendum illud scelus. in Bullario novo tom.* 2. *pag.* 268. & 69. Septimus, & octavus est crimen eorum Clericorum, qui non ordinati Sacerdotes, Missas celebrant, & eorum, qui confessiones Sacramentales audiunt. Ex Bulla Clementis VIII. quæ incipit: *Et si alias. in Bullario novo. tom.* 3. *pag.* 128. quam Bullam ampliavit Urbanus VIII. etiam ad omnes minores vigintiquinque annis, dummodo vigesimum annum compleverint. *Die* 23. *Martii* 1628. *Pontificatus sui anno quinto.* in Bulla, quæ incipit *Apostolatus officium.* Ultimus est adulteratio, aut fabricatio monetæ aureæ, vel argenteæ in Regnis, Provinciis, & Civitatibus Italiæ, ex Constitut. ejusdem Urbani VIII. incipien-

Digitized by Google

piente: *In suprema. Idibus Novembris* 1627. Cum igitur hi casus soli exprimantur, firmatur regula in contrarium, quod non debeat degradari, nec tradi Curiæ sæculari puniendus Clericus propter alia scelera, sed debeat privari officio, & detrudi in carcerem perpetuum; ut supra dictum est. Videatur Fagnanus *in lib.* 2. *Decretal. cap. Cum non ab homine. de Judiciis. a n.* 65. *usque in finem.*

100 Est hìc notandum primò, quod quanvis crimen læsæ Majestatis nõ sit expressum in Jure: tamen nõ desunt aliqui docentes, quod Clericus possit tale crimen verè, & propriè committere; & ideo, si quid machinetur contra salutem Regis, aut Principis Laici proprii, sit degradãdus, & a Judice sæculari puniendus: non minùs ac si contra salutem proprii Episcopi machinatus fuerit. Verùm quid in hac materia sit sacris Canonibus conformius videri possit apud Dianam, & reliquos Authores, quos ipse sequitur, & citat *par.* 1. *tract.* 2. *de Immunitate Ecclesiastica. resol.* 129. & *part.* 3. *tract.* 1. *resol.* 16. & *resol.* 30. & *par.* 7. *tract.* 1. *resol.* 10. & apud Barbosam *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 39. §. 2. *n.* 96. & *in Collectanea in Can. Si quis Laicus* 22. *quæst.* 5. & apud Pignatelli *tom.* 1. *consult.* 124. per totam, & apud Authores ab ipsis citatos.

101 Est notandum secundò, quod Tridentinum *sess.* 13. *de Reform. cap.* 4. in degradatione verbali Clerici in sacris concessit, quod loco Episcoporum, qui vocari debebant juxta *Can. Siquis tumidus. Can. Felix Episcopus. Can. Si autem* 15. *q.* 7. & *cap. Degradatio. de Pœnis in* 6. nimirum tres, præter proprium, Episcopos, si reus esset Diaconus, vel Subdiaconus, & sex, si reus esset Sacerdos; concessit, inquam, quod possint vocari totidem Abbates mitrati; vel, si hi haberi non possint, totidem personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, graves, & in Juris scientia commendabiles; qui omnes debent causam cognoscere, & finire; adeoque debent esse Judices, non Consultores.

Digitized by Google

res. Et ratio est; quia Episcopi requirebantur ex citatis Canonibus & ex sententia communi Scriptorum, tanquã Judices: imò ex duobus sequentibus ejusdem causæ, & quæstionis, nimirum *Can. Episcopus nullius.* & *Can. Episcopus Sacerdotibus*; habetur, quod irrita est sententia Episcopi, si solus condemnet Sacerdotem, ut Curiæ sæculari tradendum; sed Tridentinum non mutavit modum assistendi, sed qualitatem, seu dignitatem Personarum, substituendo Episcopis Abbates, & in horum defectu Personas in dignitate constitutas peritas in Jure: ergo debent hi præstare id, quod præstabant Episcopi; adeoque esse Conjudices; atque ita docent Suarez *tom. 5. de Censuris disp. 30. sect. 1. n. 20.* Van Espen *par. 3. tit. 11. cap. 1. n. 55. ver. Cum Synodus*: ubi sic: *Cum Synodus requirat, ut Personæ in Dignitate constitutæ ab Episcopo assumendæ sint Juris scientiâ commendabiles; videtur Synodus indicare hanc Prælatorum assistentiam non tantùm ad solemnitatem, & meram cæremoniam requiri, sed ut unà cum Episcopo in discussione causæ assistant; quemadmodum citati Canones exigebant Episcoporum Conventum, ut ab omnibus causa accusatorum discuteretur, & judicaretur.* Facta igitur degradatione verbali, modo prædicto, devenitur ab Episcopo proprio ad actualem, quæ fit modo præscripto in citato *cap. Degradatio. §. Clericus igitur. de Pœnis in 6.*

QUÆSTIO SECUNDA.

AN QUI POST DELICTUM COMMISSUM in statu laicali, fit Clericus, vel Monachus possit puniri a Judice Laico?

102 REspondeo: quod plures sunt Doctores, qui indistinctè affirmant, non posse puniri a Judice laico, ducti ab ea ratione: quod Privilegium superveniens liberat ab onere, quod incumbebat: & ex eo vulga-

vulgari dicto: *ubi te invenero, ibi te judicabo.* Ita Decianus *tract. criminali to.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *n.* 6. Marcus Antonius Genuensis *in practica Archiepiscopatus Neapolitani cap.* 9. *n.* 5. de Grassis *effectu* 1. *n.* 1074. Diana *par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 26. & alii citati a Barbosa *n.* 87. & ab ipso Diana, & a Fagnano *in cap. Magnus. de Obligatis ad ratiocinia. lib.* 1. *Decretal. n.* 43. Alii è contra docuerunt posse a Judice laico puniri, quos Authores citat Fagnanus *ibidem num.* 42.

103 Dicendum cum eodem Fagnano *a n.* 64. *usque in finem.* Barbosa *a n.* 87. *usque ad* 90. Roderico *tom.* 2. *Quæst. Canonicarum, & Regularium. quæst.* 2. *art.* 3. *ver. Tertiò est notandum.* Pirhing *lib.* 2. *tit.* 2. *sect.* 3. §. 4. *a n.* 101. *usque ad* 105. & aliis multis relatis ab ipsis, quod ille, qui sine ulla fraude factus est Clericus post cōmissum delictum, gaudet Foro, nec potest a judice laico puniri in persona, nec in bonis suis propter illud delictum in statu laicali patratum. Ille verò, qui fraudulenter, & dolosè est ordinatus, aut factus Religiosus post delictum commissum, ut scilicet liberetur a Foro sæculari, non gaudet Foro Ecclesiastico quo ad bona sua, quanvis gaudeat quo ad personam juxta dicenda in tertio notando.

Ratio prioris est, quia secluſa fraude privilegium superveniens eximit hominem, & liberat ab obligatione antea contracta. *Can. Frater noster. & ibi Glossa verbo Aliquid.* 16. *quæst.* 1. *cap. Cum Cappella. de Privilegiis. Can. Ex Antiquis. Can. Fraternitatem. & Can. Si servus. dist.* 54. *L. penultima.* §. *Si post. & L. Spadonem.* §. *Scire. ff. de Excusationibus Tutorum. L. Is cui. ff. de Alimentis, & Cibariis legatis.* Videantur reliqua Jura apud Fagnanum *in dictum cap. Magnus. n.* 26. *&* 27. *de Oblig. ad Ratioc.*

Ratio autem posterioris est, quia fraus, & dolus nemini patrocinatur, ne ille ex sua malitia commodum reportet. *cap. Intelleximus. in fine. de Judiciis. cap. Ex literis.*

Digitized by Google

prope finem. de Dolo, & Contumacia. quod autem non debeat Ordinatus, etiam fraudulenter, puniri in persona à Judice Laico, sed solùm in bonis, nimirum confiscatione bonorum suorum, probatur, quia jàm verè est persona sacra illa, & non est conveniens, ut corporaliter puniatur a Laico, posito, quod sit persona addicta divino cultui.

104 Dicitur autem quis per fraudem transire ad statum clericalem, aut religiosum, quando postquam est de delicto apud Judicem laicum delatus, aut accusatus, vel deprehensus, aut, quod est plus, condemnatus, facit, ut ordinetur, aut recipiatur in Monachum. Ita Pirhing *n.* 202. Fagnanus *in dictum cap. Magnus. n.* 38. *ver. Sed his non obstantibus.* Argumentum *ex l. finali. ff. de Bonis eorum, qui ante Sententiam mortem sibi consciverunt.* ubi dicitur, quod præsumitur ille, qui mortem sibi conscivit, id fecisse propter delictum a se commissum, nisi fuerit accusatus, aut in crimine deprehensus. Idem argumentum *ex l. ultima. ff. de Re militari.* Ubi miles factus post delictum commissum non repellitur a Foro militiæ, nisi priùs fuerit accusatus de illo delicto. Id ipsum docet Scaccia *de Judiciis cap.* 12. *n.* 4. cum aliis.

105 Notandum primò: quod priùs debet fieri declaratio fraudis a Judice Ecclesiastico, quàm procedi contra talem Clericum in fraudem ordinatum, a Judice Laico. Fagnanus citatus *n.* 74. & Pirhing *n.* 102. *ver. Porro.*

106 Notandum secundò: quod si quis ante delictum fecerit votum de clericatu, aut religione, & post delictum fiat Clericus, aut Monachus, est in dubio, an sit factus per fraudem; an verò ut impleret votum; ideoque debet probare se ordinatum esse ad implendum votum suum emissum ante delictum.

107 Notandum tertiò: quod quis dum est in statu laicali, potest esse præventus a Judice Laico, vel per citationem verbalem, aut per contestationem litis coram se

(est

Digitized by Google

(eſt conteſtatio litis fundamentum Judicii per petitionem Actoris in Jure propoſitam, & congruam Rei reſponſionem ſecutam animo litigandi factam) Maranta *de Ordine Judicii par. 6. membro* 10. *n.* 3. Et tunc ſi ille, qui ſic fuit præventus, fiat Clericus, poteſt Judex ſæcularis in cauſa illa procedere, & ferre ſententiam, & exequi in bonis Clerici, non tamen ipſum Clericum jam factum, perſonaliter conſtringere, aut punire; quia eſt Judex cauſæ, non autem perſonæ. Vel poteſt quis eſſe præventus a Judice ſæculari etiam quo ad perſonam, quia ſcilicet fuit captus, & in carcere detentus; & tunc ſi ille contra datam fidem erupit, & ſtatum clericalem, aut religioſum ſuſcepit, poteſt Judex ſecularis etiam contra perſonam agere, & punire; niſi talis fuerit in ſacris ordinatus; quia in tali caſu requiritur, quod a Judice Eccleſiaſtico degradetur, & tradatur Curiæ ſeculari, quoties crimen mereatur pœnam mortis, aut mutilationis. Idem Pirhing *n.* 103. Fagnanus *n.* 85. 86. & 87. & alii multi apud ipſum. Et ratio eſt, quia cum jam ſit præventa perſona, ſicut Clericatus cum fraude ſuſceptus non eximit bona illius Clerici a poteſtate laicali, quando cauſa eſt præventa, ita nec perſonam, quando perſona eſt præventa. Utroque enim caſu declaratum eſt ab Eccleſia, quod Jus divinum, ſive Eccleſiaſticum dans Clericis exemptionem a poteſtate laicali, non pertinet ad talem ſpeciem Clerici, qui poſtquam eſt captus a Judice laico propter delictum in ſtatu laicali commiſſum, fit Clericus.

108 Notandum quartò: quod licèt quis in ſtatu laicali deliquit, ſi deinde ſine fraude fit Clericus, aut Religioſus non poſſit puniri a Judice laico; tamen hoc non valet vice verſa; nimirum quod ſi quis ordinatus in minoribus, aut novitius deliquit in ſtatu clericali, & deinde redit ad ſtatum laicalem, ducendo uxorem, relicto habitu, debeat judicari a Judice laico; nam judicandus eſt

Digitized by Google

ab Ecclesiastico, ut docent Grammaticus *decis.* 10. Clarus *quæst. 36. n. 9.* de Franchis *decis.* 417. Riccius *par. 2. decis.* 113. Diana *par. 1. tract. 2. resol. 32. & 118.* Barbosa citatus *n.* 98. & alii apud ipsos. Ratio diversitatis est, quia non est indecens, ut qui fuit Clericus, & in eo statu deliquit, judicetur nunc factus Laicus a Judice Ecclesiastico, nec talis habet privilegium, ne judicetur ab Ecclesiastico. At verò qui Clericus fit post delictum commissum dum erat Laicus, acquirit privilegium ne judicetur a Laico, & mutat statum personæ, secundùm quem est incapax judicari a Judice laico. Ita Pirhing *n.* 104. Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 4. n.* 14.

109 Notandum denique quintò: quod extat Bulla Sixti V. quæ incipit. *Cum de omnibus. 6. Kal. Decembris* 1580. *Pontificatus sui anno tertio*; in qua declaratur irrita receptio, & professio eorum, qui in Religionem ingrediuntur post commissum delictum in sæculo, ideoque posse tales judicari etiam a Judice laico, & in Bulla ejusdem Pontificis, quæ incipit. *Ad Romanum spectat. 12. Kal. Novembris* 1588. declaratur, quod id intelligitur de illis criminosis, qui ante susceptionem habitus fuerant apud Judices sæculares accusati. Quod idem est, ac quod Pontifex loquatur de iis, qui in fraudem fiunt Religiosi. Videatur Rodericus *tom. 2. quæstionum Canonicarum, & Regularium quæst. 2. art. 3. ver. Quintò est adveriendum.*

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO TERTIA.

AN QUI DAMNATUS FUIT A IUDICE SÆCULARI propter delictum, ad exilium per quinquennium. e.g. cum hoc quod si exilium non servet, mitti debeat ad Triremes, & ipse tempore exilii ordinatus est Clericus, & beneficium obtinuit, & exilium fregit, subjaceat pœnæ Triremium?

110 REspondeo: quod licèt pœna sit data pro delicto commisso ante Clericatum, & persona Clerici ut non solùm præventa a Judice laico, verùm etiam damnata; tamen inspiciendum est non tempus delicti, propter quod fuit judicatus, & damnatus in exilium, sed tempus transgressionis ipsius exilii, propter quam damnari debet ad triremes. Pœna enim triremium datur ob delictum trasgressionis exilii, non propter antiquum delictum. Cum igitur antequam committatur hæc transgressio, ille jam est Clericus, & ideo clericatus est assumptus ante delictum commissum: & quia nemo dubitat, quod clericatus ante delictum assumptus eximit a Judicis sæcularis potestate, ideo remittendus est ad Judicem Ecclesiasticum.

111 Ratio ulterior est, quia, ut iste mittatur ad triremes, debet fieri cognitio de exilio fracto, in quo non solùm habetur novum factum, nimirum ipsa fractio exilii, sed habetur etiam nova conditio personæ, nimirum Clericatus: & ideo hæc causa a Judice Ecclesiastico fieri debet, qui tamen potest stare sententiæ datæ a Judice sæculari, & cogere Clericum ad exilium servandum, vel potest aliter deliberare: Atque ita sustinent Fagnanus *a n. 89. in lib. 1. Decretal. cap. Magnus. de Obligatis ad ratiocinia* & *n.*

Digitized by Google

& n. 91. *in fine* refert decisionem Sacræ Congregationis Tridentini. Barbosa *n.* 99. Riccius *par.* 3. *decis.* 302. & alii multi apud ipsos.

QUÆSTIO QUARTA.

QUIBUS IN CASIBUS CAPI POSSIT A JUDICE SÆCULARI CLERICUS DELINQUENS?

112 SIcut judicari non potest Clericus a Judice sæculari; ita neque capi. Sunt tamen aliqui casus, in quibus permissum est Laico capere Clericum delinquentem, & in carcerem conjicere, remittendum tamen Judici Ecclesiastico, quos casus refert Farinaceus *in Praxi criminali. lib.* 1. *tit.* 1. *quæst.* 8. *n.* 115. *& sequentibus*

113 Primus est: si Clericus sit deprehensus in delicto, & suspectus sit de fuga. Abbas *in cap. Cum non ab homine n.* 12. *de Judiciis.* Clarus §. *finali quæst.* 28. *n.* 6. Farinaceus supracitatus *n.* 116. Pirhing *dicto lib.* 2. *tit.* 2. *n.* 105. & alii. Delictum autem debet esse pernicioſum Reipublicæ, ut est furtum, rapina, homicidium &c. vel si Clericus gravi injuria Laicum afficiat &c. quod idem extendunt ad Clericum debitorem in magna summa, qui nisi tunc caperetur a Laico, aufugeret, & creditor amitteret suam rem.

114 Secundus casus est: quando Clericus est suspectus de delicto committendo, ut si noctu incedat armatus, & ideo det suspicionem de patrando homicidio. Idem Farinaceus *n.* 120.

115 Tertius casus est: quando Clericus capitur a Ministris laicis, & per Judicem sæcularem ex mandato Judicis Ecclesiastici, etiamsi non sit suspectus de fuga. Idem Farinaceus *n* 121.

116 Quartus casus est: quando Clericus potest impunè verberari, aut occidi juxta ea, quæ dicta sunt. §. 2. *q.* 5.

Digitized by Google

q. 51. p n.29. Si enim in illis casibus potest percuti, aut occidi, multò magis capi. Idem Farinaceus *n.123.*

117 Notandum: quod in prædictis casibus si Clericus, dum capitur, est in habitu, & tonsura, debet statim ad Judicem Ecclesiasticum remitti. Si verò est sine habitu, debet priùs per Judicem Ecclesiasticum cognosci de clericatu. Scaccia *de Judiciis cap.11.n.99.* Pignatelli *tom.2.Consul. 44.n.2.* & deinde judicari ab eo, ad quem spectabit. Interim remanebit apud Judicem sæcularem, a quo captus est, qui tamen Judex pro eo tempore debet silere a processu. Idem Scaccia *n.90.* cum Claro, & Moderno; & idem Pignatelli *n.3.*

118 Quintus casus ab aliquibus admissus non debet admitti, nimirum quod possit Minister Judicis laici spoliare Clericum armis prohibitis a lege Principis sæcularis & capere eum; nam licèt Clerici subdantur sæcularibus legibus, quæ ad bonum publicum spectant, quo ad vim directivam, ut infra dicemus, non tamen subduntur quo ad vim coactivam: ideoque in tali casu non potest Clericus violenter spoliari armis illis, nec capi nisi de licentia Judicis Ecclesiastici. Ita Fagnanus *in cap. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Constitutionibus. n.29. ver. Verum esto.*

§. SEPTIMUS.

QUIBUS IN CASIBUS POSSINT CLERICI coram Judice Laico conveniri?

119 PRimus casus est, quoties Laicus est Delegatus a Papa: quanvis enim Episcopus non possit causam Clerici delegare Laico, potest tamen Papa, ut docet Covarruvias: *Practicarum quæstionum cap. 31. n. 4. in fine.* Clarus *lib.5. Receptarum sententiarum quæst.41. ver. Sed quid dicendum.* Scaccia *de Judiciis loc. cit. n. 92.*

120 Se-

Digitized by Google

120 Secundus casus est, quando agitur de Feudo, quod Clericus habet a Laico, seu quando bona immobilia fuerunt donata Ecclesiis cum reservatione Jurisdictionis, seu cum conditione, & pacto, ut sub eodem Foro maneant, sub quo erant, in quibus coram Domino laico comparendum est. *cap. Ex transmissa. & cap. Verùm. de Foro compet.* & *cap. Cæterum. de Judiciis.* Et est communis sententia, ut testatur Clarus *lib. 4. Receptarum Sentent. §. Feudum. quæst. 90. ver. Et hæc quidem conclusio.* Scaccia *supra citatus n. 97.* Pirhing *lib. 2. tit. 2. sect. 3. §. 2. n. 91.* & Alii multi. Atque hinc Episcopi Germaniæ, qui simul sunt Principes Imperii, ratione bonorum Feudalium, quæ ab Imperatore habent, subjiciuntur Imperatori in talibus casibus Feudalibus, & civilibus, in quibus se habent ut Principes, Duces, aut Comites, non ut Episcopi, aut personæ Ecclesiasticæ. Quod si causa esset de Feudo absolutè Ecclesiastico, tunc cognitio spectat ad Ecclesiam. Idem *cap. Verùm*, & ibi Abbas, & Alii *de Foro cõpet.* Sicut si ageretur criminaliter contra Clericum, deberet Judex esse Ecclesiasticus. *In additionibus ad Marantam dist. 11. n. 75.*

121 Tertius casus est, quando Clericus convenitur ratione officii alieno nomine tanquam Tutor, seu Curator, vel Procurator alicujus Laici: tunc enim non attenditur persona Clerici, sed eorum, ex quorum persona convenitur. Pirhing *dicto n. 91. ver. Præterea.* Sicut è contra Laicus administrator bonorum Ecclesiæ debet conveniri coram Judice Ecclesiastico.

122 Quartus casus est: quando Clericus venditor debet assistere ad evincendam rem, quam vendidit Laico, contra quem agitur coram Judice laico; tunc enim Clericus sequitur Forum Emptoris, quia est ejus necessarius Defensor. Et hæc est verissima sententia, ajunt Scaccia *n. 98.* & Barbosa *n. 118.* Advertit tamen Pirhing dicto *n. 91. ver. Tertiò si agatur*, quod si contra Clericum venditor-

Digitized by Google

ditorem ageretur principaliter, ut scilicet condemnaretur de evictione, deberet tunc conveniri coram Judice Ecclesiastico.

123 Quintus casus est: quando Clericus est sequester, seu Depositarius ex Decreto Judicis laici; tunc enim idem Judex potest præcipere Clerico, ut restituat sequestrum, seu depositum. Maranta *par.* 4. *dist.* 11. *n.* 62. Scaccia *n.* 96. & alii. Negat tamen Barbosa cum aliis *n.* 124. *loc. cit.* posse id Judicem sæcularem. Videantur Diana, & Authores apud ipsum *par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 21.

124 Sextus casus est: quando Clericus convenit coram Judice sæculari Laicum. Clericus enim Actor debet sequi Forum Rei, & hic reconvenit Clericum coram eodem Judice in causa civili; non autem si Clericus reconconveniatur de crimine etiam civiliter, quia in tali causa non potest reconveniri coram eodem Judice laico, ut docent communiter. Videatur Abbas Panormitanus *in cap. At si Clerici. de Judiciis a n.* 19. *usque ad* 21. Idem docet Scaccia cum pluribus Doctoribus, quos affert *n.* 93.

125 Sunt autem alii Doctores, qui docent, quod nec in causa civili possit Clericus reconveniri coram Judice laico, coram quo ipse reum laicum convenit. Ita Pirhing *lib.* 2. *tit.* 4. *de Mutuis Petitionibus.* §. 3. *a n.* 9. *usque ad* 13. ex variis Juribus, & Doctoribus, inter quos Abbas *in dictum cap. At si Clerici. a n.* 22. *usque ad* 26.

126 Verum tamen est, quod, stante authoritate, & consuetudine plurium Regnorum, non potest damnari in praxi sententia dicens, quod Clericus in causa merè civili reconveniri possit coram Judice laico: imò hanc esse opinionem communiter receptam ait Pignatelli *tom.* 3. *Consult.* 26. *n.* 1. *&* *n.* 4. dicit ab ea non esse recedendum. Videatur tota hæc Consultatio, in qua multa sunt scitu digna.

127 Item certum est: quod Laicus reus in eadem

causa civili, in qua est conventus coram Judice laico potest aliquid opponere contra Clericum per modum exceptionis v. g. compensationis, vel etiam petere, ut Clericus solvat expensas litis. Nunquam tamen Judex sæcularis potest sententiam datam exequi adversus personam Clerici, aut ipsum personaliter constringere ad solvendum, injiciendo manus in eum, & coërcendo, sed debet hoc a Judice Ecclesiastico fieri. Ita Felinus *in dictum cap. At si Clerici. de Judiciis n.* 10. *ver. Fallit quartò.* Scaccia *citatus n.* 102. Pirhing *loc. cit. n.* 11. Modernus *Quæstionum criminalium lib. 1. quæst. 8. n.* 103. Barbosa *lib. 1. Juris Eccles. dicto cap. 39. §. 2. de Privilegio Fori n.* 156. qui plura dicit de Reconventione *a n.* 137. *usque ad dictum n.* 156.

128 Septimus casus est: quando Clericus est factus hæres defuncti laici, & lis erat incepta cum defuncto coram Judice sæculari. Tunc enim Clericus hæres tenetur coram eodem Judice laico prosequi judicium inceptum, quanvis non possit novum incipere, nec conveniri, si Defunctus non fuerat conventus. Unde aliæ lites, vel actiones circa bona defuncti venire debent ad Judicem Ecclesiasticum. Atque ita docent innumeri Jurisperiti, quos citat Barbosa *dicto cap. 39. lib. 1. Juris Eccles. §. 2. n.* 102.

129 Verùm Canonistæ contrarium docent, & volunt, quod hæres Clericus debeat denuo conveniri coram Judice Ecclesiastico, & non tenetur coram Judice laico prosequi litem inceptam contra Laicum defunctum. Videantur idem Barbosa *n.* 101. & Fagnanus *in cap. Magnus de Obligatis ad Rationem n.* 58. & 61. *ver. Demum non obstat.* & Diana *part. 1. tract. 2. resol.* 24. ubi hanc rationem assignat pro hac secunda opinione; quia sequeretur quod condemnatoria sententia secuta Judicis laici ad nihil inserviret; cum non posset eam exequi Judex laicus, nec Judex Ecclesiasticus, non laicus, ut est certum; neque

que Ecclesiasticus; quia hic non tenetur dictam sententiam exequi, cum non sit subditus eidem Principi, cui subest Judex laicus; sed pro prima opinione volente, quod debeat Clericus hæres prosequi litem inceptam contra Defunctum laicum, haberur ratio non contemnenda, nimirum quod Tertius læderetur sine culpa, si cogeretur deserere judicium inceptum cum Defuncto coram Judice laico, & aliud inchoare coram Ecclesiastico, & sic lites ex litibus orirentur.

§. OCTAVUS.

EXPEDIUNTUR VARIÆ QUÆSTIONES circa Forum Clericorum.

QUÆSTIO PRIMA.

AN EXACTIO POENARUM OB DAMnum illatum a Pecoribus, vel Ministris Clericorum possit fieri a Judice laico?

130 REspondeo longam hanc esse quæstionem, quæ videri potest apud Barbosam *dicto cap. 39. §. 2. lib. 1. Juris Eccles. n.* 121. sed quia jam habetur decisio Sacræ Congregationis Immunitatis, quã idem Author affert *n.* 123. ideo juxta hanc decisionem.

131 Dico, quod causæ damnorum datorum per Clericos, vel per eorum animalia, vel Colonos, aut Ministros in bonis aliorum quorumcunque, sive Ecclesiasticorum, sive Laicorum spectat ad Curiam Episcopalem privativè: si verò Laici, & eorum animalia &c. damnificent bona Clericorum, potest Curia Episcopalis tanquam in causa mixti Fori procedere. Si verò Coloni, & Ministri laici Clericorum cum animalibus non Clericorum, sed

propriis damnificent aliorum bona Clericorum, causa spectat ad Judicem secularem privativè, tum quo ad personas, tum quo ad bona, & eorum animalia: sed si dicti Laici Coloni cum animalibus Clericorum damnum fecerunt, tunc causa personarum spectat ad Judicem laicum, causa verò animalium ad Ecclesiasticum. Hoc decretum Sacræ Congregationis esse omnino servandum probat Pignatelli *to.* 1. *Consult.* 168.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN CLERICUS FIDE JUBENS PRO LAICO de stando Juri, & solvendo judicatum coram Judice laico, possit deinde conveniri coram eodem, ut solvat Fidejussionem?

132 REspondeo negativè: sed debet conveniri coram Ecclesiastico; quia tam persona, quàm bona Clerici sunt exempta a potestate laicali: atque ita docent Carolus de Crassis *de Effectibus clericatus. effectu* 1. *n.* 108. Ambrosinus *de Immunitate, & Libert. Ecclesiast. cap.* 20. *n.* 50. Riccius *in Praxi. Resolut.* 483. Maranta *de Jurisdictione. par.* 4. *Centuria* 2. *casu* 105. Barbosa citatus *n.* 125. & alii.

QUÆSTIO TERTIA.

AN CLERICUS DELINQUENS IN OFFICIO civili ipsi concesso a Principe Seculari possit ab eodem puniri?

133 REspondeo negativè: præsertim si non fuerit ter monitus ab Episcopo, ut desisteret

ab

ab officio ; quia quanvis Clericis prohibeantur officia civilia. *cap. Sacerdotibus. Ne Clerici, vel Monachi se negotiis sæcularibus immiſceant* ; tamen gaudent Foro , ſi non fuerint ter moniti. *cap. Ex literis. de Vita , & Honeſt. Cleric.* Atque ita docent plures Doctores , quos ſequuntur Diana *par.* 1. *tract.* 2. *Reſol.* 18. & Barboſa citatus *n.* 127. & de Graſſis *effectu* 1. *n.* 82. aſſerit , quod ita obſervatum eſt in Sicilia , in cauſa cujusdam Equitis Melitenſis , qui Calatajerone fuerat Capitaneus. Non deſunt tamen Doctores citati ab ipſis Diana , & Barboſa , qui affirmant poſſe Principem , qui dedit officium ſæculare Clerico , punire eum , ſi in eo delinquat.

QUÆSTIO QUARTA.

AN JUDEX LAICUS POSSIT CITARE Clericum creditorem in confectione Inventarii ?

134 REſpondeo , quod ſolent in confectione Inventarii citari omnes Creditores , de quorum præjudicio agitur ; inter quos , ſi eſt Clericus , poterit comparere ; quia tunc citatio illa non eſt arctatoria , ſed incitatoria ; & ideo Clericus comparens , fortiretur naturam Actoris . Ita Modernus *quæſt.* 8. *n.* 87. Scaccia *dicto cap.* 11. *n.* 100. Cevaglios *tract. de Cognitione per viam violentiæ, par.* 2. *quæſt.* 78. *n.* 3. *& ſequentibus* , & alii. Duardus tamen *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *Can.* 15. *quæſt.* 11. *n.* 50. ait , quod etiam tales generales citationes , quæ fiunt omnibus , qui ſua putaverint intereſſe , non poſſunt compellere Clericos ad compareudum coram Judice laico.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO QUINTA.

AN POSSIT JUDEX LAICUS CITARE CLERICUM, quando ejus debitor petit dilationem, vel beneficium cessionis Bonorum?

135 REspondeo: quod licèt Duardus *in Bulla Cœnæ lib. 2. Can. 15. quæst. 11. n. 53.* velit, quod Laicus debitor ut obtineat dilationem, aut beneficium cessionis debeat trahere Clericum creditorem ad Judicem Ecclesiasticum, tamen videtur dicendum, quod possit Clericus à Judice sæculari in hoc casu citari; quia sic non convenitur ut reus, sed potiùs ut actor provocatur ad comparendum, & docendum de suo jure, seu credito; Atque hoc est in utilitatem ipsius Clerici: Nam si sint alii Creditores, qui non comparentes recuperant sua credita, & ipse non comparens, nec ostendens sua credita, remanebit sine debito soluto, postea litigaturus contra illos creditores coram Judice laico. Atque ideo ita docent Cevaglios *loc. cit. quæst. 72. n. 5.* Afflictus *decis. 280. n. 7.* Mastrillus *decis. 79. n. 5.* & Alii.

QUÆSTIO SEXTA.

AN JUDEX LAICUS POSSIT PUNIRE CLERICUM coram ipso falsum Testimonium dicentem?

136 REspondeo negativè: ita ut nec in persona, nec in bonis Clericum punire possit: Nullus enim Laicus punire potest Clericum. *cap. Si diligenti. de Foro compet.* Atque ita docent Cevaglios *loc. cit. quæst. 67.* Afflictus *decis. 230.* Diana *par. 1. tract. 2. resol. 109.* & Alii. Addunt Hostiensis *in cap. Verum. de Foro compet.* & Joan-

Digitized by Google

& Joannes Andreas *in cap. At si Clerici n.* 21. *de Judiciis*, quod neque ad effectum repellendi Clericum a teſtimonio poſſit Judex Laicus cognoſcere per viam exceptionis de crimine Clerici; quamvis Gutierrez, Julius Clarus, & Chriſtophorus Anguiano *in tract. de Legibus tom.* 1. *lib.* 3. *controv.* 28. *n.* 11. id affirment.

QUÆSTIO SEPTIMA.

AN QUANDO CORREI CLERICUS, ET LAICUS ſive ſint utriq; Debitores ejuſdem rei, ſive ſimul commiſerint aliquod delictum, poſſit Judex Laicus cognoſcere, an verò ſolus Eccleſiaſticus?

137 REſpondeo cum Scaccia plures Doctores adducente *dicto cap.* 11. *de Judiciis n.* 24. quod ſi Clericus ſimul cum Laico ſint debitores ejuſdem rei, ſunt utrique conveniendi coram Judice Eccleſiaſtico. Similiter ſi Clericus ſimul cum Laico deliquit, debet cauſa utriuſque a Judice Eccleſiaſtico cognoſci, quia ratione Clerici tota cauſa debet cognoſci a Judice, qui poteſt de Clerico cognoſcere; cum magis dignus, qui eſt Clericus, trahat ad ſe minus dignum, qui eſt Laicus. Limitatur dicta concluſio, quando conveniretur Collegium, aut Univerſitas, in quo caſu videndum eſt, an ſint plures Clerici, vel Laici. Maranta *in ſuo Speculo par.* 4. *diſt.* 11. *n.* 23.

138 Atque hæc de Fori privilegio dicta ſufficiant. Videri poſſunt reliqua apud Scribentes in titulos de Foro competenti, & de Judiciis. Videri item poteſt Jacobus Pignatelli *tom.* 3. *conſult.* 7. *per totam.*

§. NO-

Digitized by Google

§. NONUS.

DE PRIVILEGIO EXEMPTIONIS A GABELlis, Exactionibus, & Tributis.

139 CErta, & a nemine Catholico impugnata, ſententia eſt, Clericorum bona immunia eſſe ab oneribus, & tributis impoſitis per Principes laicos. unde Clerici ad collectas, ſeu tributa ſolvenda cogi non poſſunt. Ita definitum eſt in Concilio Romano tertio *cap. 1. relato in Can. Bene quidem. diſt. 96.* & in ſexto Concilio Romano, cujus Decretum refertur *in Can. In Canonibus 16. quæſt. 1.* & in Concilio Generali ſub Innocentio III. *cap. 44.* relato *in cap. Cum Laicis. de Rebus Eccleſiæ non alienandis.* Item aperti ſunt textus *in cap. Adverſùs.* & *cap. Non minùs. de Immunit. Eccleſiarum, & cap. Clericus. eodem tit. in 6.* & *cap. Quanquam. de Cenſibus in 6. & Clementi: finali de Cenſibus.* Item ex Tridentino *ſeſſ. 25. de Reform. cap. 20.* & ex Bulla cœnæ Domini §. 18. Videantur Gonzalez Tellez *in lib. 3. Decretal. tit. 49. cap. Non minus. de Immunit. Eccleſiarum. n. 6.* & Barboſa *lib. 1. Juris Eccleſ. cap. 39. §. 5. a n. 1.* & Fagnanus *in cap. Eccleſiæ Sanctæ Mariæ. de Conſtitut. n. 15.* & Pignatelli *to. 2. Conſult. 34.* in qua fusè, & bene, ut ſolet, probat poſſe Clericos vendere res ſuas, abſque ſolutione vectigalium, dum eas colligunt a ſuis patrimonialibus, vel Beneficialibus.

140 Utrum autem hæc exemptio ſit de Jure Divino, an verò de Jure humano valde controverſum eſt, & plures adducuntur textus, & rationes ad probandum, quod ſit de Jure Divino. Videantur citati Doctores, & item Diana *par. 1. tract. 2. Reſol. 1.* Interim dicendum videtur, quod talis exemptio ſit de Jure humano; ſed quia valde

Digitized by Google

valde conformis est Juri divino, ideo de Jure divino appellatur quasi initiativè, seu originaliter. Quod enim originem trahit a Jure divino veteris Testamenti, solet in Sacris Canonibus dici de Jure divino, ut testatur Covarruvias *lib.* 1. *Variarum. cap.* 17. Atque ita sustinet Gonzalez Tellez *loc. cit. n.* 8. plures adducens Doctores, & rationes. Ipsum legito, si lubet; mihi enim non permittitur has quæstiones exagitare, cum aliæ occurrant practicæ. Sit igitur.

QUÆSTIO PRIMA.

QUINAM GAUDEANT HOC PRIVILEGIO Immunitatis a Gabellis, & Tributis?

141 Dico primò: non solùm Clerici in Sacris, verùm etiam primæ Tonsuræ, & non solùm illi Clerici in minoribus, qui habent requisita a Tridentino, ut gaudeant privilegio Fori, sed etiam illi, qui non inserviunt Ecclesiæ, nec student in universitate, gaudent exemptione a gabellis, & tributis: Ratio est quia privari privilegiis clericalibus est odiosum; ergo non debet extendi ad alios casus præter eos, quibus aliquo ex illis privantur Clerici. Cum igitur Tridentinum ea requisita velit, ut gaudeant Clerici in minoribus Fori privilegio, non potest dici, quod etiam ea velit, ut gaudeant Immunitate a Gabellis. Atque ita docent Fagnanus *in cap. Pervenit. de Immunitate Ecclesiarum. n.* 15. Comitolus *lib.* 6. *quæst.* 20. Sanchez *in Præcepta Decalogi tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 34. Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 39. §. 5. *n.* 15. Diana *par.* 1. *tract.* 2. *Resol.* 36. ubi adducit declarationem Sacræ Congregationis Concilii, & aliam decisionem affert Barbosa, quam ipse vidit originalem.

Digitized by Google

142 Advertunt tamen prædicti Barbosa *num.* 17. & Diana *Resolut* 35. quod in aliquibus Regnis habetur consuetudo, per quam Clerici in minoribus, nisi fuerint beneficiati subjiciuntur oneribus Laicorum, quæ tamen consuetudo, si non supponit dispensationem Apostolicã, nulla est: sed certè in hoc Regno talis consuetudo non habetur. Unde qui a Clericis prædictis exigeret Gabellas, incideret in excommunicationem Bullæ Cœnæ. Ita idem Diana *Resolut. 35. ver. Sed hanc consuetudinem.*

143 Dico secundò: Clerici conjugati, etiam cum unica, & Virgine non gaudent exemptione a Gabellis. *cap. Ex parte tua. de Clericis conjugatis. & cap. Unico. eodem tit. in 6.* Observant autem gravissimi Doctores, quos sequitur, & refert Barbosa *dicto cap. 39. §. 5. n. 19.* quod Græci Sacerdotes uxorati, eorunque filii legitimi, durante vita Patris, gaudent Immunitate a Gabellis, & Tributis, quia sunt quo ad omnia personæ veræ Ecclesiasticæ, quanvis utantur legitimo matrimonio cum unica, & Virgine contracto.

144 Dico tertiò: Religiosi professi, & Novitii, sicut & Moniales professæ, & Novitiæ, Fratres, & Sorores tertii Ordinis Sancti Francisci in communi viventes, & habitum gestantes, pro ut dictum fuit, cum de privilegio Fori, similiter Eremitæ, ut dictum fuit, cum speciali obligatione dicati Ecclesiæ, & Religiosi omnes militares Sancti Joannis scilicet Hierosolymitani, Calatravæ, Sancti Jacobi &c. gaudent hac Immunitate. Ita Doctores communiter, quos adducit, & sequitur Barbosa citatus *a n. 23. usque ad 28.* & Diana agens de bonis Novitiorum *par. 1. tract. 2. Resolut. 37.* & de Religiosis militaribus *Resolut. 49.*

145 Dico quarò: Coloni, & Conductores bonorum Ecclesiæ, vel Clericorum non gaudent Immunitate a Gabellis. Ratio est quia illi sunt Laici, & cum illis fructi-

Digitized by Google

tibus negotiantur, in quo casu etiam si essent Clerici, non gauderent, ut infra dicemus. Deinde fructus semel ac a solo sunt separati, sunt in pleno Dominio ipsius Coloni, aut conductoris: ergo cum Gabellæ respiciant fructus, sequitur, quod respiciant fructus hos, qui jam sunt in pleno Dominio Coloni, & Conductoris laici; ita Barbosa cum aliis *n.* 33. non tenentur autem Clerici solvere Gabellas, quando ipsi vendunt fructus suos; quia sic vendentes non negotiantur. Idem Barbosa *n.* 34.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN BONA PATRIMONIALIA CLERICORUM possint gravari Tributis?

146 BOna Clericorum possunt esse Ecclesiastica, nimirum quæ ab Ecclesia ipsis proveniunt, ut sunt beneficia, & possunt esse patrimonialia, nimirum quæ ipsis a parentibus adveniunt, vel operâ suâ Clerici acquirunt. Item possunt patrimonialia esse illa, ad quorum titulum fuerunt ordinati. His positis.

147 Dico, quod bona omnia Clericorum, tam ecclesiastica, quàm particularia gaudent exemptione a tributis, & exactionibus sæcularibus. Et quidem quo ad bona Ecclesiastica certum est apud omnes; quo ad illa bona, quæ sunt patrimonialia, ad quorum titulum Clericus ordinatur: probatur, quia patrimonium hoc habet omnia privilegia, quæ conceduntur bonis Ecclesiasticis ex Tridentino *sess.* 21. *de Refor. cap.* 2. nec alienari, aut extingui, aut remitti potest, ac proinde inter bona Ecclesiastica debet censeri, ut ait bene Barbosa cum aliis *n.* 29. quod autem etiam bona patrimonialia gaudeant exemptione probatur *ex cap. Quanquam. de Censibus in 6.* & præcipuè *ex* §. 18. *Bullæ Cœnæ*: ubi excommunicantur

Digitized by Google

Imponentes decimas, collectas &c. Personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Ecclesiasticorum beneficiorum bonis. Nam illa dictio, *Eorum*, significat bona contradistincta ab aliis significatis per alteram dictionem sequentem, *Ecclesiarum, & aliorum Ecclesiasticorum Beneficiorum bonis*, ergo non solùm bona Ecclesiastica, sed etiam alia bona, quæ sunt sub dominio Clericorum eximuntur a Gabellis &c. Atque ita docent Homo bonus, Riccius, Duardus, Layman, Lessius, innumerique alii relati a Diana, quibus ipse subscribit *par. 1. tract. 2. Resolut. 39.* & Barbosa *n. 29.* & Gonzalez Tellez *lib. 3. tit. 49. cap. Non minus. de Immunit. Ecclesiarum n. 10.* & alii apud ipsos.

QUÆSTIO TERTIA.

AN CLERICI SIMUL CUM LAICIS IN IIS, quæ spectant ad communem Utilitatem contribuere teneantur?

148 REspondeo cum distinctione: aut enim contributio æquè primariò respicit bonum Laicorum, ac Clericorum: aut non æquè primariò, sed primariò respicit Communitatem, quanvis deinde in singulos, in quibus includuntur etiam Clerici, derivetur utilitas, & commodum e. g. si reparandum sit damnum a flumine inundante agros, tum Laicorum, tum Clericorum: si custodienda sint armenta Laicorum, & Clericorum: si occidendæ sunt, & propulsandæ locustæ, aut vermes, aut alia animalia segetes Laicorum, & Clericorum vastantia &c. Tunc etiam a Clericis contributio exigi debet, quia æquè primariò intenditur bonum ipsorũ. Atque ita docent communiter Doctores, quos sequitur, & citat Gonzalez Tellez *lib. 3. tit. 49. dicto cap. Non minus.*

Digitized by Google

nus. num. 13. Idipsum docet Fagnanus *in dictum cap. Non minus. de Immunit. Ecclesiarum. n.* 12. quo ad onera reficiendi viam ante domum, vel purgandi puteum necessarium toti Viciniæ, in qua est Ecclesia, vel habitat Clericus. Reparare enim viam ante domum est onus, æquè respiciens primariò utilitatem Clericorum, & Laicorum.

149 Unum est advertendum, nimirum in his, & similibus casibus, in quibus Clerici tenentur contribuere ex bonis propriis, exactionem, aut executionem, & actualem coactionem non posse fieri a seculari potestate, sed debere fieri a sola Ecclesiastica; cum Personæ Ecclesiasticæ, & Ecclesiæ sint omnino a Jurisdictione sæculari, quo ad Forum exemptæ. *cap. Si Diligent. de Foro competenti*, juncto *Can. Experientia* 11. *quæst.* 1. Atque ita Fagnanus *ibidem n.* 31.

150. Quod si contributio facienda sit pro jis, quæ principaliter pertinent ad Communitatem, quanvis Clerici de ea utilitate participent, pro ut accidit in reparatione murorum Civitatis, pontium, turrium, viarum publicarum, fontium &c. non tenentur Clerici, & Ecclesiæ contribuere, nisi quando necessitas esset talis, ut bona Laicorum non sufficerent, & haberentur conditiones mox dicendæ. Constat assertio *ex cap. Non minus*, & *cap. Adversùs. de Immunit. Ecclesiarum*, & eam defendunt communiter Canonistæ. Videatur Gonzalez Tellez *loco citato. n.* 14. & Fagnanus *ibidem a n.* 22. *usque ad* 33. & Diana *par.* 1. *tract.* 2. *Resolut.* 38. in qua plures Doctores citat.

151 Conditiones autem sunt. Prima ut Episcopus, & Clerus super hanc contributionem faciendam deliberent, & consentiant, & non sufficit, si Episcopus cum Capitulo consentiat, sed requiritur totus Clerus; ut advertit Fagnanus *in dictum cap. Non minus. de Immunit. Ecclesiarum. num.* 23. & 24. & apertè dicitur *in cap. Adversùs.*

Digitized by Google

sùs. eodem tit. ibi: *Verùm si forte quando. Episcopus simul cum Clericis &c.* Idem docet Gonzalez Tellez citatus. *num.* 15.

152 Secunda conditio, est ut necessitas, vel utilitas non sit quæcunque, sed maxima, & evidens. Hoc enim important verba textus dicti *cap. Non minus*, & *cap. Adversus. Tantam necessitatem, vel utilitatem*. Ita Abbas *in dictum cap. Non minus. n. 5. ver. Secundò requiritur.* & Fagnanus *ibidem n.* 25.

153 Tertia conditio est ut Utilitas, aut necessitas sit communis, nimirum tam Clericorum, quàm Laicorum. Non enim necessitas, aut utilitas Laicorum duntaxat sufficit ad contributionem exigendam à Clericis, ut bene ostendit Fagnanus *ibidem. a n. 27. usque ad* 30. ex ipso textu *Ad relevandas communes utilitates, & necessitates.* qui habetur tum *in cap. Non minus.* tum *in cap. Adversus. de Immunit. Ecclesiarum*.

154 Quarta conditio est: ut non sufficiant ad relevandas communes Laicorum, & Clericorum necessitates, aut utilitates bona Laicorum. Ita in dicto *cap. Non minus.* & replicatur *in cap. Adversus. de Immunit. Ecclesiarum.*

155 Quinta conditio est: ut contributio fiat ab Ecclesiasticis sponte, & sine ulla coactione: ut probat textus *in dicto cap. Non minus*: ibi: *Absque ulla coactione.* & *in cap. Adversus* dicitur: quod Laici recipiant humiliter, & cum gratiarum actione, quæ Clerici duxerint conferenda in subsidium. Unde clarum est, nullam debere intervenire coactionem Judicis sæcularis.

His conditionibus additur alia *in cap. Adversus.* nempe ut consulatur Romanus Pontifex, cujus interest communibus utilitatibus providere. Notat Diana cum aliquibus Doctoribus, quos citat *par. 1. tract. 2. resol. 40. ver. Sed notandum.* quod quando tempore pestis exigenda est contributio a Clericis, quam tamen concedit faciendam cum con-

Digitized by Google

consensu Episcopi, & Cleri, ita ut non possit Princeps sæcularis sine consensu illorum deliberare; imò requiritur ut Laicorum facultates non sufficiant, ad hoc ut Episcopus cum Clero deliberet super hac contributione, ut bene probat Fagnanus *in dictum cap. Non minus n.* 58. Ait inquam, Diana, quod non esset consulendus Romanus Pontifex, sicut in aliis communibus utilitatibus, quia in casu pestis contributio fit non ad utilitatem publicam tantùm, sed etiam ob privatam Clericorum. Fagnanus autem *citatus n.* 61. *ver. Quamobrem* dicit requiri ex Decreto Sacræ Congregationis, quod Papa consulatur.

QUÆSTIO QUARTA.

AN ECCLESIASTICI TENEANTUR SOLVERE ONERA, quæ erant Imposita bonis Laicorum, quando talia bona ad ipsos Ecclesiasticos perveniunt?

156 REspondeo cum distinctione in hac materia, necessariò facienda. Nam bona Laicorum habentia onus tributi, & vectigalis possunt multipliciter considerari, quando transeunt ad Ecclesiam, & primò quidem possunt bona illa possideri ab Ecclesia Jure divino, & spirituali, prout sunt decimæ, & oblationes, & in tali casu talia bona sunt exempta ab omnibus oneribus præteritis, & futuris; quia hæc bona a Deo habet Ecclesia, ut notant Canonistæ *in Can. Secundùm Canonicam.* 23. *q.* 8.

Similiter reliqua bona, quæ sunt destinata ad divinum cultum, aut officium spirituale, ut situs Ecclesiarum, Cæmeterium pro sepulturis &c. exempta sunt ab omnibus oneribus, ut habetur *in dicto Can. Secundùm.* 23. *quæst.* 8. & docet cum pluribus Fagnanus *in cap. Non minus n.* 8. *de Immunit. Ecclesiarum.*

Pos-

Digitized by Google

Possunt secundò considerari bona Ecclesiæ, quæ ipsa possidet Jure temporali, & civili, ut titulo emptionis, legati, vel alio simili, & in istis bonis, si antequam ea devenirent ad Ecclesiasticos, erat impositum onus reale infixum ipsi rei, seu fundo, ideſt fundo propter ipsum fundum, & non personę propter fundum, quod onus sit perpetuum, certum, & invariabile, non autem impositum ex aliqua causa, qua cessante sit removendum: si inquam, tale sit onus, transit ad Ecclesiam ipsam cum ipsa re, cui est infixum. Atque ita docent communiter Canonistæ *in cap. 1. de Immunit. Eccles. in 6.* Abbas *in cap. Finali num. 12. de Vita, & Honest. Cleric.* Turrecremata *in Can. Si tributum 11. quæst. 1. ver. Alia verò.* & Alii multi, quos sequitur Barbosa *dicto cap. 39. §. 5. num. 57. lib. 1. Juris Eccles.* & Fagnanus *citatus num. 9.*

Ratio est: quia talis collecta non solvitur, ut tributum, & in recognitionem dominii, vel superioritatis, quam indicat tributi exactio, sed ob conditionem inhærentem rei, & inseparabilem; ad eum modum, quo Ecclesia solvit census, & hypothecas, quæ a prioribus Dominis laicis impositæ erant rebus deinde donatis Ecclesiæ. Quoties igitur Rex, vel Princeps per expressum pactum inter ipsum, & privatam personam concessit fundum tali privatæ personæ, cum onere solvendi censum quolibet anno ipsi Regi, aut ex peculiari dominio, quod Rex habebat in rem, transtulit dominium rei in privatam personam, reservata sibi pensione, collectâ, seu tali censu, toties si illa res, aut fundum devenerit ad Ecclesiam, debet Ecclesia illam pensionem &c. solvere; quia res transit cum suo onere proveniente ex aliquo contractu, ad quascunq; personas, quantumvis privilegiatas. Atque hoc est onus affixum rei propter ipsam rem datam.

157 Quod si Rex non ratione contractus, seu pacti, seu conditionis adjectæ, sed ratione dominii sui universalis

Digitized by Google

salis exegisset tributum a persona privata possidente fundum. (Atque hoc est onus infixum personæ propter fundum,) tunc si tale fundum deveniret ad Ecclesiam, non deberet hæc solvere illud tributum; quia regia potestas, & Jurisdictio expirat, cum fundum pervenit ad Ecclesiam, & res devenit ad statum, qui est incapax illius subjectionis erga Superiorem laicum. Ita è contra, si res erat antea sub dominio Ecclesiæ, & deinde translata sit in Laicos, non gaudet ampliùs Immunitate ecclesiastica a tributis: quia Laicus est sub Jurisdictione Principis laici, & mutatâ personâ, quæ est causa privilegii, extinguitur privilegium. Denique si collecta non erat determinata, & invariabilis, sed varia pro varietate temporum, & necessitatum, non tenetur Ecclesia eam solvere, quando res, quæ erat Laici, ad eam pervenit, quia tunc exigeretur ab ipsa Ecclesia; respicitur enim illud tempus exactionis; cum non esset collecta affixa rei, & determinata antequam deveniret res ad Ecclesiam, sed determinaretur, dum res est in potestate Ecclesiæ. Atque ita docent plures relati a Diana *par.* 1. *tract.* 2. *Resol.* 42. *in fine.*

Noto, quod si fictè donata sint Clerico bona sua a Laico, sicut non transeunt ad personam ecclesiasticam, ita non liberantur a subjectione, ideoque ficta donatio facta Clerico a Sæculari est in fraudem Gabellarum; quæ si justæ sunt, fraudari non possunt; si verò injustæ, an possint, nec ne, videatur apud Dianam *par.* 2. *tract.* 17. *miscell.* 3. *Resol.* 28. versu *Sed hanc.* Quales autem in nostro Siciliæ Regno possint justè imponi, videatur apud eundem Dianam *par.* 1. *tract. de Parlamento. Resolut.* 15.

Digitized by Google

QUÆSTIO QUINTA.

AN QUANDO CLERICUS SIMUL CUM FRATRE, vel Nepote laico possidet aliquod commune bonum, gaudeat Immunitate a Gabellis totaliter, an verò solùm pro sua Portione?

158 REspondeo, solùm gaudere pro Clerici portione: quia hæc est solùm sub dominio Clerici. Atque ita docent Joannes Antonius de Nigris *in Clementina 1. de Vita, & Honest. Clericorum. n.* 108. Molfesius *par. 2. tract. 12. n.* 170. *cap.* 22. Carolus de Grassis *de Effectibus Clericatus effectu 3. n.* 186. Bonacina *de Censuris in Bulla Cœnæ disp. 1. quæst. 19. pun. 3. §. 1. n. 19.* & alii. Sed Barbosa *n.* 60. ait, servandam esse consuetudinem juxta Rescriptum Sacræ Congregationis Cardinalium Archiepiscopo Brundusino *sub die* 8. *Martii* 1595.

QUÆSTIO SEXTA.

QUOMODO CLERICI NEGOTIANTES TENEANTUR solvere Gabellas?

159 COnstat *ex cap. Quanquam. de Censibus in 6.* Clericos negotiatores non esse exemptos a solutione Gabellæ pro rebus, de quibus negotiantur. & ita docent communiter Doctores, qui videri possunt apud Barbosam *n. 63.* Videndum est autem primò, qui sint Clerici negotiatores, secundò an requiratur trina monitio, ut solvant Gabellas, tertiò, quibus Clericis sit interdicta negotiatio.

160 Dico primò: Clericus negotiator est ille, qui ali-

Digitized by Google

aliquid emit, aut contractu oneroso acquirit, ut illud vendens aliquid lucri reportet. Quod si aliquid emat ob sui sustentationem, aut familiæ, & deinde, data occasione lucri, illud vendat, non dicitur negotiator. Ita Navarrus *in Manuali. cap.* 25. *n.* 11. Quaranta *in summa Bullarii. ver. Vectigal. ver. Tertiò quatenus.* Suarez *tom.* 5. *de Censuris disp.* 22. *sess.* 4. *n.* 21. & alii plures apud ipsos. Item Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 40. & alii apud ipsum.

161 Dico secundò: ad hoc, ut Clericus teneatur solvere Gabellas, necessaria est trina monitio ab Episcopo, ut abstineat a negotiatione. Quod si post trinam monitionem non abstinuerit, amittit privilegium clericale, & ipse, & ejus bona tributis, & vectigalibus subjiciuntur. Est assertio communis, & constat *ex cap. ultimo. de Vita, & Honest. Cleric.* & eam ibi tradit Abbas. Ratio autem est. Quia nunquam Clericus amittit suum privilegium, nisi ter monitus adhuc persistat; ideoq; licèt quantùm ad res ipsas, statim fiant subjectæ vectigali; tamen ipse Clericus, ejusque alia bona non fiunt subjecti, nisi post trinam monitionem. Neque a Judice sæculari, aut a publicanis cogi potest ad solutionem Gabellæ, nisi postquam Judex ecclesiasticus, cognitâ causâ, eum declaraverit Negotiatorem, & ideo privatum privilegio clericali. Ita Abbas *in cap. Qualiter. de Judiciis. n.* 9. & alii plures, quos sequitur Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 39. §. 5. *n.* 69. & Diana *par.* 1. *tract.* 2. *Resolut.* 46.

162 Dico tertiò: certum est, quod negotiatio prohibita sit Clericis *ex Canon. Fornicari. dist.* 88. Item certum est, quod sit prohibita constitutis in Sacris *ex cap. Multa. Ne Clerici, vel Monachi.* ibi: *Ministris altaris Domini contradicimus.* Nam Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi sunt Ministri altaris Domini. Item certum reputatur, prohibitam esse negotiationem Clericis in minoribus Beneficiatis *ex cap.* 1. *de Postulando:* ibi: *In ordi-*

Digitized by Google

nibus quoque minoribus si stipendiis ecclesiasticis sustententur. & ita docent multi, quos adducit Fagnanus *in cap. Multa n. 79. & 80. Ne Clerici, vel Monachi.*

Utrum autem Clerici in minoribus non Beneficiati possint negotiari, est in controversia. Mihi videtur tenendum cum eodem Fagnano citato *a n. 83. usque ad finem*, quod etiam isti negotiari non possint, si habeant unde sustententur, aut ex bonis ecclesiasticis, aut patrimonialibus. Ratio est, quia textus plures, qui negotiationem prohibent Clericis, loquuntur de Clericis generaliter, & indistinctè. Ita *Can. 1. 14. quæstion. 4. Can. Negotiatorem Clericum. cum multis aliis per totam distinctionem* 88. & *cap. ultimo de Vita, & Honestate Cleric.* Videri possunt reliqua argumenta, & solutiones argumentorum in oppositum apud ipsum Fagnanum.

QUÆSTIO SEPTIMA.

AN CLERICI SI PER ALIUM NEGOTIENtur teneantur solvere Gabellam?

163 NEgotiari per alium est habere Tabernam, vel Domum expositam negotiationi, in qua res emptas a Clericis vendit alius, ut lucrum reportet ipsis Clericis ex venditione.

Dico igitur, quod Clericus, si ob lucrandum id faciat, est verè negotiator, ideoque ipsi non licet per alium negotiari. Argumentum ex regula. *Qui per alium. de Regulis Juris in 6.* ubi dicitur *Qui facit per alium, est perinde ac faciat per ipsum.* Atque ideo quando Clerici domum habent Mercantiæ expositam, vel Tabernam lucro anhelantes per alium, si tertiò moniti non desistunt, possunt sicut Laici ad Gabellam solvendam compelli. Atque ita docet cum Salzedo, & aliis Barbosa *citatus n. 68.*

164 Quod

Digitized by Google

164 Quod si aliquis Clericus non lucri causâ, sed ad sui sustentationem ratione alicujus exercitii liciti negotiationem exerceat, sive per se, sive per alium v. g. locando oves, boves, aut equos, aut emendo rudem materiam v. g. lignum, vel ceram, & eam fabricatam, & elaboratam pluris vendit, negotiator non erit. Adeoque non tenetur ad Gabellam ex venditione talium rerum. Ratio est, quia *ex Can. Clericus quantumlibet. dist. 91. & ex Can. Nunquam. de Consecr. dist. 5.* licitum est Clericis ex aliquo artificio victum quærere: ergo sicut negotiatio illa per modum artificii licita est: ita ex ea, nec privilegio clericali possunt Clerici spoliari, nec ad solvendam Gabellam compelli: sicut neque si unam, aut alteram vendionem faciant causâ necessitatis.

QUÆSTIO OCTAVA.

AN LICITE SENATUS PANORMITANUS Aliæve Respublicæ exigant Gabellas a Clericis, cum animo restituendi eas in fine Anni?

165 REspondeo licitè: quia id factum est cum consensu Clericorum, & Romani Pontificis: neque per hoc Clerici renunciant privilegio, sed sustinent effectum ejus differri in aliud tempus ob bonum publicum. Servari tamen debet Summi Pontificis Bulla pro ut ejus verba sonant, ut non incurratur excommunicatio ab exigentibus Gabellas a Clericis super eorum bona. Ita Diana *par. 1. tract. 2. Resolut. 44.*

§. DE-

Digitized by Google

§. DECIMUS.

DE EXEMPTIONE CLERICORUM A STATUTIS Principum laicorum.

166 Dico primò; est concors omnium Juris Canonici, & Civilis Interpretum sententia, teste Fagnano *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ. de Constit. n. 2.* & Pignatelli *tom. 1. Consult. 166. n. 3.* quod lex secularis generaliter lata, idest nulla facta mentione Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum, quantumvis rationabilis, non comprehendit Clericos, nec Ecclesias, nec eorum bona. Ratio est, quia Princeps sæcularis nullam Jurisdictionem, & Potestatem habet in Ecclesiasticos: ergo *non licet* Principi laico aliquid statuere in Ecclesias, aut Personas Ecclesiasticas, aut eorum bona; ideoque dum aliquod statutum generale facit, nec intendit obligare Clericos, (quod est ipsi Principi illicitum.) nec potest, cum non habeat potestatem. Videatur Fagnanus citatus. *num. 4. & 5.*

167 Dico secundò: Lex Principis laici etiam supremi, quæ loquitur in specie de Ecclesiis, Ecclesiasticis, & eorum bonis, etiam si respiciat utilitatem ipsorum Clericorum, adhuc nulla est. Hanc assertionem confirmant Fagnanus citatus, & Pignatelli *n. 5.* Ratio est, quia potestas statuendi pendet a Jurisdictione. *L. finali*; & ibi Baldus *de Jurisdictione omnium Judicum.* & *cap. Ut animarum. de Constitut. in 6.* ergo ubi nulla est Jurisdictio, nulla est potestas statuendi: ubi nulla potestas statuendi, nullum est statutum. Quod autem Ecclesiæ, Clerici, & eorum bona sint exempti ab omni Jurisdictione sæculari, jam probatum est, cum de privilegio Fori, & con-

Digitized by Google

constat *ex Can. Si Imperator dist.* 96. & *Can. Bene quidem. eadem dist.* & aliis textibus, qui communiter adducuntur. Hinc Juri civili non subduntur Clerici, nisi in jis, quæ inserta sunt in Jure Canonico, aut ab eo approbata. His positis occurrunt aliquæ quæstiones.

QUÆSTIO PRIMA.

AN EDICTUM PRINCIPIS SÆCULARIS de non ferendis Armis liget Clericos, & an de licentia Episcopi ea deferre valeant?

168 Dico primò: quoties Lex laici Principis generaliter lata respicit commune bonum, & utilitatem Civium, & non est contra Sacros Canones, licèt vi coactiva non obliget Clericos, ut dictum fuit, cum non possit Princeps sæcularis eos obligare; tamen vi directiva, & ex dictamine rectæ rationis obligat Clericos; quia magna perturbatio esset in urbibus, si Clerici non servarent leges politicas in rebus humanis; ideoq; lex de non ferendis armis obligat non coactivè, sed directivè Clericos; quatenus dictamen rationis dictat non esse perturbandam Rempublicam, quæ quidem perturbaretur, si Clerici arma deferrent, quæ non possent Laici. Atque ita docent Glossa *in Can. Generaliter versic. Necessitatis* 16. *quæst.* 1. Barbasius *consil.* 1. *lib.* 3. *ver: Et dicit, quod statuta.* Covarruvias *in lib. Practicarum quæstionum. quæst.* 33. *n.* 7. *& lib. Variarum resolutionum cap.* 20. *in fine.* Valentia *tom.* 4. *disp.* 9. *quæst.* 5. *punct.* 4. *in principio.* Cardinalis Bellarminus *tom.* 2. *Controversiarum lib.* 1. *cap.* 28. & alii multi.

169 Dico secundò: etiam stante hoc, quod Clerici ex vi dictaminis rationis obligentur, non deferre arma, pro-

Digitized by Google

prohibita a lege sæcularis Principis, adhuc Episcopus eis licentiam deferendi arma dare potest. Nec talem licentiam a Principe sæculari petere possunt Clerici, nec Princeps eis dare potest.

Ratio prioris est: quia sicut Princeps potest Laicis suis subditis eam licentiam dare; ita & Episcopus suis, cum ipse habeat merum Imperium in sua Diœcesi. Videatur Pignatelli *tom. 7. Consult. 32. a num. 4. usq; ad* 17. Cum igitur Episcopus det licentiam, quanvis Princeps sæcularis prohibeat, debent Clerici Episcopi voluntatem exequi, quia ubi lex civilis opponitur Canonicæ, non est habenda ratio legis civilis. Atque ita cum pluribus Doctoribus, & ex variis Juribus docet Fagnanus in dictum *cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ. de Const. n. 30. usque ad* 37.

Ratio posterioris est, quia Princeps sæcularis, nec per revocationem generalem legis latæ, nec per concessionem particularem factam Clericis, potest eos solvere ab obligatione non ferendi arma. Nam licèt possit sua lege generaliter loquente ligare Clericos ex dictamine rectæ rationis; adeoque generaliter revocando legem, Clerici maneant soluti ab hac obligatione, cui ex vi rationis subjiciebantur, tamen non potest solvere aliud vinculum, quo ligantur Clerici, nimirum ex Lege Canonica prohibente ipsis delationem armorum. *Can. Clerici, & sequentibus* 23. *quæst. 8. cap. Clerici. il Primo. de Vita, & Honest. Cleric. Clementina* 1. *eodem tit.* ergo per generalem revocationem legis suæ, non potest solvere Clericos ab obligatione non deferendi arma. Neque potest Princeps in specie loquendo de Clericis solvere vinculum per concessionem licentiæ; quia in Clericos nullam habet potestatem: ergo sicut non potest illis in specie prohibere delationem armorum; ita nec potest illis hanc licentiam specificè impertiri; cum in utroq; casu careat Jurisdictione requisita ad tales actus.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO SECUNDA.

AN FAMILIA EPISCOPI SUBJACEAT LEgi Principis sæcularis prohibentis delationem Armorum?

170 REspondeo negativè: quia familia Episcopi se habet, sicut omnes Clerici quo ad exceptionem a Jurisdictione Principis sæcularis, ut docent communiter Doctores cum Abbate *in cap. Nullus. de Foro compet. n. 6. vers. In familia verò Episcopi*; ideoque tenetur servare legem Episcopi concedentis usum armorum, non autem edictum Laici prohibentis. Accedit declaratio Sacræ Congregationis Episcoporum, per quam dicitur, Episcopos, non solùm posse, sed debere habere familiam armatam, Immunitate ecclesiastica gaudentem. Videantur Fagnanus *in dictum cap. Ecclesiâ Sanctæ Mariæ n. 45. de Constit.* & Pignatelli *dicta Consult. 32. tom. 7. & num. 17.*

QUÆSTIO TERTIA.

AN STATUTUM REIPUBLICÆ PROHIBENtis extractionem Vini, Olei, Frumenti, Bladæ, Fructuum &c. ob tuendam Abundantiam in Civitate comprehendat Clericos?

171 REspondeo negativè. Ratio est jam supradicta, quia Clerici non subduntur laicæ potestati. Et ita docent Azorius *par. 3. lib. 5. cap. 19. quæst. 13.* Bellettus *Disquisitionibus Clericalibus tit. 6. §. 3. num. 1.* Marta *de Jurisdictione. par. 4. casu 83. n. 1.* & alii, quos

Digitized by Google

sequitur Diana *par.* 1. *tract.* 2. *Resol.* 68. Nec valet dicere, quod hæc lex respiciat bonum commune, & utilitatem Reipublicæ, cujus Clerici sunt membra. Nam, ut bene dit Fagnanus *in cap. Non minus. de Immunit. Eccles. n.* 49. ex D. Paulo *ad Romanos* 12. Non omnia membra eundem actum habent; adeoque diversim odè sunt membra Reipublicæ Clerici, ac Laici. Clerici enim tenentur subvenire Reipublicæ, & Patriam sublevare actu suo, idest orationibus, celebratione officiorum, & administratione Sacramentorum, ratione quorum sunt exempti divino, & humano Jure a laicali Jurisdictione, non autem tenetur subvenire de bonis suis temporalibus Rempublicam, nisi concurrentibus conditionibus supradictis §. 9. *quæst.* 3. *n.* 151. ideoque non possunt gravari in rebus suis, pro ut gravarentur, si non possent fructus a prædiis suis collectos extrahere, & vendere, pro ut eis est commodum.

172 Accedit, quod etiamsi ex justa causa, & ob bonum publicum fiat statutum a Republica, non ideo obligat Clericos; quia ad validitatem statuti non sufficit justa causa, & bonum publicum, sed requiritur Jurisdictio in statuente, quæ deficit in Republica circa personas, & bona Ecclesiasticorum; atque ideo semper statutum illud erit nullum. Atque ita docet, & probat ex variis Juribus, & Doctoribus Fagnanus *in cap. Quæ Ecclesiarum. de Constit. n.* 41. & efficacius *n.* 44. *usq; ad* 47. Hinc neq; ad custodiam murorum Civitatis possunt obligari Clerici a potestate sæculari: sed quando tanta esset necessitas, ut a solis Laicis absq; Clericorum auxilio mœnia custodiri non possent, deberent ab Episcopo distringi. Ita Abbas *in cap. Pervenit. de Immunit. Eccles. n.* 6. & alii, quos affert Fagnanus *n.* 43.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA.

AN LEX NON INTRODUCENDI VINUM, vel aliud quidpiam in Civitatem collectum extra Territorium obliget, & comprehendat Clericos?

173 REspondeo negativè; & ratio est jam dicta, & præterea tale statutum nō respicit utilitatem communem, sed particularem illorum, qui habent Vineas intra Territorium: ergo ex nullo capite potest obligare Clericos. Atq; ita cum pluribus Doctoribus docet Diana *par.* 1. *tract.* 2. *Resolut.* 49.

QUÆSTIO QUINTA.

AN LEX DE NON VENDENDIS VINO, Oleo, Frumento &c. nisi tanto pretio obliget Clericos?

174 REspondeo, quod non quatenus Lex civilis est, sed obligat ex vi directiva, nempe ex dictamine rectæ rationis, dictantis res vendi debere justo pretio, quod quidem est illud, quod taxat lex. Hinc si sit pœna imposita contra eos, qui pluris vendunt, non potest exigi a Clericis pluris vendentibus: quia lex illa pro ut coactiva non obligat Clericos ex defectu potestatis in legislatore. Idipsum dicendum quoties Clericus venderet res falsis mensuris, & ponderibus. Quanvis enim peccaret contra Justitiam, non posset tamen a Judice sæculari taxante mensuras, & pondera puniri tanquam transgressor legis, posset tamen apud Judicem ecclesiasticum accusari talis Clericus, tanquam perturba-

Digitized by Google

tor Reipublicæ. Videatur Diana citans Authores *par. 1. tract. 2. Resolut. 71. & 76.*

175 Ex dictis infertur, quod in legibus civilibus non adversantibus libertati ecclesiasticæ, tenentur stare Clerici ex vi luminis naturalis dictantis eos viventes in urbibus, cum sæcularibus debere conformari illis in jis, quæ spectant ad bonum publicum. Unum autem noto, quod tempore necessitatis non possunt cogi a potestate sæculari ad vendendum frumentum, vinum &c. sed debet hoc fieri a potestate ecclesiastica, nisi necessitas esset extrema, & Populus fame periret, & Judex ecclesiasticus nō adesset, in quo casu Judex secularis posset extrahere frumenta de horreis Clericorum, & vendere non ex vi Jurisdictionis, sed ex vi instantis periculi. Videatur Diana *par. 1. tract. 2. Resolut.* 8. seu potiùs 9.

§. UNDECINUS.

DE PRIVILEGIO CAPITULI ODOARdus de Solutionibus.

176 EX *cap. Odoardus de Solutionibus* statuunt cōmuniter Canonistæ, quod Clericus ob debita civilia si propter inopiam, non potest solvere *in totum*, vel in partem, non possit excommunicari ab Episcopo, nec in carcerem detrudi, nec molestari, nec ad cessionem bonorum compelli, nec conveniri a Creditoribus, nisi in quantùm facere potest, ideſt deductis alimentis, ne egeat, & cogatur mendicare, aut vilem artem exercere contra dignitatem status ecclesiastici, ac divinum servitium relinquere, adhibita tamen cautione, quod solvere velit, si ad meliorem fortunam devenerit. Ita Pirhing *lib. 3. tit. 23. §. 4. n. 22. de Solutionibus.* Barbosa *lib. 1. Juris Eccles. cap. 39. §. 6.* Fagnanus *in dictum cap.*

Digitized by Google

cap. Odoardus de Solutionibus n. 1. Covarruvias *lib.* 2. *Resolut. variar. cap.* 5. *n.* 9. Farinaceus *par.* 1. *quæst.* 27. *n.* 65. Gloſſa, & Abbas, & alii *in cap. Odoardus.*

177 Notandum primò, quod ſi Clericus pertinaciter nolit ſolvere, ideſt juſtè damnatus ſolvere, recuſet, poteſt excommunicari; ſed hodie ex Tridentino *ſeſſ.* 25. *de Reformat. cap.* 3. priùs debet incarcerari; & deinde ſi opus fuerit, excommunicari: quia non vult Tridentinum *loco citato*, quod deveniatur ad cenſuras, niſi ubi executio realis, aut perſonalis fieri non poteſt. Ita Pirhing citatus *n.* 23. & Fagnanus *n.* 4. Præterea neque gaudet hoc privilegio Clericus, qui debitum negat pertinaciter, & de eo eſt convictus. Fagnanus *n.* 57.

178 Notandum ſecundò, quod excommunicatio lata contra Clericum debitorem, qui notoriè non eſt ſolvendo, ideſt qui evidenter non eſt aptus ſolvere, eſt ipſo Jure nulla, etiam in Foro externo: quia excommunicari non poteſt, niſi inobediens, & contumax; ſed qui ſolvere non poteſt, implicat, quod ſit contumax; cum impoſſibilium nulla ſit obligatio: *ex Reg. Nemo. de Regulis Juris in* 6. & *L. Impoſſibilium. ff. de Regulis Juris.* ergo &c. ſed ſi dubium ſit, an Clericus ſit potens ſolvere, tunc ſententia excommunicationis tenet, ſed cognitâ impotentiâ relaxari debet, ideſt revocari.

179 Notandum tertiò, quod quando dicitur Clericum ob debitum civile, non poſſe incarcerari: intelligitur primò, niſi dolosè egerit. Egit autem dolosè, ſi finxit ſe Laicum eſſe, cum contraxit debitum, vel ſi bona ſua abſcondit, ne ſolveret; vel ſi coram Judice falsò negavit debitum; vel ſi ſuſpectus ſit de fuga, aut actu fugam arripiat, ne ſolvat, vel ſi tempore contractus ſciens ſe non poſſe ſolvere, dixit ſe habere facultates ſufficientes. In jis enim caſibus detrudi poteſt in carcerem, non præcisè propter debitum civile, ſed propter dolum. Ita

Pi-

Digitized by Google

Pirhing *n. 23. ver. Notandum tertiò.* Barbosa *n. 19. 20. 23. 34. & 35.* & Fagnanus citatus *n. 44.*

180 Notandum quartò, quod ad hoc, ut quis gaudeat hoc privilegio requiritur, quod sit Clericus; Laicus enim debitor non gaudet, & potest, nisi cesserit bonis, in solidum conveniri, & in carcerem detrudi, exceptis marito, milite, patrono causarum, donatore, & aliis quibusdam, qui ex Jure civili conveniuntur sine ulla cessione bonorum, in quantùm facere possunt, idest deducto, ne egeant. Ex quo inferunt Fagnanus *a n. 14. usque ad 20.* & Pirhing *n. 24. prope finem*, quod multò magis debet Clericis, qui sunt milites spiritualis militiæ, competere hoc privilegium, ut non cogantur cedere bonis suis, sed solùm in quantùm possunt, conveniantur, idest deducto, ne egeant.

Nomine autem Clericorum veniunt, etiam qui sunt in minoribus, aut prima Tonsura initiati, & etiam illi, qui non habent requisita a Tridentino, ut gaudeant Foro. Ita docent plures Doctores, quos citat, & sequitur Fagnanus *a n. 20. usq; ad 26.* & Barbosa *num. 15. & 16.* dummodo hi in minoribus non se gerant, ut Laici sine habitu clericali incedentes: Clerici autem conjugati, etiam cum unica, & Virgine non gaudent hoc privilegio; ut constat *ex cap. unico. de Clericis conjugatis in 6.*

181 Notandum quintò, quod Clericus, qui semel hoc privilegio usus est, & deinde venit in meliorem fortunam, si postea iterum pauper fiat, potest iterum privilegio uti. Barbosa *n. 13.* Pirhing *n. 24. ver. Porrò Clericus.* Fagnanus *n. 66.*

182 Notandum sextò, quod requiritur, ut Clericus debitor sit impotens solvere in partem, sive in totum. Atque privilegium hoc, de quo loquimur, in hoc consistit, quod licèt quando debitum est liquidum, non admittatur solutio in partem, creditore invito: tamen si

Cle-

Digitized by Google

Clericus ſolam partem ſolvere poteſt, cogitur creditor eam partem accipere, & Clericum non moleſtare. Fagnanus *n.* 29. Ancharanus *in quinto notabili*, & Imola *n.* 11. *in cap. Odoardus. de Solutionibus.* Pirhing *n.* 25. *verſ. Secundò requiritur*, & alii.

183 Notandum ſeptimò, quod ſi creditor ſit pauperior ipſo debitore Clerico, non poteſt Clericus uti privilegio *cap. Odoardus*, quia privilegiatus non utitur privilegio contra Privilegiatum. *L. Verùm. §. finali. de minoribus.* Carolus de Graſſis *de Effectibus clericatus. effect.* 7. *n.* 96. Barboſa citatus *n.* 30. & Fagnanus citatus *n.* 30. Excipitur quando creditor pauperior eſſet creditor ex cauſa non onerosa, ſed lucrativa v. g. ex donatione; in quo caſu poſſet Clericus debitor uti privilegio.

184 Notandum octavò, quod Clericus, qui vult uti hoc privilegio, debet probare inopiam ſuam, ſaltem ſummariè, & præſumptivè ex fama, aut tenuitate ſuorum reddituum, aut quia viſus eſt mendicare. Barboſa cum aliis *lib.* 1. *Juris Eccleſ. dicto cap.* 39. §. 6. *n.* 6. 7. & 8. Non eſt tamen neceſſe, ut volunt aliqui, quos citat idem Barboſa, quod inops ſit factus ſine culpa ſua; nam etiam ſi ex culpa ſit redactus ad paupertatem; nimirum quia ludendo, aut luxuriosè vivendo diſſipavit bona ſua, adhuc gaudet privilegio, ut defendit cum aliis pluribus Fagnanus *n.* 41. 42. & 43.

185 Notandum nonò, quod Clericus debitor gaudet dicto privilegio ſi conveniatur in cauſa civili, ideſt ſuper debito ex aliquo licito contractu, non autem ſuper debito, quod eſt in pœnam alicujus delicti. Nam ſi debitum eſt ex delicto, capi, & incarcerari poteſt juxta illud dictum. *Qui non habet in ære, luat in corpore. L. Si quis. §. In ſervos. ff. de Jurisdictione.* ubi nota, quod quando reo commutata eſt pœna pecuniaria in pœnam corporalem carcerationis, aut aliam, ipſo Jure liberatur

ab

ab obligatione ſolvendi pœnam pecuniariam ; itaut etiã ſi ditior fiat, ad eam non tenetur. *Can. Si res.* 14. *quæſt.* 6. Intelligitur præſens aſſertio de pœna pecuniaria applicanda Fiſco. Nam ſi ſit applicanda perſonis particularibus, vel actori, ut in furto, non poteſt commutari in pœnam corporalem, invitis illis, quibus meliùs eſt expectare, ut debitor redeat in meliorem fortunam, & ſolvat, quàm ut affligatur, & deinde ad nihil teneatur. Videatur Pirhing *n.* 26. *ver. Quintò requiritur.* Fagnanus *a. n.* 48. *uſque ad* 52. & Barboſa *n.* 29.

186 Notandum decimò, quod Clericus debitor debet conveniri actione perſonali, non verò actione reali, ut gaudeat hoc privilegio. Nam hoc privilegium eſt perſonale ; ideoque ſi nihil prætenditur contra perſonam, ſed ſolùm contra rem, non poteſt Clericus excipere de hoc privilegio, ex quo fit, ut ſi Clericus conveniatur ratione depoſiti, quod apud ſe factum eſt, *non* poſſit confugere ad hoc privilegium. Fagnanus *a n.* 52. *uſq; ad* 55. cum aliis pluribus, & Barboſa *n.* 31. cum aliis, quos affert.

187 Notandum undecimò, quod Clericus debitor, ut gaudeat hoc privilegio, debet confiteri ſuum debitum in judicio. Nam ſi antequam confiteatur debitum in judicio, aut condemnetur ad ſolvendum, ipſe cedat bonis ſuis, non poteſt deinde uti hoc privilegio. Ita Abbas Panormitanus *in cap. Odoardus n. 6. de Solutionibus.* Butrius *n.* 11. Fagnanus *n.* 58. & alii. Ratio autem eſt, quia ſi Clericus debitor cederet bonis ante confeſſionem debiti in judicio, & deinde ad meliorem fortunam deveniret, non poſſet convinci de debito a creditore ; neq; huic maneret copia probationis propter mortem, vel abſentiam teſtium, & tamen per ceſſionem illam non fuit ſolutus Clericus ab obligatione ſolvendi, quoties in meliorem fortunam deveniſſet, cum per ceſſionem non extinguatur obli-

Digitized by Google

obligatio,ſed differatur exactio debiti. Debet igitur Clericus priùs confiteri ſuum debitum in judicio, & deinde recurrere ad hoc privilegium, ut eo gaudeat.

188 Notandum duodecimò, quod confugiens ad hoc privilegium, debet cautionem præſtare de reddendo debito ſi ad meliorem fortunam venerit; quæ cautio intelligitur per pignora, vel fidejuſſores, aut ſaltem ſi aliter non poſſit, per juratoriam, ut cenſuit Rota coram Cardinali Cavalerio. *deciſ.* 514. *n.* 1. *in fine*, quam affert Barboſa *n.* 11.

189 Notandum deniq; quod nemo frui poteſt hoc privilegio, niſi inſtantibus creditoribus, vel uno ex ipſis adversùs Clericum debitorem. Hinc omnes citari debent creditores, itaut aliquo creditore non citato, non poteſt Clericus debitor uti exceptione hujus beneficii contra illum. Barboſa *n.* 5. Riccius apud ipſum, & alii.

190 Quæritur hìc, an Clericus poſſit huic privilegio renuntiare? Quod idem eſt, ac quærere an poſſit ſe obligare creditoribus ad ſolvendum in ſolidum, etiamſi ex ea ſolutione cogeretur mendicare.

Reſpondeo cum ſententia communi, quam ſequuntur Barboſa *n.* 14. Martha *par.* 4. *de Jurisd. caſu* 42. *n.* 21. Riccius *in deciſionib. Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanæ par.* 2. *deciſ.* 173. Pirhing *n.* 28. *&* 29. Fagnanus *a n.* 70. *uſque ad* 73. & alii multi apud ipſos, quod Clericus expreſsè renuntiare non poteſt huic privilegio. Ratio eſt quia tale privilegium conceſſum eſt Clericis pauperibus, ne cogantur mēdicare in opprobrium totius ordinis clericalis: ergo conceſſum eſt in favorem totius ordinis clericalis, ac proinde renuntiare illi Clericus non poteſt, ſicut nec privilegio Canonis, aut Fori.

Dixi, expreſsè; quia tacitè renuntiare poteſt, ſi nimirum Clericus reddatur incapax gaudere illo per actum contrarium, quo poſito, ex Juris diſpoſitione illo benefi-

Digitized by Google

cio privatur. v.g. si incedat in habitu laicali, si neget pertinaciter debitum, si nolit cautionem præstare &c. quemadmodum renunciare potest privilegio Fori per actum contrarium v. g. per dimissionem habitus clericalis &c.

191 Quæritur secundò: an, si juramento Clericus se obligavit creditoribus, nolle se uti hoc privilegio contra creditores, teneat hoc juramentum?

Respondeo: supponendo duos effectus hujus privilegii, quorum primus est, ut Clericus debitor, qui non est solvendo, non possit pro debito civili detrudi in carcerem. Secundus est, ut non possit condemnari ad solvendum, nisi in quantùm potest, habita ratione ne egeat. Quoad primum dico, quod juramentum illud non tenet; quia est contra bonos mores, nempe contra decentiam, & reverentiam debitam toti Ordini clericali, & præsertim cum creditori non prosit carceratio Clerici non potentis solvere, & multùm noceat Clerico a divinis prohiberi per carcerationem: ergo tale juramentum non est obligatorium, juxta *cap. Non est obligatorium. de Regulis Juris in 6.* ubi dicitur non esse obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.

Quo ad secundum eadem militat ratio, quia privilegium hoc est concessum in favorem Ordinis, cum non sit conveniens Clericum mendicare, & sic juramentum illud de non solvendo deductis necessariis ad non egendum, est contra bonos mores, nempe contra reverentiam debitam, tam personæ, quàm Ordini clericali. Atque ita sustinent communiter Canonistæ, quos affert Fagnanus *n.* 73. *usque ad* 29. & Pirhing. *n.* 28. & 29. Clericus igitur sive simplici promissione, sive cum juramento, promittat se solucturum totum debitum, etiamsi ex solutione fiat indigens, non obligatur stare talibus promissis.

192 Excipitur juramentum, quo Beneficiatus in forma

ma Cameræ Apostolicæ obligatur solvere pensionem illi, a quo resignatum fuit sibi beneficium. Tenet enim tale juramentum; ideoque si pensionem non solverit, non potest uti privilegio. *cap. Odoardus.* Ratio est, quia non est honestum, ut postquam habet beneficium, ad cujus regressum se obligavit, ob non solutionem pensionis juvetur exceptione hujus *cap. Odoardus.* debet enim restituere beneficium, neque est æquum, quod beneficium retineat, & pensionem non solvat. Videatur Fagnanus *a n. 29. usque in finem.* Covarruvias *in lib. Variarum secundo. cap. 1. n. 9. sub ver. quoties.* Gigas *consil. 111. n. 3. & 5. & in tract. de Pensionibus. quæst. 10. n. 3.* Barbosa *n. 26.*

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

SIcuti Clerici laicos antecellunt privilegiis huc usque explicatis, ita præcedere debent vitæ honestate, & moribus; ideoque postquam de privilegiis Clericorum egerimus, de jis, quæ ad eorum habitum, conversationem, & exercitia spectant, agendum est. Omnia igitur, quæ in Sacris Canonibus, & in Tridentino Concilio statuta sũt circa Clericos, brevissimè restringemus.

§. PRIMUS.

DE HABITU, ET TONSURA CLERICORUM.

1 DIco primò: Clerici in Sacris constituti, aut in minoribus beneficiati, tenentur uti veste talari, coloris, & formæ decentis, ac Tonsura clericali conveniente suo Ordini *Can. Clerici.* & *Can. finali. dist. 23. Clementina. Quoniam. de Vita, & Honest. Cleric.* Tridenti-

Digitized by Google

num *sess.* 14. *de Reformat. cap.* 6. Clerici autem in minoribus si beneficium ecclesiasticum non habent, non tenentur uti veste talari; at si velint frui privilegio Fori, debent, & Habitum clericalem, & Tonsuram deferre, & ea habere, quæ requirit Tridentinum, ut suo loco dictum fuit. Quod si Clerici in Sacris, aut in minoribus beneficiati ter moniti ab Episcopo, non utantur veste eorum Ordinibus decente, suspendi debent ab Ordinibus, officio, Beneficio, ac redditibus beneficiorum; necnon si iamel correcti, iterùm deliquerint, non gestando vestem decentem, privaridebent officiis, & beneficiis. Idem Tridentinum *ibidem* innovans Constitutionem supradictam *Quoniam. Clementis V.* sunt autem vestes decentes illæ, quæ a communi usu, & consuetudine provinciæ, in qua Clerici commorantur, reperiuntur admissæ.

2 Dico secundò: Clerici comam nutrientes ex multorum sententia peccant mortaliter; ut videre est apud Barbosam *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 40. *n.* 9. 10. *&* 11. & excommunicantur *ex cap. Si quis. de Vita, & Honest. Cleric.* quod tamen intelligendum est, si fuerint ter moniti ab Episcopo, & adhuc perstiterint in coma nutrienda. Tunc enim ob contumaciam digni sunt excommunicari, & mortaliter peccant. Ita Sayrus *in Clavi regia. lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 25. & Barbosa citat. *n.* 11. *in fine.* Prohibetur, etiam nutritio comæ *in cap. Clericus. il primo de Vita, & Honest. Cleric.* ubi etiam prohibetur nutritio barbæ, sed hodie quo ad barbam standum est consuetudini regionũ, & constitutioni Pii V. *de Reformat. Cleri Romani.* ubi dicitur, quod a superiori labro eam Presbyteri tondere debent, ne impedimentum afferat ipsis sumentibus sanguinem Christi.

3 Dico tertiò: Bigami vestem clericalem, & Tonsuram deferre prohibentur. *cap. unico. de Bigamis in* 6. nisi dispensentur authoritate Pontificis, ut ad Ordines sacros pro-

Digitized by Google

promoveantur, aut beneficium obtineant.

4 Dico quartò: Clerici conjugati cum unica, & Virgine poſſunt Habitum, & Tonſuram geſtare; imò, ut exercitia minorum Ordinum obeant, ex Tridentino *ſeſſ.* 23. *de Reformat. cap.* 17. *in fine*, & ut Foro gaudeant ex eodem Tridentino *eadem ſeſſ. cap.* 6. debent Habitum, & Tonſuram deferre Clericales.

5 Dico quintò: Clericus domi ſuæ poteſt Habitum dimittere. Nam pœnæ in dicta *Clementina. Quoniam. de Vita, & Honeſt. Cleric.* contra non geſtantes Habitum ſunt contra deferentes publicè alienas veſtes. Item Clericis itinerantibus licitum eſt habere veſtes breviores. *Can. Epiſcopi* 21. *quæſt.* 4. Imò ex declaratione Sacræ Congregationis Epiſcoporum, quam affert Barboſa *n.* 37. poſſunt Clerici mutare Habitum ex cauſa juſta timoris per dictam *Clementinam Quoniam.* ibi: *Niſi cauſa rationabilis.* Atque ita ſuſtinent de Graſſis *effectu* 1. *n.* 1174. & alii adducti ab eodem Barboſa. Denique peccatum eſſe mortale, docent aliqui, Clericum in Sacris, aut in minoribus beneficiatum non deferre Habitum, & Tonſuram; ſed dicendum cum Layman, & aliis. *lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 12. *n.* 3. non eſſe peccatum mortale, niſi adſit contumacia, & contemptus; quibus habitis, ſicut dignus eſt Clericus, ut ſuſpendatur, aut excommunicetur, ita certum eſt, quod mortaliter peccat.

§. SECUNDUS.

DE COHABITATIONE, ET CONVERSATIONE CLERICORUM.

6 Dico primò, quod Clerici in Sacris prohibentur cum mulieribus cohabitare, vel mulieres in habitationes ſuas recipere, & cum ſuſpectis Fœmi-

minis conversari. *Can. Præter hoc. Can. Interdixit. cum sequentibus. dist. 32. Can. 1. dist. 34. cap. Ut Clericorum. de Vita, & Honest. Cleric.* & per totum Titulum *de Cohabitatione Cleric. & Mulierum.* & Tridentinum *sess. 25. de Reformat. cap. 14.* Quænam autem sint mulieres, quæ in Sacris Canonibus appellantur introductitiæ, seu subintroductæ, quas Clerici habere non possunt, explicatur a Doctoribus esse eas, quæ libidinis causâ intus retinentur, idest non in luce, & oculis civium, sed intus in domo, seu ut alii ajunt, sunt mulieres, quæ malam suspicionem ingerunt de se, eo quod sint in puellari ætate.

7 Dico secundò: Clericus concubinarius prohibetur Missam celebrare, ac divina officia peragere. *in Can. Præter hoc. dist. 32.* Item statuitur neminem audire posse Missam Clerici concubinarii *in eodem Can.* & *Can. Nullus. eadem dist.* & ab omnibus eum vitandum esse. Hodie tamen ex Doctorum sententia, quos videre est apud Barbosam *n.* 44. non tenemur vitare Presbyteros, aut alios Clericos in Sacris concubinarios, nisi per Judicem fuerint denunciati, & publicati. Hoc ipsum dicitur *in cap. Ultimo. de Cohabitatione Cleric. & Mulierum.*

Debet Episcopus excommunicare Clericos in Sacris concubinarios, si non se emendaverint post trinam monitionem. *cap. Si quisquam. de Cohabitatione Cleric. & Mulierum.* Item suspendi debent ab officiis. Quod si suspensi, adhuc retinere præsumpserint mulieres, privandi sunt beneficiis. *cap. Sicut. de Cohabitatione Cleric. & Mulierum.* Ex Tridentino autem, (quod hodie servandum est) *sess. 25. cap. 14. de Reformat.* habetur, quod si Clericus sit concubinarius, sive in domo, sive extra domum concubinam retinens, & monitus fuerit ab Episcopo, & tamen non resipuerit, privatur ipso facto tertia parte fructuum beneficiorum, aut pensionum, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut pio loco Episcopi arbitrio applicanda est. Quod si adhuc

Fœ-

Digitized by Google

Fœminam retinuerit post secundam monitionem, amittit omnes fructus, & suspenditur ab officio. Si verò ita suspensus adhuc durat in conversatione ejusdem, vel alterius mulieris, privatur beneficio, & inhabilis fit ad dignitates, officia, & beneficia, ac demum excommunicatur. Ad quas pœnas Episcopus sine strepitu, sed sola facti veritate inspecta, procedere potest. Reliqui autem Clerici non beneficiati juxta qualitatem delicti, & perseverantiam in eo puniri debent carcere, suspensione, aliisque pœnis juxta Sacros Canones.

8 Dico tertiò: permissum est Clericis in Sacris *ex cap. Anobis. de Cohabitatione Cleric. & Mulierum*, cohabitare cum conjunctis in primo, & secundo gradu consanguinitatis, ut mater, avia, amita, ideſt soror patris, matertera, ideſt soror matris, neptis, ideſt filia fratris, aut sororis; quia cum istis nihil mali suspicari potest. Cæterum si cum una ex istis haberetur mala suspicio, neque cum tali habitare licet Clerico in Sacris. *cap. 1. de Cohabitatione Cleric. & Mulierum.* Hoc igitur est discrimen inter consanguineas, & extraneas Fœminas, aut etiam affines, quod per se licet cohabitare cum consanguineis, quanvis per accidens, ideſt in casu malæ suspicionis non liceat. Cum aliis autem eo ipso, quod suspectæ sint, quia juvenes, nullo modo habitare licet. Pirhing *lib. 3. tit. 2. §. 1. n. 3.*

Permittitur item Clericis in Sacris habitare cum Uxoribus filiorum, quos ante ordinationem habuerunt; sicut & cum Uxoribus, aut filiabus fervorum. *Can. Cum omnibus. dist. 81.* & cum noverca, aut nuru, aut uxore fratris defuncti, aut patrui defuncti; cum his enim videtur permitti cohabitatio, si aliunde nulla mala suspicio adsit. Colligitur *ex Can. Interdixit. dist. 32. in fine.* Famulas autem etiam in ætate 40. annorum, non habendas esse censuit Sacra Congregatio Episcoporum, quam re-

Digitized by Google

refert Barbosa *n. 39: dicti lib. 1. Juris Eccles. cap. 40.*

Notandum, quod pœnæ supradictæ non habent locum in Clerico in Sacris, qui semel, aut bis habet consuetudinem cum Fœmina lasciva, sed in eo, qui concubinarius est, idest qui, vel domi suæ retinet Fœminam, tanquam Uxorem, vel extra domum suam cum Fœmina habet consuetudinem assiduam. Pirhing cum aliis loco cit. §. 2. *num.* 13.

Notandum præterea, quod Clerici in minoribus possunt etiam & ipsi compelli ad concubinas dimittendas, quanvis cum de Clericis in Sacris fiat mentio, debeant isti gravius puniri. Ita Abbas Panormitanus *in cap. Si quisquam. de Cohabitatione Clericorum, & Mulierum n. 1.* Pirhing §. 2. *n. 7. ver. Notandum secundò, & n. 8.*

9 Dico quartò: Clerici nefandum sodomiæ scelus committentes deponendi sunt, & in Monasterio ad perpetuam pœnitentiam agendam detrudendi. *cap. Clerici. de Excessibus Prælatorum, & Subditorum.* Item ex Bulla Pii V. quæ incipit *Horrendum. sub die 3. Septembris 1568.* privantur omni officio, beneficio, ac dignitate ecclesiastica, & privilegio Fori, ut dictum fuit suo loco. Hæc autem constitutio habet locum solùm quo ad Forum externum, non autem quo ad Forum conscientiæ, & pœnas illas non incurrit, nisi Clericus exercens sodomiam, idest qui usu quodam continuato tali peccato inquinatur. Ita sustinent Doctores innumeri, quos affert Barbosa *dicto cap. 40. lib. 1. Juris Eccles. n. 49.* & Diana *par. 7. tract. 17. miscell. 3. Resol. 65.* & *a Resol. 61. usque in finem tractatus.* resolvit varias quæstiones circa hanc Bullam.

10 Dico quintò, Clerici nõ possunt interesse conviviis, & conversationibus inhonestis. *cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi*, ibi: *Gulam, & ebrietatem sequi.* Honestis autem conviviis, quæ fiunt charitatis causâ, & dilectionis proxi-

Digitized by Google

simorum possunt interesse. *Can. Convivia.* & *Can. Quando. il primo, & il secondo dist.* 44. Sicut, & illis, quæ fiunt in solemnitatibus Sanctorum, aut anniversariis Defunctorum *Can. Nullus. eadem dist.* 44. & *Can. Nullus. de Consecr. dist.* 5. Videatur Barbosa citatus *a n.* 51. *usque ad* 56. ubi ex Canonibus, & Sanctis Patribus, qua ratione debeant a Clericis honesta convivia fieri exponit.

11 Dico sextò: Clerici non possunt interesse spectaculis, comœdiis, choreis, hastiludiis, & his similibus. *Can. Non oportet. de Consecr. dist.* 5. *cap. Cum decorem. & cap. Clerici officia. de Vita, & Honestat. Cleric. cap.* 1. *Ne Clerici, vel Monachi. & cap. Inter dilectos. de Excessibus Prælatorum, & Subditorum.*

Notandum, quod cessante scandalo, & contemptu, non committit Clericus mortale peccatum, si interest comœdiis ob solam curiositatem, & sine periculo lapsus in repræsentatione rerum turpium. Ita docent plures, quos affert Barbosa *n.* 60. & Diana *par.* 2. *tract.* 17. *miscell.* 3. *Resolut.* 35. ubi ait, quod nunc scandalum cessat; quia Sæculares eodem modo audirent comœdias, si Clerici abessent; & quia jam est frequentissimum, Clericos interesse comœdiis. Item *ad cap. Clerici Officia. de Vita, & Honest. Cleric.* respondent hi Doctores, quod non obliget sub mortali, cessante scandalo, & contemptu. Non desunt tamen alii pii Doctores, qui contrarium existimant & quidem non sine fundamento: cum res sit periculosa, obscœnis interesse comœdiis.

12 Dico septimò: non possunt Clerici adesse choreis mulierum, ne oculi eorum contaminentur ex motibus illarum saltantium: *Can. Presbyteri. dist.* 34.

13 Dico octavò: non possunt Clerici in Sacris ex Bulla Gregorii XIII. quam refert Quaranta *in Summa Bullarii. ver. Torneamenta.* interesse agitationi taurorum. Verùm pro Regnis hispaniarum Clemens VIII. su-

stulit pœnas, & censuras latas contra Clericos in Sacris assistentes talibus ludo tam eorum, exceptis Regularibus omnibus, qui eas pœnas incurrunt. Morentur omnes, ne paterna hac sua benignitate abutantur Clerici seculares in Sacris, aut in dignitate constituti. Hujus Constitutionis tenorem refert Quaranta ubi supra, & de ea agit Diana *par. 11. tract. 4. Resol. 11. ver. & post hæc scripta.*

14 Dico nonò: Clerici non possunt incedere larvati, aut personati. *cap. Cum decorem. de Vita, & Honest. Cleric.* nec eis licet ludere ad aleas, & taxillos. *cap. Inter dilectos. de Excessibus Prælatorum, & Subditorum. cap. Clerici officia. de Vita, & Honest. Cleric.* Concilium Tridentinum *sess. 22. de Reformat. cap. 1.* ibi: *Aleis lusibus. & sess. 24. de Reformat. cap. 12.* ibi *Lusibusq; abstineant.* Procedere hanc prohibitionem in omnibus Clericis, qui sunt in Sacris, aut in minoribus beneficiati, existimant plures Doctores, quos sequitur, & citat Barbosa *n. 66.* Peccant itaque mortaliter Clerici ludentes aleis, aut taxillis in publico, non autem si secreto, & sine scandalo recreationis causâ. Idem Barbosa cum aliis *n. 67.* Alii ludi, quos non sunt illiciti, ut latrunculorum, scacorum non prohibentur Clericis. Idem Barbosa cum pluribus *n. 68. usq; ad 71.*

15 Dico decimò: Clerici non possunt ingredi cauponas, aut tabernas, nisi ex necessitate in longo itinere. *cap. Clerici officia. de Vita, & Honest. Cleric. & in Clerici. dist. 44.* multò minùs licet Clericis Tabernarii officium exercere, Macellarii, aut Carnificis. *Can. Nullo Clerico dist. 44. Clementina 1. de Vita, & Honest. Cleric.*

16 Dico undecimò: Crapulæ, & ebrietates sunt specialiter modo Clericis prohibitæ. *cap. Crapulæ. de Vita, & Honest. Cleric.* & ordinariè prohibetur ipsis alios incitare ad bibendum, vel ad potus æquales cum alio potatore se obligare. Neque debent Clerici scurrilia verba facere. *Can. Clericum dist. 46. & Can. Clericum scurrilem a-*

ca-

Digitized by Google

eadem dist. & cap. unico. de Vita, & Honest. Cleric. in 6.

17 Dico tandem: Clericis prohibita est venatio *cap. Omnibus. de Clerico venatore.* ubi sic: *Omnibus servis Dei venationes, & sylvaticas vagationes cum canibus, & accipitres, aut falcones interdicimus.* Ex quo Doctores, quos refert Barbosa *n.* 79. communiter asserunt non esse prohibitam Clericis venationem recreationis causâ cum silentio, & modestia, sed venationem periculosam, & clamorosam. Neque prohibita est Clericis piscatio, ut volunt multi apud Barbosam *n.* 82. dummodo ipsi artem assiduam piscandi non exerceant.

Notandum, quod ex variis Doctoribus, quos affert Busembaum *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 4. *Resp.* 4. non est mortale peccatum Canonum prædictorum transgressio; nisi adsit temeritas, contumacia, aut scandalum. Neque obstat pœna excommunicationis, aut suspensionis, sub qua multa prohibentur, quia talis pœna est ferenda, & non incurritur, nisi post monitionem; ideoq; semper haberetur temeritas, contumacia, & contemptus, ac proinde peccatum, quando pœna incurritur.

§. TERTIUS.

DE NEGOTIIS, ET EXERCITIIS CLERICORUM.

18 Dico primò: Clericis in Sacris, aut in minoribus Beneficiatis prohibitum est officium Procuratoris, aut Advocati apud Judicem sæcularem exercere. *Can. Nullus.* 11. *quæst.* 1. & *cap.* 1. *de Postulando.* Item argumentum desumitur *ex cap. Magnus. de Obligatis ad rationicinia ordinandis, vel non.* ubi prohibentur Procuratores promoveri ad Ordines ante dimissum officium Procuratoris, si enim promoti possent illud exercere non

prohiberentur ordinari. In causa autem ecclesiastica coram Judice ecclesiastico advocare non prohibentur Clerici, ut asserunt plures Doctores, quos sequitur Barbosa *n.* 84. Procurare verò in quacunque causa, & coram quocunque Judice prohibentur, ait ipse Barbosa. Sed Fagnanus *in cap. Magnus. n. 3. de Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non*; ex aliis Doctoribus ait, quod tum Procuratores, tum Advocati coram Judice ecclesiastico esse possunt.

19 Dico secundò: sunt multi casus, in quibus Clerici in Sacris, aut in minoribus Beneficiati advocare possunt in causa sæculari, etiam coram Judice sæculari. Et primus est in causa propria. Secundus in causa Ecclesiæ suæ. Tertius in causis personarum miserabilium. Ita probatur *ex cap. 1. de Postulando.* & sic resolvunt innumeri Doctores, quos adducit Barbosa *n.* 88. & Fagnanus *in dictum cap. Magnus. n. 2.* Quartus casus est in causa conjunctorum, si alium, & idoneum Advocatum habere non possunt. Ita *cap. finali. de Postulando.* ubi notandum cum Abbate *n.* 4. in dictum *cap. finale.* quod nomine conjunctorum veniunt, etiam conjunctione spirituali conjuncti v. g. Concanonici ejusdem Ecclesiæ, & etiam amici, ut vult Rodericus a Chuna *in Commentario ad Can. Perlatum. n. 2. prope finem. dist.* 88.

Quintus casus est in causis vertentibus in Curia Romana, in qua est consuetudine receptum, quod quisque Clericus non solùm suo nomine, sed etiam alieno, litiget. Sextus, est quando pro uno tantùm negotio advocat Clericus. Nam in dicto *cap. 1. de Postulando*, dicitur: *In negotiis sæcularibus.* ergo in uno tantùm negotio advocare potest Clericus, quo finito, poterit in alio. Ita docent Archidiaconus *in Can. Pervenit. dist.* 86. & alii multi adducti a Barbosa *n.* 88. & Fagnanus *in dictum cap. Magnus. n. 4. de Obligatis ad ratiocinia &c.* ait, quod etiam Pro-

cu-

Digitized by Google

curatores esse possunt Clerici in uno negotio, non autem generaliter in Foro sæculari. Idem dicit *in cap. 1. de Postulando. n. 9.*

20 Dico tertiò: non est prohibitum Clericis in Sacris, aut in minoribus Beneficiatis domi suæ scribere allegationem, aut consilium dare petenti sæculari in causa sæculari. Ratio est, quia prohibitum ipsis est coram Judice sæculari comparere in dicto *cap. 1. de Postulando*: ergo non est prohibitum consilium dare &c.

21 Dico quartò: Clerici in minoribus, qui non habent stipendia ecclesiastica possunt advocare; sicut etiam Clerici in Sacris si non habent unde sustententur. Ratio prioris est: quia in dicto *cap. 1. de Postulando* dicitur *In ordinibus quoque minoribus, si stipendiis ecclesiasticis sustententur*: ergo si non habent stipendia ecclesiastica, non prohibentur advocare. Ita Fagnanus *in dictum cap. 1. de Postulando n. 3.* Ratio posterioris est, quia si potest Clericus in Sacris pro miserabilibus personis advocare, quanvis gratis: quia id ei permittitur ex charitate, ut bene advertit Fagnanus cum aliis *in cap. Multa. n. 5. Ne Clerici, vel Monachi negotiis secularibus se immisceant.* multò magis poterit, ut subveniat propriæ necessitati, & egestati. Atque ita sustinent Hostiensis *in dictum cap. 1. de Postulando. n. 3. & 8.* Abbas *ibidem n. 4.* & Butrius *n. 15.* Gonzalez *ad regulam octavam Cancellariæ. Glossa 2. an. 28.* Fagnanus *in dictum cap. 1. de Postulando n. 4. ver. Contrarium, & melius.* Notat autem idem Fagnanus *n. 5. vers. Contrarium puto verum.* Quod si Clericus in minoribus non Beneficiatus habeat, unde ex bonis patrimonialibus sustentari possit, non licet ipsi Advocati officium agere coram Judice sæculari pro causa sæculari. In causa autem ecclesiastica, quæ potest esse, vel ratione personæ ecclesiasticæ agentis contra laicum, vel ratione delicti, quod est misti Fori, ut sacrilegium, vel ratione rei, de

qua

qui agitur; quia nimirum est res Ecclesiæ, poterit etiam coram Judice sæculari quicunque Clericus advocare, quanvis sit in Sacris, aut Beneficiatus, aut habeat unde vivat, & potest salarium accipere, ut probat textus *in Can. Observandum.* §. *Hoc autem.* 15. *quæst.* 2. & docet Fagnanus citatus *n.* 8.

22 Dico quintò: Clerici in Sacris, aut in minoribus Beneficiati non possunt esse Notarii, seu Tabelliones in negotiis sæcularibus. *cap. Sicut te accepimus. Ne Clerici, vel Monachi &c.* In casu autem hæresis bene esse possunt. *cap. Ut officium.* §. *Ad conscribendas. de Hæreticis in 6.* Similiter in Curia Romana, vel propter tacitum assensum Papæ, vel propter Curiæ dignitatem. Item in Curia ecclesiastica, si Clericus non haberet unde viveret, posset officium tabellionis exercere, ut volunt multi, quos sequitur Barbosa *dicto cap.* 40. *lib.* 1. *Juris Eccles. n.* 97. & *n.* 101. asserit cum aliis, quod in negotiis spiritualibus possunt Clerici in Sacris conficere instrumenta. Clerici verò in minoribus nullum habentes beneficium possunt Tabelliones esse, quia *dictum cap. Sicut te.* agit de Clericis in Sacris, aut in minoribus Beneficiatis, & ita docent plures, quos affert, & sequitur idem Barbosa *n.* 98. Item si Clericus in Sacris egeat, poterit ad sui sustentationem tabellionatus officio uti. Fagnanus *in dictum cap. Sicut te. a n.* 22. *usque ad* 26. *Ne Clerici, vel Monachi &c.* An autem teneant instrumenta facta inter Laicos a Clerico tabellione, dicendum est, quod si ei fuerit a Superiore interdictum officium publicè, itaut ad notitiam Laicorum pervenire potuerit prohibitio, non tenent. Si non fuerit publicè interdictum, tenent. Non obstante *cap. Sicut te.* ita ex pluribus Fagnanus citatus *a n.* 33. *usque ad* 42.

23 Dico sextò: Clerici non possunt testificari in causa civili sæculari sine licentia Episcopi. *Can. Testimonium.* 11. *quæst.* 2. & *Can. Quanquam Sacerdotum.* 14. *quæst.* 2. quæ

li-

licentia solet dari, dummodo Clericus non deponat super articulis concernentibus criminalitatem infamiã &c. & quod juret in manibus personæ ecclesiasticæ, quod si sine licentia Episcopi Clericus coram Judice sæculari testimonium perhibeat in causa civili, valet hujusmodi depositio, quamvis illicita. Ut docet Abbas *in cap. Primum n. 17. de Juramento calumniæ.* & *in cap. Cum nuncius n. 3.* & item Felinus *n. 3. de Testibus, & Accusationibus.* Extra autem judicium, nimirum in contractibus, aut ultimis voluntatibus possunt Clerici esse testes sine licentia Episcopi. Ita Abbas *in dictum cap. 1. n. 17. de Juramento calumniæ.* Farinaceus *in Praxi criminali quæst. 61. n. 79. & 84.* & alii.

24 Dico septimò: Clerici in causis civilibus in locis ubi Jurisdictionem habent, non prohibentur esse Judices, aut Arbitri; debent tamen, qui curam animarum habent talia officia evitare. In causis autem criminalibus nõ possunt ferre sententiam sanguinis. *Can. A quibus. 23. quæst. 8. cap. Clericis.* & *cap. Sententiam sanguinis. Ne Clerici, vel Monachi &c.* Justiciarii autem officium, aut Procuratoris generalis alicujus Principis sæcularem Jurisdictionem habentis non possunt exercere Clerici. *cap. Sed nec. Ne Clerici, vel Monachi &c.*

25 Dico octavò: Clerici non possunt cogi esse tutores. *Can. finali. dist.* 88. Possunt tamen si velint legitimam tutelam suscipere causâ pietatis. *Can. 1. eadem dist.* 88. Item res pupillorum negotiari possunt, non tamen turpis lucri causâ. Barbosa cum aliis *n.* 113.

26 Dico nonò: Clerici mercaturam facere, seu negotiari lucri causâ non possunt. *Can. Negotiatorem. dist.* 88. *cap. Secundùm institutta. Ne Clerici, vel Monachi, &c.* ubi sub interminatione anathematis prohibetur negotiatio. Unde inferunt plures Doctores relati a Barbosa *n.* 114. a Diana *par.* 1. *tract.* 8. *Resolut.* 72. & a Carolo de Grassis

de

de Effectibus Clericatus effectu 3. *n.* 1. *& sequentibus* peccare mortaliter Clericos negotiatores. Negotiari autem dicitur, qui aliquid emit, ut ex venditione illius lucrum referat. Unde non est negotiator Clericus, qui rem emit, ut in novam formam redactam vendat, aut res, quas propter se, & suam familiam emit, deinde, quia diminuta est familia, vel alia ratione vendit pretio currenti, quanvis cariore, ut diximus *cap.* 12. §. 9. *quest.* 6. *n.* 160. *& quæst.* 7. *n.* 164.

27 Dico decimò: neque prohibitum est Clericis non habentibus, unde sufficienter vivant, aliquo honesto artificio victum quærere, ut pingendo, canistros texendo, & similibus, quæ videri possunt apud Barbosam *dicto cap.* 40. *lib.* 1. *Juris Eccles. a n.* 132. *usque ad* 135.

28 Dico undecimò; Clerici non lucri, sed necessitatis causâ, ut scilicet se, suosq; alant, cum aliunde non habeant, unde vivant è beneficiis ecclesiasticis, aut è bonis patrimonialibus possunt negotiationem licitam exercere. Fagnanus *in cap. Sicut te. Ne Clerici, vel Monachi &c. n.* 23. Navarrus *Consil.* 3. *n.* 3. *Ne Clerici, vel Monachi.* Barbosa citato *cap.* 40. *n.* 119. & alii.

29 Dico duodecimò: semel, aut irerum negotiari Clericum non est peccatum mortale. Ita Carolus de Grassis *effec.* 6. *n.* 19. Ugolinus, Salzedo, Diana, & alii, quos affert, & sequitur Barbosa *n.* 120.

30 Dico decimotertiò: Clerici possunt accipere possessiones excolendas, aut eas conducere ad sui sustentationem, & suorum. Argumentum *ex Can. Pervenit. dist.* 86. ubi prohibentur propter lucrum, aut avaritiam esse conductores alienarum possessionum: ergo ut Glossa ait ponderans verbum *Avaritiæ*, propter necessitatem bene possunt. Atque ita docet Fagnanus *in cap. Multa. Ne Clerici, vel Monachi &c. n.* 29. cum Hostiensi, Abbate, & Sylvestro.

31 Di-

Digitized by Google

31 Dico decimoquartò: Clericus bene potest locare animalia sua, ut oves, & boves &c. aut si habeat pascua multa, emere ea animalia, ut ea depascant ad sui, & suorum sustentationem. Ita Barbosa *n.* 123. Fagnanus citatus *n.* 30. Bellettus, Molina, Bonacina, & alii apud ipsos.

32 Dico decimoquintò: licitum est Clericis, proprios agros colere, ut fructus vendant, lapides eruere ex suis prædiis, greges alere in suis fundis, ut lac, & lanam ex suis gregibus vendant. Item vinum proprium minutim vendere, & animalia necessaria ad eorum possessiones excolendas emere, & vendere. Ita Barbosa cum aliis *a n.* 124. *usque ad* 126. ubi refert declarationem Sacræ Congregationis Concilii Tridentini, quam etiam refert Fagnanus *in dictum cap. Multa. a n.* 35. per quam supradictæ nostræ assertiones confirmatæ sunt. Atque hæc quo ad negotiationem.

33 Dico decimosextò: Clericis specialiter interdicta est ars alchimiæ: dixi, specialiter; nam præter pœnas aliis impositas, debent privari beneficiis, & reddi inhabiles ad ea. *Extrau: Spondent inter communes. de Crimine falsi.*

34 Dico decimoseptimò: Monachis professis, & Sacerdotibus sæcularibus, aut Curatis, aut in dignitate aliqua constitutis prohibitum est legibus civilibus, aut medicinæ operam dare in Scholis publicis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. *cap. Cum super specula. Ne Clerici, vel Monachi.* & *cap.* 1. *eodem tit. in 6.* Licentia autem audiendi leges civiles, aut medicinas in Scholis publicis a solo Papa dari potest.

Non incurrunt tamen pœnas, qui privatim Jus cæsareum, aut medicinam audiunt; ut docent plures Doctores, quos sequitur Barbosa *n.* 136. At Fagnanus *in dictum cap. Super specula. Ne Clerici, vel Monachi n.* 17. &

23. sustinet, quod Sacerdotes, & alii Clerici sæculares in dignitate constituti ubivis audiant leges, aut medicinam, etiam in propriis domibus incurrunt pœnam excommunicationis. Religiosi tamen intra claustra audientes non incurrunt, extra verò claustra audientes post duos menses a die exitus, incurrunt; & hoc bene probat *n.* 22. quia Constitutio loquitur de Religiosis exeuntibus ad audiendum leges: ergo cum sit pœnalis non debet extendi ad eos, qui non exeunt è Monasterio. At verò hæc distinctio non potest fieri in Clericis sæcularibus, qui clausuram non habent. Hæc Fagnanus.

35 Dices: non possumus scire Jus canonicum sine notitia Juris civilis: ergo saltem ad hoc, ut studeamus Juri canonico, possumus studere Juri civili.

Respondeo ex eodem Fagnano *n.* 24. *usq; ad* 37. quod studium Juris civilis ad intelligentiam Juris canonici, non est prohibitum, dummodo fiat in camera, & non in Scholis, seu ut clariùs loquar cum eodem Fagnano *num.* 30. *&* 36. & Petro Ancharano super *dictum cap. Super specula. n.* 4. studium privatum non prohibetur, sed auditus in Scholis. Nam Constitutio loquitur de audientibus leges: ergo cum sit pœnalis non debet extendi ad studiũ privatum. Nec obstat, quod in dicta Constitutione dicatur *studeat*, quia *ly*, *studeat*, refertur ad id, quod dictum fuerat in principio per verbum: *Ad audiendum leges*; ideoque significat studere in Scholis audiendo. Atque ideo stat, quod etiam si audire leges a Magistro in camera, & loco privato, juxta doctrinam Fagnani sit prohibitum Sacerdotibus, & Clericis in dignitate constitutis, tamen studere privatim sine auditu, & per se ipsum legibus civilibus, nulli sit prohibitum.

36 Dico decimo octavò: Religiosi, & Clerici in dignitate constituti, & Sacerdotes, qui prohibentur audire in Scholis leges civiles, non prohibentur docere, & legere

Digitized by Google

gere leges, aut medicinam, & quidem quod in propriis Monasteriis non sit prohibitum Religiosis legere, manifestum est; quia *Canon. Non magnopere. Ne Clerici, vel Monachi*; ubi videtur hoc prohiberi, loquitur de exeuntibus extra Monasterium ad legendum. Quod autem extra Monasterium legere non sit prohibitum Religiosis, probatur; quia *in dicto cap. Non magnopere.* ly *Legendas.* sumitur, ut bene probat Fagnanus *n.* 40. *&* 41. cum Abbate Panormitano, & aliis communiter, pro legentibus audiendo, seu addiscendo, non pro legentibus docendo. De Sæcularibus autem Sacerdotibus non loquitur Canon prædictus: ergo si non obstante dicto Canone licitum est Religiosis docere, multò magis sæcularibus Sacerdotibus. Videatur dictus Fagnanus, qui novas rationes addit rationibus Abbatis pro hac conclusione *n.* 42. *&* 43.

37 Dico decimononò: Clericis prohibitum est arma portare sub pœna excommunicationis ferendæ. *cap. Clerici. Il primo de Vita, & Honest. Cleric.* Verùm si adsit justa causa; quia scilicet per loca periculosa iter faciant, possunt ad terrorem latronum arma deferre. Glossa *ver. Clerici. in dictum cap. Clerici.* & Abbas ibi *n.* 8. Carolus de Grassis *de Effectibus clericatus. effec.* 2. *n.* 33. *& sequent.* & alii multi, quos sequitur Barbosa *n.* 139. ubi assignat alias justas causas, nimirum si essent in obsidione, aut haberent inimicitias; an autem de licentia Episcopi possint Clerici arma portare, dictum fuit *cap.* 12. §. 10. *quæst.* 1. *num.* 169.

38 Dico tandem: Clerici non possunt artem joculatoriam, aut scenicam exercere. *cap. unico. de Vita, & Honestate Cleric. in 6.* ubi sic: *Clerici, qui se joculatores faciunt, aut bufones, si per annum artem illam ignominiosam exercuerint, ipso Jure, si autem tempore breviore, & ter moniti non resipuerint, careant omni privilegio clericali.*

Digitized by Google

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

DE REGULARIBUS, ET MONACHIS.

INter Personas Ecclesiasticas, de quibus hactenus locuti sumus, numerantur Regulares omnes, adeoque de his aliqua innuere oportet. Nam de Religiosis Ordinibus, & eorum diversitate, ac institutis, & privilegiis, longum esset pertractare. Videri potest Barbosa *lib. 1. Juris Eccl. cap. 41.* in quo agit eruditè, ut solet, de omnium Ordinum regularium ad hæc usque tempora existêtium distinctione, & institutis. Nos autem breviter de more quæ in titulis de Regularibus, & transeuntibus ad Religionem, & de statu Monachorum, in Decretalibus, sexto, & Clementinis decernuntur, nec non ea, quæ in Decreto de Monachis, & in Tridentino de Regularibus, & Monialibus continentur, restringemus.

§. PRIMUS.

QUID SIT ESSE REGULAREM.

1 DIco primò: Regularis est, qui regulam, & tria vota substantialia paupertatis, & castitatis, & obedientiæ profitetur in Religione approbata a Sede Apostolica. Marcus Antonius Cuccus *lib. 2. Institut. Jur. Canonici. tit. 1.* cum Hostiensi, & Abbate, & Suarez *de Religione tom. 3. lib. 2. cap. 1. n. 1.* Hinc omnes Monachi, qui regulam, & tria vota in Religione approbata profitentur sunt Regulares, non autem omnes Regulares sunt Monachi, quia non omnes vitam monasticam, idest solitariam profitentur, sed vel sunt Fratres, ut Dominicani, Franciscani &c. vel sunt Clerici Regulares, ut Theatini, Jesu-

Digitized by Google

Jesuitæ &c. Nam Monachus est qui insolitudinibus habitat. *Can. Si cupis. 16. q. 1.* & *Can. Blacuit eadem.* Ideoque Monachorum nomine in materia odiosa non veniunt reliqui Religiosi; ut patet in *Clementina 1. de Statu Monachorum*, ubi distinguuntur Monachi a Canonicis Regularibus. In Materia autem favorabili veniunt Monachi sub nomine Regularium. Ita Fumus *ver. Monachis n. 29.* Regularis igitur est nomen generale complectens sub se omnes omnino, qui sub regula approbata communiter, & perpetuò vivunt. Ut videre est in toto titulo de Regularibus, & de Religiosis domibus.

§. SECUNDUS.

QUI FIERI RELIGIOSI PROHIBENTUR?

2 Dico secundò: Præter impedimenta particularia pro qualibet Religione secundùm propriàs constitutiones, dantur impedimenta communia, quibus positis, non potest aliquis fieri Religiosus. Quorum primum est, Ætas minor quatuordecim annorum in masculis, & duodecim in fœminis. *Ex Can. Si in-qualibet. 20. q. 2.* & *Can. Puella. eâdem causâ*, & *quæstione*, & *cap. Ad nostram.* & *cap. Significatum de Regularibus*, & *Transeuntibus ad Religionem*. Nunc autem ex Tridentino *sess. 25. de Regularibus*, & *Monialibus. cap. 15.* non potest fieri professio nisi anno decimosexto completo. & cum idem Tridentinum *cap. 16.* sequenti dicat: quòd post annum novitiatus debet fieri professio, aut fieri novitius Religione, sequitur quod nemo admitti possit ad annum novitiatus ante decimumquintum annum completum, quanvis ad habitum suscipiendum possit admitti. Addit autem Tridentinum, quod nihil intendit innovare, aut prohibere pro Instituto Clericorum Societatis Jesu, in quo

quo quis admitti potest ad Novitiatum de licentia Præpositi Generalis anno ætatis 14. quia tempus Novitiatus est biennium, post quod fiunt vota simplicia, & non professio solemnis, quæ fit anno ætatis trigesimotertio, & Religionis anno saltem decimo completis.

3 Dico tertiò: Servi sine consensu Domini non possunt Religionem ingredi. *Can. Generalis. dist.* 54. *Can. Si quis servum.* 17. *quæst.* 4. Quòd si servus, nesciente Domino, fiat Religiosus, & Dominus intra triennium non reclamaverit, potest in Religione permanere. Si autem Dominus reclamet intra triennium, debet Servus ad Dominum redire. *Can. Siquis incognitus.* 17. *q.* 2. Triennium autem computandum est a die notitiæ habitæ, non a die ingressus in Religionem. Atque ita verius esse putant Sanchez *in Decalogum tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 46. Sayrus *de Censuris lib.* 6. *cap.* 54. *n.* 5. & Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 42. *n.* 4. Quòd si intra illud triennium servus fecerit professionem, hæc erit invalida, sicut est professio conjugis sine consensu alterius conjugis. Atque ita docent Sanchez, & Azorius cum aliis ab ipsis relatis, & Barbosa citatus *n.* 6. *in fine*.

4 Dico quartò: qui est matrimonio copulatus non potest Religiosus fieri sine consensu conjugis. *Can. Sunt qui dicunt.* 27. *q.* 2. & *cap. Cum sis præditus de Conversione conjugatorum.* Quod siquis invitâ, aut ignorante uxore professionem fecerit, tenetur ad nutum illius exire a Religione. *cap.* 1. *de Conversione conjugatorum.* Exiens tamen, & ad uxorem rediens non potest ex vi voti emissi petere debitum, sed solùm reddere. Atque ideò mortuâ uxore, quanvis non teneatur redire ad Religionem; quia professio fuit nulla, tamen servare debet castitatem; quia votum de castitate tenet. Atque ita *ex cap. Quidam intravit. de Conversione conjugatorum* sustinent Doctores citati a Barbosa *n.* 9. & 10. Item mortua uxore, si permanserit

Digitized by Google

ferit in Religione statim professio validatur. Fagnanus cum Innocentio *in cap. Significatum. de Regularibus n.* 46

Quod si, postquam maritus sine consensu uxoris intravit Religionem, uxor fuerit fornicata, non poterit hęc maritum revocare. *cap. Constitutus.* & *cap. Veniens. de Conversione conjugatorum.* Similiter si facta sit infidelis, quanvis deinde revertatur ad fidem, non potest revocare maritum de Religione, nec maritus factus infidelis; quia v.g. ivit ad Turchas potest deinde rediens ad fidem, revocare mulierem de Religione. *cap. finali. de Conversione conjugatorum.*

5 Notandum primò: quod ante consũmationem matrimonii potest vir, etiam invita uxore, Religionem ingredi. *cap. Verùm. de Conversione conjugatorum*, & post viri professionẽ manet uxor soluta, & potest alteri validè nubere. Tridentinum *sess. 24. de Sacramento matrimonii. Can. 6.* ubi deciditur per professionem alterius conjugis dirimi matrimonium ratum nõ consummatum. Datur autem spatium duorum mensium ad hoc ut deliberent, nec possunt cogi intra illud tempus consũmare matrimonium conjuges. *cap. Ex publico. de Conversione Conjugatorum.* Videatur Sanchez *de Matrimonio lib. 2. disp. 24. per totam.* Et ex ipso habetur *n.* 27. quod etiam transacto bimestri, si nondum cõsummatum sit matrimonium potest uterlibet conjux ingredi Religionem, quanvis peccet negando debitum post bimestre.

6 Notandum secundò, quod consensus mulieris, ad hoc, ut vir post matrimonium consummatum ingrediatur Religionem, non debet esse metu, ac vi extortus, aliter mulier repetere potest virum suum, ut ad se revertatur. *cap. Accedens. de Conversione Conjugatorum.*

7 Notandum tertió, quod viro intrante Religionem de consensu uxoris, debet etiam uxor Religionem intrare, nec sufficit votum castitatis emittere. *cap. Ad apostoli-*

Digitized by Google

licam. & *cap. Cum sis. de Conversione conjugatorum.* nisi talis esset, quæ posset sine suspicione in sæculo permanere; quia nimirum senex, & tunc sufficeret continentiam vovere. *dicto cap. Cum sis.* & *cap. Uxoratus.* & *cap. Significavit. de Conversione conjugatorum.* Atque totum debet fieri de licentia Episcopi. Quod si mulier de consensu Viri, Religionem ingreditur, & profitetur, potest Vir in sæculo permanere, si Ordinem sacrum recipiat, qui annexum habet votum solemne castitatis.

8 Dico quintò: habens parentes in extrema, aut gravi necessitate constitutos, quibus manens in sæculo potest subvenire, non potest ingredi Religionem. *Can. Si qui filii. dist.* 30. & quod peccet mortaliter filius relinquēs Patrem, & Matrem in extrema, aut gravi necessitate ingrediendo Religionem docent cum Divo Thoma 2. 2. *quæst.* 101. *art.* 4. *ad quartum.* communiter Doctores. Professio tamen talis Religiosi esset valida, ut docet Suarez *to.* 3. *de Religione lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 1. quanvis deinde posset è Religione exire ad subveniendum parentibus, & postea ad eam revertere. Et de hac licentia exeundi plura dicit Suarez citatus *a n.* 9. *usque ad* 30. Dixi, & manens in sæculo potest subvenire. Nam si in Religione melius, quàm in sæculo posset subvenire, nec peccat intrando, nec potest exire postquam fuerit professus. Videatur Suarez *to.* 3. *de Religione lib.* 5. *cap.* 5. *a n.* 3. *usque in finem capitis.* & *lib.* 6. *citato cap.* 9.

9 Dico sextò: Episcopi, & Prælati majores non possunt sine licentia Romani Pontificis fieri Religiosi. *cap. Licet.* §. *Cum etiam Romanus Pontifex. de Regularibus &c.* & *Can. Temporis.* §. *Item.* & *Can. Hoc nequaquam.* 7. *quæst.* 1. ubi statuitur, quod Episcopus factus Monachus ex concessione apostolica, non possit ad Episcopatum resurgere. Prælati verò minores, nimirum Beneficiati, Canonici, & similes non possunt sine licentia Episcopi Religionem in-

ingredi, nisi talis fuerit divinus instinctus, ut etiam contradicente Episcopo licitus sit Religionis ingressus. Ut habetur *in Can. Duæ sunt.* 19. *quæst.* 2. Beneficia verò, sive Curata, sive non Curata, seu simplicia non possunt alteri conferri, nisi qui causâ Religionis ea reliquit, emiserit professionem. Novitii enim suis Beneficiis privari non possunt. *cap. Beneficium. de Regularibus in 6.* quanvis ex fructibus Beneficii curati debeant assignari ab Episcopo congruæ portiones Vicario ipsius Beneficii. In nostra autem Societate, etiam emissis votis post biennium possunt retineri bona, & Beneficia, quæ in sæculo habebantur; quia per solam professionem solemnem, aut gradum Coadjutoris spiritualis amittitur dominium. Gregorius XIII. in Constitutione, quæ incipit: *Ascendente Domino.* Praxis autem Societatis est, ut finito biennio Novitiatus ex decreto Congregationis quintæ Generalis *Can.* 5. antequam vota simplicia fiant, resignentur Beneficia. Pensiones autem usque ad solemnem professionem, aut gradum Coadjutoris formati retineri possunt, & de licentia Superiorum percipi, & expendi. Videatur Barbosa *a num.* 33. Sanchez *lib. 7. in Præcepta Decalogi tom. 2. cap. 29. n.* 10. & Pirhing *lib. 3. tit. 31. n.* 73.

10 Dico septimò: obligati ad ratiocinia publica, nimirum ad redditiones rationum ex administratione Reipublicæ, non possunt Religionem intrare, nisi priùs absoluti fuerint a dictis ratiocinis. *Can. unico. dist.* 53. Imò ex Bulla Sixti V. quæ incipit: *Cum de omnibus. Kal. Decembris* 1586. etiam obligati ad ratiocinia privata, idest ad redditionem rationum ex administratione rei privatæ personæ, non possunt fieri Religiosi.

Limitandum tamen est in eo, qui sine lite, & gravamine Monasterii, rationes reddere potest. Talis enim non prohibetur intrare Religionem, ut colligunt Doctores ex ista Bulla Sixti V.

11 Dico octavo, qui est oneratus debitis non potest Religionem ingredi antequam solvat, aut satisfactionem det creditori. Argumentum *ex Can. Generalis. dist.* 54. ubi Glossa. *ver. Institutum*, ait: *Praetextu pietatis non est faciendia impietas.* Atque ita cum aliis docet Barbosa *n.* 37.

12 Dico tandem: qui coactus est fieri Religiosus non tenetur servare regulam, & ejus professio est nulla; quia Religiosus fieri debet ex propria libertate, & sine ulla coactione *Can. Praesens.* 20. *quaest.* 3. & *cap.* 1. *de Regularibus.* ubi sic: *Nullus tondeatur, nisi in legitima aetate, & spontanea voluntate.*

13 Hæc sunt impedimenta de Jure communi, præter quæ, habent Religiosorum Ordines pro diversitate Institutorum alia impedimenta, aut impedientia ingressum, aut etiam annullantia professionem, ut in Societate Jesu sunt Homicidium, susceptio habitus in alia Religione, Infamia, Lapsus in hæresim, aut schysma, aut infidelitatem, & morbus capitis inducens carentiam judicii, quæ irritam faciunt professionem, ut habetur in Constitutionibus Societatis *par.* 1. *cap.* 3. *a n.* 2. in quibus impedimentis solus Summus Pontifex dispensare potest, ut habetur in declarationibus *litt.* G.

TERTIUS.

DE ANNO NOVITIATUS REQUISITO ad Professionem validam.

14 Dico primo: non potest hodie fieri professio, nisi post annum Noviciatus ex Trid. supra cit. *sess.* 25. *de Regularibus, & Monialibus. cap.* 15. ideoq; *Can. Ad apostolicam. de Regularibus*, in quo conceditur, quod professio facta de Superioris consensu infra annum probationis tenet, revocatus est, ut bene probat Pirhing

lib. 3. tit. 31. sect. 2. §. 2. n. 35. Item omnia privilegia, quo ad admittendum ad professionem, non peracto novitiatus anno, sublata sunt, ut bene docent plures Doctores, quos sequitur, & refert Barbosa *dicto cap.* 42. *lib.* 1. *Juris Eccles. a n.* 106. *usq. ad* 110. & nulla est professio, si fiat non completo anno probationis.

15 Dico secundo: non est iterandus annus novitiatus, quoties quis fecit professionem nullam, & vult illam ratificare, si ille annus fuit aliàs validus; ideoq; si quis fecit suum novitiatum integrum, & continuum, ex quacunq; causa sit irrita professio, non tenetur eum iterare volens professionem validare. Ita Sanchez *lib.* 5. *in Præcepta Decalogi cap.* 14. *n.* 14. Azorius *par.* 1. *Institut. moral. lib.* 12. *cap.* 11. *quæst.* 6. & alii.

16 Item si quis post annum integrum novitiatus exiit è Monasterio de licentia Superioris causa morbi alicujus v. g. & deinde velit ad idem Monasterium redire, poterit professionem facere, non iterato anno novitiatus. Ita docet Brixiensis, quem sequitur Fagnanus *in cap. Insinuante. n.* 22. *Qui Clerici vel venientes &c.* ubi ait, hanc sententiam verissimam esse, & approbatam a Sacra Congregatione Concilii. Item *in cap. Ad apostolicum. de Regularibus n.* 43. idem ait, posito, quod persona non fit mutata, nec Religio, quod probatur ex Regula, *Eum, qui certus est certiorari ulteriùs non oportet de Regulis. Juris in* 6. Jam enim iste talis expertus est Religionem, & Religio ipsum experta est. Idem dicit *in cap. Qui Presbyterum. de Pœnitentiis, & Remissionibus. n.* 116. *& n.* 117. ait, quod si sine Superioris licentia exiit è Monasterio, poterit deinde sine novo novitiatu admitti ad professionem, si non fuerit conditio personæ mutata &c. atque ita decisum fuisse de quadam puella, quæ post annum novitiatus sine licentia Ordinarii exivit è Monasterio. Idem docet Piringh *lib.* 3. *tit.* 31. §. 3. *n.* 43.

17 Dico tertiò: Moniales novitia ordinis S. Dominici in articulo mortis professionem facere possunt, non completo anno novitiatus, si fuerint in ætate sexdecim annorum, ex indulto Pii V. quod referunt Barbosa *n.* 112. & Fagnanus *in cap. Ad apostolicam. de Regularibus n.* 32. *Numero autem* 33. dicit, quod professio illa valeat quo ad indulgentias lucrandas, non autem quoad successionem Monasterii in bonis illius Monialis, si ea moritur. Unde si ea Monialis convalesceret, deberet, finito anno, iterum profiteri, & hoc probat ex Constitutione Gregorii XIII. quæ incipit, *In tanta. tom. 2. Bullarii novi pag.* 370.

18 Dico quartò: Novitius, qui ante ætatem incepit novitiatum, finito anno, expectari potest, ut compleat annos sexdecim, & professionem facere, neque per hoc ejici debet è Religione. Atque ita censuit Sacra Congregatio Concilii, & docet Fagnanus cum aliis: *in cap. Ad apostolicam. de Regularibus n.* 13. & 14. & Pirhing *lib. 3. tit.* 31. *sect.* 2. §. 1. *n.* 27.

19 Dico quintò: Convertitæ, seu pœnitentes mulieres eo ipso, quod intrantes Monasterium volunt solemniter profiteri, possunt etiam non expleto anno novitiatus; quia quo ad has Tridentinum nil innovavit, ut probant Barbosa *n.* 43. & Fagnanus *in dictum cap. Ad apostolicam. n.* 30.

20 Dico sextò: Annus novitiatus computatur a momento ad momentum, & debet esse continuus, unde si quis emitteret professionem una hora ante completum annum a puncto, in quo fuit ad novitiatum admissus, ea esset invalida; & ita censuit Sacra Congregatio Concilii apud Barbosam *n.* 139. *in fine.* Verum Pirhing citatus *n.* 29. docet, validam esse professionem factam ultimo die anni probationis, licet non sit finita eathora, in qua completur annus computatus a momento ad momentum.

21 Item si quis interrumperet annum exiens è Monasterio animo deserendi Religionem, aut dimisso habitu, eti-

etiamsi post horam pœniteret, & vellet iterum intrare, deberet novitiatum inchoare; ita docent communiter Doctores, quos citat Barbosa *a n.* 118. *usq; ad* 125. & Fagnanus *in cap. Insinuante. Qui Clerici, vel voventes. n.* 33. & Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 15. *n.* 6.

Non interrumpitur autem annus quoties quis de licentia Superioris, retento habitu, ex causa justa egreditur è Monasterio, & post aliquot dies, aut etiam menses revertitur; atque ita docent graviſſimi Doctores, quos sequitur Barbosa *a n.* 125. *usq; ad* 130. & Fagnanus *in dictum cap. Insinuante. n.* 25. qui *a n.* 38. *usq; ad* 41. variis rationibus probat, valere professionem illius, qui de licentia Superioris exivit è Clauſtris tempore novitiatus. Nam nullibi Jure cautum est, quod debeat novitius manere per totum integrum annum intra clauſtra. Item ubivis de licentia Superioris sit Monachus, semper fingitur esse intra clauſtra. Unde nisi habeatur peculiaris constitutio, quod neque de licentia Superioris possit novitius extra clauſtra manere, malè probatur nullitas professionis per hoc, quod quis cum consensu Superioris dormierit extra clauſtra tempore novitiatus; sed debet probari, quod sine licentia id factum sit, & cum animo deserendi Religionem, qui præsumi potest, dum sine licentia factus est exitus a clauſtris, aut ostendi debet, quod in ea Religione sit illa constitutio, quod novitius, neque de licentia Superioris possit extra clauſtra dormire.

22. Dico septimò: Non potest totus novitiatus fieri extra clauſtra post Tridentinum, quia novitiatus est institutus, ut novitius probet Religionem, & hæc illum; *cap. Ad apostolicam. de Regularibus*: ergo si ille non fuerit intra clauſtra, nec ipse probavit Religionem, neque hæc illum: ergo talis non fecit novitiatum: ergo cum ex Tridentino invalida sit professio sine novitiatu, sequitur, quod si quis suscipiat habitum regularem extra Monasterium, &

in illo nunquam maneat, non possit professionem facere? Atque ita docet ex multis Fagnanus *in dictum cap. Insinuante. n.* 41. & Pirhing *loco cit. n.* 28. Imò ex Bullis Clementis VIII. *super receptionem novitiorum, institutionem, & professionem. tom. 3. in Bullario novo pag.* 130. irritæ sunt professiones, & receptiones novitiorum factæ extra Conventus designatos ad novitiatum. Videri potest Fagnanus *in dictum cap. Insinuante. Qui Clerici, vel voventes. a n.* 44. *usq; in finem* & item *in cap. Perlatum. de His, qui vi, metusve causa fiunt. n.* 53. ubi numerat Religiones, quæ non comprehenduntur in dictis Bullis Clementis VIII. Jesuitæ enim, aliique Religiosi ubivis emittere possunt professionem.

23 Non est autem necessaria ad valorem novitiatus, susceptio habitus regularis, sed potest in habitu sæculari peragi, spectatâ rei naturâ, & per se loquendo; & defacto nostri Novitii in habitu sæculari incipiunt novitiatum. At ex consuetudine Religionum, & ex verbis Tridentini *sess.* 25. *de Regularibus. cap.* 15. dicentis *Post susceptum habitum in probatione steterit*, videtur, quod in talibus Religionibus sit necessaria susceptio habitus regularis. Pirhing *loc. cit. n.* 29.

24 Dico tandem: infra annum novitiatus liberum est novitio exire è Religione. *cap. Consulti. de Regularibus.* nec potest cogi ad professionē finito tempore novitiatus; sed si nolit professionem emittere, ejiciendus est juxta Trid. *cap.* 16. *sess.* 25. *de Regularibus.* Dicitur tamen in dicto *cap. Consulti*, & *cap. Statuimus. de Regularibus.* & *cap. Non solum. eodem tit. in* 6. quod si Novitius habuerit propositum mutandi vitam, ideſt fecerit votum de Religione; non enim possunt Canones loqui de nudo proposito, sed de eo cum implicita, & virtuali promissione firmato, quod habet rationem voti, ut volunt Sayrus *in Clavi regia. lib. 6. cap. 2. n.* 28. & Sanchez *de Matrimonio lib. 9. disp.*

Digitized by Google

disp. 33. n. 19. quos sequitur Barbosa n. 174. dicitur, inquam, quod finale propositum, quod habeat rationem voti de Religione, fecerit Novitius, non potest exire a Religione, ut maneat in sæculo, sed debet ad aliam Religionem, etiam si laxiorem, transire; si tamen quando intravit Religionem, non habuit illud propositum mutandi vitam cum promissione firmatum, sed intravit, ut experiretur vitam religiosam animo eam sequendi, si placuerit; poterit ad sæculum redire.

25 Hinc non potest a Novitio exeunte Religio exigere alimenta; quia aliter ille non esset liber ad exeundum; & insuper omnia, quæ sua erant, debent Novitio exeunti restitui; nec renunciatio, nec donatio facta a Novitio causâ professionis, quæ ex Tridentino debet fieri infra duos menses proximos professioni cum licentia Episcopi, vel Vicarii, tenet, nisi secuta professione. Tridentinum *dicto cap. 16.* Barbosa cum aliis multis *n.* 176. & 177. unde dos Novitiæ jam soluta Monasterio, detractis victu, & vestitu, seu alimentis solitis solvi a Monialibus Monasterio, si ea moritur infra tempus novitiatus, debet restitui hæredibus. De modo faciendæ renunciationis juxta dictum Ttidentinum a Novitio ante professionem videri potest Barbosa *a n.* 224.

26 Præterea quando, quis sine consensu parentum, intravit Religionem, si est in ætate legitima, non potest a parentibus impediri. Tridentinum *sess. 25. de Regularibus cap.* 18. Poterit tamen si est impubes, idest in ætate minori 14. annorum si est masculus, & 12. si est fœmina a parentibus revocari intra annum. *Can. Si in qualibet. 20. quæst.* 2. etiam si filius, vel filia fecerit votum de Religione. Nam vota ista in puerili ætate a parentum voluntate pendent. Si tamen infra annum parentes non reclamaverint (annum, inquam, computandum a die scientiæ habitæ de ingressu filii) non possunt amplius filium revo-

revocare. *cap. Si quis ante annos. de Regularibus &c.* Sicut ipse filius, si per vim intravit in Religionem, & deinde professionem fecit, & infra annum nec ipse reclamavit nec ejus parentes, debet in Religione permanere ex vi supradictorum Canonum. At nunc ex Tridentino quinquennium conceditur ad reclamandum, etiam post professionem, de quo infra. Reclamare, dixi, possunt parentes, ideſt recurrere ad Superiorem, ut ipsis reddatur filius, vel filia. Superior autem *in dicto Can.* dicitur Princeps, ideſt Episcopus, vel missus Dominicus, ideſt Vicarius, non autem possunt per vim extrahere filium è Religione, propria authoritate. *dicto cap. Si quis ante annos. de Regularibus.* Pirhing cum aliis multis *lib. 3. tit. 31. sect. 2. §. 4. n. 50. v. Notandum secundò.*

27 Denique quoties parentes offerunt filios, aut filias impuberes non reluctantes Religioni, debent isti in Religione permanere, quando autem ad pubertatis annos pervenerint, possunt ex sua libera voluntate ad sæculum redire, nec possunt cogi a parentibus ad Religionem, imò ex Tridentino excommunicantur quicunque puellas, vel Viduas coegerint in Monasterium intrare. *sess. 25. de Regularibus cap. 18.* at verò si filius, vel filia habentes usum rationis, sed ante pubertatem fuerint invitis in Religionem ingressi, quia scilicet oblati, & traditi a parentibus Religioni, ipsis filiis reluctantibus, possunt illi, etiam ante pubertatem egredi è Religione, & non tenetur permanere usque ad pubertatem: quia sicut professio requirit spontaneam voluntatem, ita etiam ingressus in Religionem, qui est dispositio ad illam, & se habet, sicut Sponsalia ad matrimonium. Et ideo sicut sponsalia a parentibus facta sunt irrita, si impuberes tacitè, vel expressè non consenserint. *cap. unico. de Desponsatione impuberum. in 6.* ita & ingressus in Religionem nullo modo obligat in ea permanere, si factus est sine consensu tacito,

cito, vel expresso. Hinc viceversa si parentes tacitè consenserunt in filiæ, vel filii impuberis ingressum voluntarium in Religionem, eos revocare non possunt. Videatur Pirhing *dicto lib. 3. tit. 31. sect. 2. §. 4. per totum.*

§. QUARTUS.

DE ALIIS REQUISITIS AD PROFESSIONEM VALIDAM.

28 PRæter annum novitiatus modo explicatum, & ætatem sexdecim annorum, & liberum consensum profitentis, & carentiam impedimentorum supradictorum requiritur ad professionem validam authoritas Superioris, ut scilicet fiat de licentia Superioris habentis potestatem admittendi ad professionem in manu ejusdem, vel alterius ab ipso deputàti. *cap. Ad apostolicam. de Regularibus &c.* ibi: *Abbate per se, vel per alium professionem recipiente.* & *cap. Porrectum. eodem tit.* ibi: *Votum emittitur, & recipitur ab Abbate.* & ita docet in dictum *cap. Porrectum* Innocentius *n.* 5. Joannes Andreas n. 4. Hostiensis *n.* 13. Abbas *n.* 10. Ancharanus a *n.* 3. & alii. Atque ita in propriis constitutionibus cujuscunque Ordinis regularis statuitur: imò præter consensum Superioris requiritur consensus majoris partis Conventus, exceptis illis Religionibus, in quibus ex privilegio Sedis Apostolicæ solus consensus Superioris sufficit, ut est in nostra Societate, in qua solus Præpositus generalis admittit ad professionem. Hinc non potest Episcopus propria authoritate Monachum ad professionem monasticam admittere; quia hodie non est Superior Monachorum, cum jam sint exempti ab ejus Jurisdictione; ideoque si antiquitus poterat, ideo erat, quia de Jure communi antiquo omnia Monasteria subdita erant Episcopis.

Digitized by Google

29 Notandum hic est, quod non potest Superior eum, qui ingressus est Religionem in statu laicali, admittere ad professionem Clericorum ex Bulla Clementis VIII. supra citata *de Receptione novitiorum*. Professus autem laicus de licentia Generalis, & consensu Clericorum Conventus transire potest ad statum Clericorum, & quidem sine novo novitiatu. Bordonus *in lib. Controversiarum Moral. controv. 9. de Fratribus conversis a n. 7. usq; ad 11.*

30 Notandum quo ad ætatem, quod in illis Religionibus in quibus ob statutum speciale professio fieri non potest, nisi anno decimo octavo, aut vigesimo adhuc si fiat decimosexto anno completo, erit valida; & ita sustinent Doctores, quos sequuntur Barbosa *a n.* 140. & Fagnanus *in cap. Cum Presbyterum. n.* 85. *de Pœnitentiis, & Remissionibus*. & in nostra Societate si quis ante 33. annum fecerit professionem, dummodo habeat vigesimumquintum, erit valida; licet esset graviter puniendus. Ita *in Decreto 33. Congregationis octavæ Generalis*. Dixi, dummodo habeat vigesimumquintum annum; quia *par. 1. cap. 2. §. 12. Constitutionum* talis ætas requiritur; sicut & Sacerdotium *cap. 1. §. 8. Examinis*.

Item si quis ante decimumsextũ annum fecerit professionem dummodo fuerit in ætate quatuordecim annorum completorum, & duodecim si fuerit fœmina, sufficit ut deinde quando erit in ætate sexdecim annorum professionem ratificet, aut expressè in manu Superioris, aut tacitè, exercendo scilicet de consensu Superioris actus proprios Professorum. Non enim est necessaria expressa ratificatio, nisi fuerit professio facta ante pubertatem. Ita Pirhing *lib. 3. tit. 31. sect. 3. §. 4. n.* 17. Debet autem scire nullitatem suæ professionis ille, qui eam ratificat; cum enim incogniti nulla sit voluntas, non potest voluisse validam facere professionem, qui eam nescivit irritam esse. Non tenetur autem in conscientia ratificare professionem,

Digitized by Google

sionem, si nolit, sed potest suam nullitatem ostendere, & eâ probatâ, exire. Pirhing *loco cit. n.* 148.

31 Notandum etiam quo ad liberum consensum, quod metus reverentialis erga parentes, qui jubent, aut precantur, ut filius, vel filia fiat Religiosus per se solum non irritat professionem, sed requiritur ut imperium, aut preces fuerint sæpius repetitæ, & importunæ, & accesserit timor malæ tractationis &c. Videatur Sanchez *lib.* 4. *Moral. disp.* 7. *n.* 5. & 7. Lessius *lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 35. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 5. *n.* 6.

32 Requiritur præterea ad valorem professionis, ut non fuerit error, vel ignorantia circa substantialia Religionis tam ex parte Profitentis, quàm ex parte Admittentis. Talis enim error tollit liberum consensum. Secus autem est, si error sit circa accidentalia; quia tunc adest consensus sufficiens. Unde est, quod non est irrita professio ejus, qui tacuit se habere morbum gallicum, vel similem, quanvis si aperuisset, non fuisset ad professionem admissus; quia tale impedimentum non est irritans professionem; unde ejus ignorantia in admittente ad professionem non est substantialis. Ita Pirhing ex aliis *lib.* 3. *tit.* 31. *sect.* 3. §. 4. *n.* 121. Nec potest expelli talis professus a Religione, nisi adhibitis remediis per annum non curaretur morbus. Tunc enim ob periculum infectionis aliorum, & ob culpam deceptionis, expelli potest. Castropalao. *par.* 3. *disp.* 2. *pun.* 2. §. 2. *n.* 4.

§. QUINTUS.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT PROFESSIO.

33 Dico primò: Professio est actus non merè humanus, sed sacer, & Religiosus, quo homo voluntarie se tradit Deo in Religione approbata quoad

Digitized by Google

certum modum, seu institutum vivendi, editis tribus votis castitatis, paupertatis, & obedientiæ, interveniente acceptatione Prælati regularis, qui dictam traditionem nomine Dei acceptet. Colligitur talis descriptio ex huc usque dictis, eamque tradit ex Patre Suarez, Pirhing. *tit. 31. lib. 3. sect. 3. §. 1. n. 94.*

34 Nota, quod strictè sumpta professio requirit, quod tria dicta vota sint solemnia, idest irrevocabilia ex parte profitentis, & Religionis acceptantis; latè tamen sumpta professio bene habetur pro traditione personæ per vota dicta, sive ea sint simplicia, sive solemnia, pro ut fiunt in Societate Jesu post biennium novitiatus, quæ vota licèt ligent emittentem, non tamen Religionem, quæ solùm tunc ligatur, quando fit professio per vota solemnia ab eis, qui habent requisita ad dictam professionem juxta Constitutiones Societatis. Nos autè hìc loquimur de professione strictè sumpta. Verum tamen est, quod in ordine ad effectus professionis, exceptis irrevocabilitate, & incapacitate dominii, vota simplicia Societatis post biennium paripassu currunt ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: *Ascendente Domino.*

35 Dico secundò: Professio duplex est tacita, vel expressa: Professio expressa est, quæ signis externis sive verbis, sive scripto, sive nutibus fit. Servanda tamen est consuetudo Ecclesiæ, qua professio scripta publicè legi solet, ut de ea constet; & in Societate nostra est essentiale professioni solemni, ut in scriptis fiat, & publicè legatur coram testibus, ut habetur *in Declarationibus Constitutionum par. 5. cap. 3. litera A.* Forma verò profitendi varia est, juxta varietatem Religionum. Quandoque enim tria dicta vota exprimuntur, quandoque sola obedientia exprimitur secundùm regulam, & per ea verba *secundùm regulam*, castitas, & paupertas intelliguntur.

36 Dico tertiò: Ad valorem professionis expressæ

non

Digitized by Google

non est necessaria susceptio habitus professorum; quia habitus non facit Monachum, sed professio regularis. *cap. Porrectum. de Regul tribus &c.* Unde qui Monachi nō sunt, & se habitu Monachos fingunt, corrigi debent, & compelli, ut vel Monachi veri sint faciendo professionem, vel habitum dimittant. *cap. Ut Clerici de Regularibus &c.*

37 Dico quartò: Professio expressa valida est si per Procuratorem fiat, nisi constitutio Religionis oppositum statuat. juxta *cap. Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. de Regulis juris in 6.* Professio autem non invenitur excepta ex hac regula. Pirhing *lib. 3. tit. 31. sect. 3. §. 2. n. 100.*

38 Dico quintò: Valida est professio facta sub aliqua conditione non repugnante statui religioso v.g. qua quis dicit voveo &c. si meus pater consentiet infra octo dies, qua conditione verificata, tenet professio, non verificatâ autem, non tenet. At verò si professus dicat: voveo paupertatem &c. sub conditione, quòd possim mea bona retinere, & de illis disponere sine licentia Superioris, professio erit nulla: quia sic deficeret consensus in contractu. Talis enim non vellet vovere paupertatem religiosam. Atque ita docet Barbosa *lib. 1. Juris Eccl. cap. 42. n. 150.* cum aliis, & Pirhing citatus *n. 101.*

39 Dico sextò: Valida est professio facta in lecto, aut alio loco extra Ecclesiam, aut Monasterium; sicuti etiam tempore matutino, aut vespertino; quia circumstantiæ loci, & temporis sunt valde extrinsecæ professioni. Ita Abbas *in cap. Sicut. n. 3. de Regularibus &c.* Similiter si quis sit morti proximus dummodo sanum judicium habeat, validè profitetur.

40 Dico septimò: Professio tacita ex Sacris Canonibus tribus modis fieri potest. Primo si quis sciens, & sponte habitum proprium professorum patenter distinctum ab habitu novitiorum per triduum gestet. *cap. Ad nostram de*

Digitized by Google

de Regularibus &c. & cap. Is, qui eodem tit. in 6. Est habitus patenter distinctus, quoties est diversus in extrinseca forma; quòd si suscipiatur post annum probationis talis habitus professorum, non requiritur ut per triduum gestetur, sed sufficit ad inducendam tacitam professionem, per quam obligatur suscipiens manere in Religione, ut illum habitum suscipiat. *cap. Ad nostram. de Regularibus. & cap. Constitutiones. eodem tit. in 6.* juxta Glossam *ver. Infra probationis annum.* cum hoc autem discrimine, quod qui infra probationis annum habitum professorum patenter distinctum suscipit, obligatur ad Religionem in genere, hanc scilicet, vel illam, qui autem post novitiatus annum ad eam in specie, cujus habitum suscipit.

41 Secundo modo fit tacita professio per gestationem anno integro, & continuo habitus in Religione, in qua non datur habitus novitiorum patenter distinctus ab habitu professorum, dummodo *iste talis*, qui habitum gestat sit in ætate quatuordecim annorum completorum. *cap. Ex parte. de Regularibus. in 6.* Hodie, ut mox dicam, non sufficit ætas predicta.

42 Tertio modo fit tacita professio, quoties quis gestans habitum professorum exercet actus proprios illorum e. g. dat suffragium in capitulo. Et talis ipso facto censetur professus, nec admitti potest ad probandum oppositum. *cap. Vidua. de Regularibus &c.*

43 Est hic notandum primò, quod dicitur tacita professio, non quia habetur sola taciturnitas; hæc enim non sufficit, quia in præjudicialibus taciturnitas non habetur pro consensu. Glossa *in Regula. Is, qui tacet. de Regulis Juris in 6.* sed quia habetur aliquis actus positivus, qui vel ex rei natura, vel Juris dispositione significat consensum. Et talis est actus gestandi habitum professorum patenter distinctum, aut gestandi per annum habitum communem novitiis, & professis, aut exercendi actiones professorum proprias.

44 No-

Digitized by Google

44 Notandum secundò quod ad validitatem hujus tacitę professionis requiritur, ut actus iste, ex quo significatur cōsensus, fiat authoritate Superioris potētis admittere ad professionem. Nam si professio expressa nō tenet, nisi fiat in manu Superioris &c. multò minus tacita. Sufficit autē ut Superior potens admittere ad professionē videns illum actū, nimirum gestationē habitus &c. patiatur eum.

45 Dico tandem: per Concilium Tridentinum non sunt sublatæ professiones tacitæ, sed solùm, ut valeant, requiritur annus completus novitiatus, & ætas 16. annorum completorum. Unde si quis hodie novitiatus anno peracto in ætate 16. annorum gestet habitum professorum patenter distinctum, aut actum proprium professorum exerceat &c. cum aliis omnibus conditionibus prædictis, nulla intercedente protestatione in contrarium, debet censeri tacitè professus.

Similiter si Monialis aliqua post completum annum novitiatus, & in ætate 16. annorum gestet velum nigrum, non contradicente Abbatissa, & ipsa puella non se protestante, quod nolit professionem facere, censeri debet tacitè professa. Ratio est, quia casus omissus manet in dispositione Juris antiqui: ergo cum Tridentinum nihil dixerit de tacita professione, & solùm assignaverit ad valorem professionis annum novitiatus, & ætatem 16. annorum, manet tacita professio quo ad alia, ut erat in Jure antiquo. Imò stante dicto Concilio non requiritur perseverantia in gestatione habitus professorum per triduum, prout requirebatur in Jure antiquo, quoties, aut actus professorum exercebatur sine susceptione habitus professorum, aut solus habitus suscipiebatur sine exercitio actus: quia nunc si peracto anno probationis, quis, aut suscipit habitum professorum, aut actus proprios illorum exercet, jam satis ostendit se habere animum profitendi. Ita Fagnanus *in cap. Vidua. n.* 20. & *cap. Ad nostram n.* 5.

Digitized by Google

n. 5. & 6. de Regularibus. Pirhing *dicto* §. 3. *n.* 115.

§. SEXTUS.

DE EFFECTIBUS PROFESSIONIS VALIDÆ.

46 Dico primò: primus effectus professionis validæ est dirimire matrimonium contrahendum; ita ut professus nulliter contrahat. Tridentinum *sess.* 24. *de Sacram. matrim. Can.* 9. Videbimus infra, an Papa possit in hoc dispensare. Item effectus professionis est dirimere matrimonium contractum, nondum consummatum juxta ea, quæ superiùs diximus ex eodem Tridentino *ibidem Can.* 6.

47 Dico secundò: secundus effectus professionis validæ est solvere omnia vota simplicia, & juramenta ante professionem edita. *cap. Scripturæ. de Voto, & Voti Redemptione.* Argumentum *ex ipso Can.* & Glossa *ibidem*: quia non est reus fracti voti, qui votum in melius commutat, & magis servire videtur, qui temporale servitium, quale esset executio sui voti simplicis, commutat in perpetuum, quale esset votum solemne in Religione.

Solvitur etiam votum, quo quis promisit, se ingressurum in talem Religionem, & deinde ingressus in aliam laxiorem, in hac professus est: quia votum solemne, quod est majus vinculum, solvit minus, quod est votum simplex; peccavit tamen ille, qui certam Religionem strictam vovit animo in eam intrandi, & in ea perseverandi, si deinde in laxiorem intravit, & in ea professus est, quia non adimplevit id, quod promisit. Manet autem, ut dictum est, solutus ab eo voto simplici, & debet in Religione, in qua professus est, manere. *cap. Qui post votum. de Regularibus in 6.* & ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 189. *art.* 8. *ad* 3. Sanchez *lib.* 4. *Moral. cap.* 16. *n.* 16. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 6. Pi-

Digitized by Google

6. Pirhing *lib. 3. tit. 31. sect. 3. §. 7. n. 139.* Dixi animo in ea perseverandi. Nam si solùm vovit Religionem strictam animo intrandi, ut eam experiretur, non peccavit profitendo in laxiore. Ita Layman cit. *n.* 7. & Sanchez *loco cit. n.* 18. & alii.

48 Dico tertiò: Per professionem validam filiusfamilias liberatur a patria potestate, & transit omnino in potestatem Superioris regularis, non tamen liberatur a patria potestate in iis, quæ in damnum ipsius Religiosi cederent, sed in iis, in quibus utile est ipsi liberari: quia quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. *de Regulis Juris in 6.* Atque ita docent cum multis Barbosa *dicto capite 42. lib. 1. Juris Eccles. n.* 201. & Pirhing *supra cit. n.* 141. Eandem prærogativam habent vota simplicia nostræ Societatis post biennium; quia militat eadem ratio, ut bene ait Sanchez relatus a Barbosa, & suadet Constitutio Gregorii XIII. supradicta, per quam declarantur dicta vota simplicia efficere verum Religiosum, non minus ac professio in aliis Religionibus.

49 Dico quartò: Per professionem tollitur irregularitas ex defectu natalium, quo ad Ordines sacros suscipiendos, non autem quo ad Prælaturas, & Dignitates *cap. 1. de Filiis Præsbyterorum ordinandis, vel non.* Barbosa ex aliis, *n.* 187. & 188. Nec obstat Bulla Sixti V. contra illegitimos. Nam eam reduxit Gregorius XIV. in Bulla, quæ incipit, *Circumspecta* ad terminos Juris. Addit Barbosa cum aliis, quod non solùm ipsa professio religiosa sine alia dispensatione tollit irregularitatem ex defectu natalium, quo ad Ordines sacros suscipiendos, sed etiam quo ad usum illorum jam antea susceptorum: ita ut siquis sine dispensatione super illegitimitate fuerit ordinatus & deinde professionem fecerit, poterit non solùm ad alios Ordines promoveri, sed etiam exercere illum susceptum sine alia dispensatione.

Digitized by Google

50 Dubitatur autem, an ille qui vota post biennium emisit in Societate Jesu, & per ea fuit absolutus ab irregularitate ex defectu natalium, si deinde dimittatur a Societate reincidat in irregularitatem: sicut reincidit ille, qui professionem annullat, ut resolvit Riccius *In Praxi Resol. 311.* Est tamen dicendum, quod dimissus è Societate post vota biennii emissa, maneat solutus ab irregularitate, & promoveri possit ad Ordines sacros, & exercere si quos habet. Ratio est, quia talis dispensatio concessa est ipsi Religioso in præmium actus Deo gratissimi, quo sæculo renunciavit, qui actus suum effectum jam sortitus est, quanvis deinde a Religione dimittatur ille Religiosus. Ita Suarez, Sanchez, Sanctarellus, & alii, quos citat, & sequitur Barbosa *n. 192.*

Dixi, Professionem, vel vota Societatis post biennium, de quibus jam notavi, quod faciant eosdem effectus, ac professio, exceptis irrevocabilitate, & incapacitate Dominii, tollere irregularitatem ortam ex illegitimitate quo ad Ordines sacros; nam quo ad Dignitates, Beneficia curata, quo ad successionem in bonis paternis, vel irregularitatem ex crimine, non tollit professio. Possunt tamen, ut diximus *cap. 6. de Abbatibus. §. 2. n. 16.* de consensu Capituli Generalis, vel Provincialis illegitimi professi legitimari quo ad dignitates in Religione.

51 Dico quintò: Professus fit habilis ad actus temporales, ad quos erat inhabilis v. g. qui erat ineptus ad testificandum, eo, quod damnatus fuerat perjurii, aut furti, potest, si professus sit, testificari. Ita Glossa *in cap. Cum deputati. de Judiciis. §. Nationis. in fin.* Felinus *ibi n. 2.* Rebuffus *in Praxi Beneficiorum. titulo. de Dispensationibus super defectu natalium n. 72.* & alii.

52 Dico sextò: Per professionem tollitur macula ingratitudinis, per quam filius exhæreditari poterat; ita per textum *in Can. Non liceat. 19. q. 3.* resolvunt innumeri

Do-

Doctores, quos affert, & sequitur Barbosa *n.* 203. & 204.

53 Dico septimò: Per professionem amittitur Dignitas Nobilis sæcularis v. g. Ducatus, Comitatus &c. & etiam Dignitas Ecclesiastica v. g. Episcopatus, Cardinalatus &c. Glossa *in Can. Scripsit. 27. quæst. 2. ver. Dignitates.* & *Can. Hoc nequaquam. 7. quæst. 1.* Non autem amittitur Nobilitas familiæ, quia hoc est jus quoddam sanguinis incommutabile. Ita decidit Rota Romana, quam adducit Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 12. n. 13.*

54 Dico octavò: Per professionem tollitur facultas testandi: quia Religiosus professus non habet amplius Dominium. *Can. Quia ingredientibus. cum sequentibus. 19. quæst. 3.* & est communis sententia, nullum esse testamentum professi, ut videre est apud Barbosam *n.* 205. & apud Suarez *tom. 3. de Religione par. 2. lib. 8. cap. 16. n. 1.* ubi tamen *a n. 2. usque ad* 8. notat, posse Patrem, qui antequam divideret bona filiis, emisit professionem, facere distributionem, quæ est quoddam testamentum; cum sit ultima voluntas per mortem civilem confirmata. Legatur ipse.

Nec sufficit licentia Superioris ad testamentum faciendum, sed requiritur licentia Papæ. Idem Barbosa cum pluribus *n.* 209. & 213. & Suarez *loco cit. n.* 8. Qui Authores sustinent, Papam dare posse talem licentiam. Nomine testamenti, quod facere non potest professus, veniunt etiã Codicilli, & Donationes causâ mortis. Ita cum aliis pluribus idem Barbosa *n.* 210. Neque Religiosus professus factus Episcopus potest testari de bonis patrimonialibus, aut propriâ industriâ acquisitis; quia quidquid ex paterna hæreditate acquisivit, dum erat Religiosus, Monasterio acquisivit. Monasterium enim succedit loco Religiosi professi in omnibus, in quibus alioqui debebat succedere Religiosus, exceptis Fratribus Minoribus de observantia, Cappucinis, & Religiosis Societatis Jesu, in quibus statutum est, ut Religio non succedat in bonis loco profes-

Digitized by Google

sorum. De eo autem, quod suâ industriâ, & ex bonis Episcopatus acquisivit, aut jam factus Episcopus ex hæreditate paterna, acquisivit Ecclesiæ suæ, & de illis solam administrationem habet. *Can. unico.* 18. *quæst.* 1. ideoque testari non potest de his; quia administratio morte finitur: ergo disponere non potest de illis, ut est necessarium ad testamentum, quod incipit valere post mortem. Atque ita docent D. Thomas 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 8. *ad* 3. aliique plures, quos refert Barbosa *n.* 211. Unde est, quod Episcopus Religiosus professus solùm ex licentia Summi Pontificis testari possit.

55 Notandum, quod Commendatarii, quibus est permissum matrimonium, quales sunt Equites Sancti Jacobi, Calatravæ &c. testari possunt tum de bonis patrimonialibus, tum de acquisitis ex Commenda. Ita Molina *de Justitia, & Jure. tract.* 2. *disp.* 604. *in fine*, & alii, quos refert Barbosa *n.* 220. Equites autem S. Joannis Jerosolymitani, seu Melitenses, qui sunt in toto rigore Religiosi, & professionem solemnem faciunt, non possunt testari, nisi secundùm quantitatem, quam eorum regula a Sede Apostolica approbata concedit de licentia magni Magistri.

56 Eremitæ autem, & oblati, qui nullam professionem fecerunt, sicut, & Novitii in quacunque Religione, & Jesuitæ post vota biennii, nondum solemniter professi possunt testari cum consensu Superioris, qui in Jesuitis requiritur, ut infra dicemus, non ad validam, sed ad licitam dispositionem. Ratio est, quia per susceptionem habitus Eremitici, vel Religiosi, aut per Oblationem, qua se, & sua merè offerunt Oblati Religioni, non amittitur dominium, sicut neque per vota biennii a Jesuitis, ut toties dictum est.

57 Dico nonò: Per professionem ligatur Professus Religioni, & hæc illi; & ideo Professio est irrevocabilis, & pa-

Digitized by Google

& parit vinculum indissolubile, & quidem ex parte Professentis, quia facit donationem sui Religioni; donatio autem revocari non potest invito Donatario. Ex parte verò Religionis est etiam vinculum insolubile, quia Professio est contractus mutuus oneroſus, per quem Religioſus se obligat ad serviendum Religioni, & hæc ad illum alendum, & regendum; ideoque nec Professus deserere potest Religionem, nec Religio propria voluntate dimittere Professum, nec de utriusque libero consensu dissolvi potest vinculum prædictum. Ita Suarez *tom. 3. de Religione lib. 6. cap. 15. n. 2, 3, & 7.* hanc irrevocabilitatem non habent vota Societatis post biennium, ut toties dictum est, quia Societas non ligatur, & ideo ex parte ipsius solvi potest vinculum votorum.

58 Notandum primò, quod Papa potest dispensare in Professionis vinculo, & facere, ut Professus non sit ampliùs Religioſus, nec votis Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ astrictus. Probatur: ex eo, quia sæpius Papæ dispensarunt, & quia potestas Summi Pontificis solvendi tradita a Christo est universalissima. Ita Suarez *dicto lib. 6. cap. 16.* & *cap. 17. n. 7.* Sanchez *lib. 8. de Matr. disp. 8. n. 7.* Guttierrez *de Matrim. cap. 123. n. 2. & lib. 1. Canonic. Quæstion. cap. 17. n. 5.* Pirhing *lib. 3. tit. 31. sect. 3. §. 8. n. 144.* & alii communiter contra D. Thomam 2. 2. *quæst. 88. art. 11.* Requiritur autem gravissima causa, ut Papa dispenset cum Professo, ne sit amplius Religioſus, & matrimonium contrahat; qualis esset Regni alicujus pax, & quies, quæ oriretur ex eo Matrimonio, ut etiam dicemus de Ordinato in Sacris. Videatur Fagnanus *in cap. Cum ad Monasterium. de Statu Monach. a n. 56. usque in finem.* ubi eruditè tractat hanc quæstionem, an scilicet Papa possit dispensare in voto Castitatis solemni, & *n. 69.* refert, Cælestinum III. dispensasse cum Costantia Moniali Professa filia Rogerii Siciliæ

ciliæ Regis, quæ fuit uxor Henrici VI. & peperit Federicum secundum.

59 Notandum secundò, quod Episcopatus, aut Cardinalatus non tollit vinculum Professionis, ideoque Professus factus Episcopus, aut Cardinalis, manet Religiosus, & votis obligatus; nam quo ad Continentiam est certum; quo ad Obedientiam, licèt eximatur ab Obedientia Superioris Religiosi propter ejus dignitatem, tamen manet astrictus speciali modo ad obediendum Papæ; qui est supremus Generalis omnium Religiosorum. Quo ad paupertatem, est etiam manifestum, quia non fit Dominus bonorum Ecclesiasticorum; sed solùm administrator; & quanvis possit factus Episcopus succedere in bonis Paternis *ex can. unico. 18. quæst. 1.* tamen de illis disponere non potest, sed Ecclesiæ suæ acquirit illa, ut dictum est supra. Et constat ex eodem *Can. unico. decimæ octavæ Causæ. quæst. 1.*

Non tenetur autem Religiosus Episcopus ad alias observantias regulares, imò neque ad alia vota, quæ præter tria consueta, in aliquibus Religionibus emittuntur. Quod ipsum dicam inferius de Ejecto. Unde Episcopus ex Ordine Minimorum S. Francisci de Paula, non tenetur ad vitam quadragesimalem. Ita Sanchez *in Decal. lib. 6. cap. 6. n. 15. & 20. in fine* cum aliis. Oppositum sustinet Peyrinus *tom. 1. de Subdito. quæst. 4. cap. 2.* sed ratio pro nostra sententia est efficax, quia certum est apud Theologos, & Canonistas, quod mutatâ notabiliter materiâ voti, ad minus suspenditur obligatio, si non extinguitur; sed in casu nostro est notabiliter mutata materia voti, quia Episcopo incumbit onus gubernandi Diœcesim, & satisfaciendi Subditis, quod onus non potest sine gravi incommodo sustineri ab eo, qui cibis quadragesimalibus vescitur, ut est manifestum omnibus, qui in Curia versantur implicati negotiis. ergo licitè potest

Epi-

Episcopus ex Ordine Minimorum vesci carnibus. Nec valet responsio Peyrini dicentis, quod in Episcopo, non solùm non est mutata voti materia, sed reddita est facilior, quia lautiùs, & abundantiùs vesci potest cibis quadragesimalibus. Non valet, inquam, quia non quantitas, sed qualitas cibi facit ad rem nostram, cum ciborum quadragesimalium abundantia aggravet, non reficiat Caput, quo valere debet, qui toti Diœcesi præest, & curis per maximis consumitur. Neque vires sufficientes ad regendos Religiosos, sunt etiam sufficientes, præsertim in ætate matura, in qua solet esse Episcopus, ad gubernandam Ecclesiam.

60 Notandum tertiò, quod ex Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 19. conceditur quinquennium ad reclamandum adversus Professionem invalidam, quo elapso Professus audiri non potest; ut autem legitimè reclamet, debet primò non deserere habitum, nec recedere a Monasterio cum habitu, nisi esset hoc necessarium ad reclamandum. Secundò debet coram suo Superiore, & coram Episcopo, vel eius Vicario, in cujus Diœcesi est Monasterium, reclamare, ita ut copulativè requiratur Superior Regularis, & Ordinarius loci ad declarandam Professionem nullam. Tertiò, quod non sit elapsum quinquennium, quod tamen secundùm aliquos computatur a die Professionis, secundùm alios, tamen a die quo Professus advertit nullitatem suæ Professionis; unde probare debet se non potuisse infra quinquennium a die Professionis ratificare illam, aut reclamare, quia ignoravit nullitatem ejus, & quoties hoc probat, audiri potest etiam elapso quinquennio post emissam Professionem. Ita Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 6. Castropalao *disp.* 2. *pun.* 7. *n.* 5. Navarrus *lib.* 3. *Consilior. Consil.* 23. *n.* 3. *de Regul.* Pirhing *loco citato sec.* 3. §. 10. *n.* 153. Attamen solus Papa, & non alii Judices, ut ait Cardinalis de Luca *disc.* 41.

de

de Regul. n. 12. concedere potest restitutionem in integrum contra quinquennium lapsum, idest quod non obstante quinquennio elapso, possit Professus audiri de nullitate suæ Professionis (restitutio enim in integrum est prioris status, vel Juris, aut etiam audientiæ redintegratio,) nisi impedimentum sit notorium facti permanentis, ita ut nulla sit quæstio, an tale impedimentum existat, vel non existat, cum ad oculum pateat. In tali enim casu, etiam post quinquennium proponi potest tale impedimentum. Ita Zengerus Bernardus Van Espen *par. 1. tit. 27. cap. 6. n. 6.* & alii.

61 Notandum quartò, quod Conjux, qui ante matrimonium consummatum ingressus est Religionem, & in ea Professione fecit, non potest reclamare adversus invalidam Professionem; tum quia si audiretur, & declararetur nulla Professio, sequerentur gravissima incommoda; deberet enim ad matrimonium redire, & Conjux, qui manens in seculo aliud matrimonium inivit, deberet hoc secundum matrimonium annullare cum perturbatione totius parentelæ &c. tum quia talis Conjux, qui voluit Religiosus fieri post matrimonium ratum non consummatum, non potest dicere se metu, ac vi fecisse Professionem, aut in ea non consensisse, quia sponte sua voluit, & Conjux alter expectavit toto anno noviciatus, quo tempore poterat redire ad matrimonium; tum denique, quia Tridentinum concedens quinquennium ad reclamandum, non videtur concedere illud tali conjugi, quia concedit, ut Conjux manens in sæculo possit post annum noviciatus, & Professionem hujus, qui voluit fieri Religiosus, matrimonium alterum contrahere. Addo, quod causa nullitatis Professionis est gravissima, & pro validitate ejus est respondendum, præsertim quoties coram Superiore Regulari facta fuit post explorationem voluntatis profitentis, & examen super impedimenta, ut

no-

Digitized by Google

notat Pignatelli *tom. 9. Consult. 181. n. 1. 2. & 3.*

62 Dico tandem: per Professionem Religiosam remittitur tota pœna debita in Purgatorio pro peccatis commissis ante illam, si Religiosus profitens sit in gratia; quia homo dum se, & omnia sua Deo offert, & consecrat, facit quantum potest, & ideo plenè satisfacit. Atque ita docent communiter Doctores, & SS. PP. quos affert Barbosa *n. 179. & 181.* unde dicitur professionem æquari Baptismo, quo ad hanc vim remittendi pœnam Purgatorii omnibus peccatis debitam.

§. SEPTIMUS.

DE IIS, AD QUÆ TENENTUR RELIGIOSI, aut ipsis prohibentur.

63 Dico primò: Tenentur Religiosi ad omnia, quæ supra diximus *cap. 13. de Pertinentibus ad vitam, & honestatem Clericorum*; sunt enim ipsi etiam Clerici, cum sint addicti cultui divino.

Præterea tenentur ex vi propriæ professionis progredi in via perfectionis, per observantiam votorum, & Regularum; unde qui frequenter, & ex consuetudine violat Regulam, peccat mortaliter, quia constituit se in statu, quo ut incorrigibilis sit expellendus. Similiter Nostri, qui post vota biennii pravis moribus dimissionem è Societate de industria quærunt, peccant, & sunt votis obstricti cum tota dimissione obtenta. Ita Lessius *lib. 2. cap. 40. dubit. 15.* Sanchez, Layman, & alii, quos sequitur Busembaum *lib. 4. cap. 1. dub. 3. n. 8.*

64 Specialiter tamen tenentur ad habitum proprium gestandum *cap. Deus qui. & cap. penult. de Vita, & honestate Cleric. & in Clement. Ne in agro. §. 1. de Statu Monachorum. & Clement. Exiui. de Verb. signif.* Insuper ex Tri-

Digitized by Google

dentino *sess. 25. de Regul. cap. 19.* non possunt dimittere habitum, aut occultè eum deferre, ideſt sub aliis vestibus, itaut dignosci non possit a videntibus.

65 Dico secundò: Tenentur ad silentium in Dormitorio, Refectorio, & Choro, & certis horis in Claustro. *cap. Cum ad Monasterium. de Statu Monachorum.* Atque hoc hodie intelligitur juxta propriam Regulam.

66 Item ad Chorum obligatur Communitas, non verò singuli, ita ut semper debeat haberi Chorus, at non hic, vel ille Monachus in singulari obligatur interesse Choro. Utrum autem, qui non est in Sacris, nec habet ex vi Regulæ præceptum recitandi horas Canonicas, teneatur sub mortali recitare illas privatim, quando abest a Choro, dicetur infra cum de Monialibus *§. ultim. n. finali.*

67 Dico tertiò: Non possunt Regulares arma tenere sine licentia Superiorum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. *Clement. Ne in agro. §. Quia verò. in fine. de Statu Monach.* & sustinent Suarez *de Censur. dis. 23. sec. 5. n. 8.* & alii, quos adducit Barbosa *cap. 43. lib. 1. Juris Eccles. n. 30.*

68 Dico quartò: Regulares non possunt admittere fœminas intra Claustra, etiamsi fuerint Marchionissæ, Ducissæ, aut Comitissæ. Ex Bulla Pii V. incipiente: *Regularium personarum. 13. Octobris* 1566. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ reservatæ Papæ. Item ex Bulla Gregorii XIII. incip. *Ubi gratiæ. Idibus Junii* 1575. ubi declaratur, incurrere pœnas illos Regulares, qui prætextu facultatum concessarum a Sede Apostolica faciunt fœminas ingredi suos Conventus, aut Monasteria. Quod quidem intelligitur intra septa, seu intra loca, quæ sunt sub Clausura, non autem in alia, quæ a Clausura distinguuntur. Videatur Barbosa citatus *a n. 34.*

69 Notandum primò, quod ob aliquam gravem necessitatem potest introduci fœmina in Dormitorium Religio-

Digitized by Google

ligiosorum, v. g. ob curandum Religiosum, qui non potest descendere in Ecclesiam, potest admitti fœmina, quæ sit unicè illius infirmitatis apta Medica; aut si aliqua fugeret persequentes eam ad mortem; nam Summi Pontifices loquuntur, de iis Religiosis, qui præsumunt fœminas introducere in Claustra.

70. Notandum secundò, quod Episcopo intrante Clausuram processionaliter, vel ad consecrandam Ecclesiam, quæ in Monasteriis est intra Clausuram, vel Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum conducendo, possunt mulieres simul cum Processione euntes intrare, non autem si peractum sit officium. Ita ex aliis Barbosa *n.* 37.

71. Notandum tertiò, quod Reginæ, Imperatrices, & earum Filiæ, & Ancillæ, quas secum deferunt, adhuc sine alio Privilegio intrare possunt in Monasteria Virorum. Ita Joannes a Cruce, Suarez, Bonacina, & alii apud Barbosam *n.* 38.

72. Dico quintò: Regulares non possunt sine licentia suorum Superiorum addici servitio Principum, aut Regum, ita ut extra Claustra vivant ob serviendum illis, etiamsi serviant in prædicando, docendo, aut alio opere. Ita *Clement. Ne in agro. §. Quia verò. de Statu Monach.* & Trident. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 4.

73. Dico sextò: Regulares non possunt a Claustris recedere sine licentia sui Superioris, etiam prætextu recurrendi ad alios suos Superiores. Tridentinum *ibidem.* ubi etiam ait, quod Regularis sine licentia in scriptis sui Superioris extra Claustra repertus, possit ab Episcopo puniri tanquam desertor sui Instituti. Docent autem plures Doctores, quos sequitur Barbosa *dicto cap.* 43. *lib.* 1. *Jur. Eccles. n.* 40. quod quando a Superiore locali iniquo vexatur Religiosus, non facit contra Tridentinum, si sine illius licentia recedit a Conventu, ut adeat Provincialem. Exire autem è Conventu vel recreationis causâ, vel ex

Digitized by Google

alio honesto fine, neque possunt Religiosi sine petita benedictione a Superiore, & sine socio assignato. Videatur Van Espen *par. 1. tit. 27. cap. 4. a n. 5.* ubi ostendit ex antiquis Monachorum Regulis, Monachos associatos debere exire; & *n. 8.* etiam posteriores Religiosorum Ordines id præscripsisse.

74 Dico septimò: Regulares non possunt esse Advocati, aut Procuratores, nisi simul habeantur & utilitas Monasterii, & licentia Superioris. *Can. Monachi. il secondo 16. q. 1.* Potest autem ipse Superior advocare, aut procurare pro suo Monasterio; si enim Subdito dare potest eam licentiam, multò magis poterit & ipse. Item pro miserabilibus personis tuendis, aut pro Conjunctis indigentibus potest Religiosus advocare. Item quando plures Monachi accusant Abbatem vel alio modo sit causa communis, poterit constitui unus Procurator. Ita ex variis textibus, & Doctoribus Barbosa *a n. 44. usq; ad 47.*

75 Dico octavò: Non possunt Religiosi esse Arbitri sine Superioris licentia, & utilitate Monasterii. Potest tamen ipse Superior esse Arbiter; nec possunt sine Superiorum licentia testificari in judicio. Testes autem instrumentarii, idest qui scribuntur in aliquo contractu, possunt esse Religiosi sine licentia Superioris, quia id non prohibetur, nec per hoc subjiciuntur Jurisdictioni alienæ, sicut si essent testes in judicio. In testamentis verò necessariam esse licentiam Superioris, ut testes scribantur Religiosi, docent plures, quos refert Barbosa *n. 53.* Sanchez autem *in Decal. tom. 2. lib. 6. cap. 13. n. 108.* vult, quod tale testamentum, in quo Religiosus sine licentia sui Superioris fuit testis, non possit impugnari.

76 Dico nonò: Religiosi non possunt artem Chirurgiæ, cum incisione, vel adustione exercere. *cap. Tua nos. de Homic.* quæ prohibitio extenditur ad omnes Clericos in Sacris, ita ut tam Monachus, quàm Clericus in Sacris

artem

Digitized by Google

artem Chirurgiæ exercentes, etiamsi sint periti, & diligentiam adhibeant, si ex adustione, aut incisione sequatur mors infirmi, fiant irregulares, excepto casu necessitatis infirmi, quando scilicet non adest alius Chirurgus. Ita Sanchez dicto *tom. 2. in Decalogum. cap. 44. lib. 6. a n.* 157. Thesaurus *de Pœnis Ecclesiasticis cap. 1. Verbo Chirurgiæ arte.* Pignatelli *tom. 4. Consult.* 124. *n.* 1. 2. & 3. Fagnanus *lib. 5. cap. Ad audientiam. n.* 41. & 42. *de Homicidio.* Suarez *de Censuris disp.* 45. *sec.* 6. *n.* 10. & 12. & alii.

77 Similiter artem medicam neque possunt Religiosi exercere, neque Clerici in Sacris, nisi tempore necessitatis, aut causâ pietatis erga miserabiles personas, & dummodo non sit mortis periculum. Sanchez *ibidem n.* 18. & 19. & Molina *tom. 4. de Justitia, & Jure. tract.* 3. *disp.* 75. *n.* 6. quamvis excuset Medicos Clericos in Sacris ab irregularitate, si præter intentionem, & absque ulla sua culpa, mortem alicujus accelerent, aut dent applicando medicinam, tamen concludit, quod viri timorati non solent munus Medici exercere, nisi priùs obtenta a Summo Pontifice facultate, ac dispensatione in ea parte, qua posset haberi dubium culpæ saltem venialis ipsius Medici, ex qua secuta sit mors infirmi, quia in tali dubio habendus esset Medicus pro irregulari. Jesuitæ autem ex concessione Gregorii XIII. ut habetur *in Compendio Privilegiorum Societatis Verbo. Medici.* possunt de licentia Superiorum suorum exercere artem medicam citra adustionem, & incisionem faciendam per se ipsos.

78 Dico decimò: Religiosi non possunt esse Tutores testamentarii, aut dativi, idest constituti Tutores a Judice. *Can. Finali. dist.* 86. & *Authentica. de Sacrosanc. Episcop.* §. *Deo autem amabilis. collat.* 9. Possunt autem, si velint, suscipere tutelam personarum miserabilium, sed non dativam, Glossa *in dictum Can. Finalem, & Can.* 1. *dist.* 88. Non tenentur tamen personarum miserabilium suscipere

tute-

tutelam, ut aliqui putant, quia nec in dicto *Can. Finali* habetur verbum, ex quo possit talis obligatio deduci, nec videtur quomodo Religiosi, qui nec bona ulla possident, nec ulli obligationi pro tutela administranda subjacent, possint ad id obligari. Ita Sanchez *dicto tom. 2. in Decal. lib. 6. cap. 14. n. 26.* cui adhæret Barbosa *cap. 43. n. 57. in fine lib. 1. Juris Eccles.*

79 Dico undecimò: Religiosi non possunt fidejubere, nisi de licentia Superioris, & majoris partis Capituli, nec mutuum ab aliquo accipere in quantitate excedente illam, quæ constituatur communi providentia Capituli. *cap. Quod quibusdam. de Fidejussoribus.* Nec creditor potest suam pecuniam, quam dedit mutuam, aut pro qua Religiosus fidejussit, exigere a Monasterio, nisi probet in utilitatem Monasterii fuisse conversam. Præterea si Religiosus fidejubet sine licentia Superioris, & majoris partis Conventus, nulla est fidejussio, quamvis Clerici, quibus etiam prohibetur fidejussio. *cap. 1. de fidejussor.* si fidejubeant, maneant obligati. *cap. 2. eodem tit.* & ratio discriminis est, quia Clericus habet suorum bonorum dominium; Religiosus autem nihil habet proprium, nec Conventus, nisi consenserit, debet obligari. Ita Sanchez *dicto cap. 14. n. 41. ver. Sed dicendum.* & alii, quos sequitur Barbosa *n. 58. & 59.* Pirhing *lib. 3. tit. 22. §. 2. n. 16.*

80 Dico duodecimò: Regulares non possunt esse executores testamentorum sine licentia sui Superioris obtenta. *cap. Religiosus. de Testam. & ultim. Volunt. in 6.* & *Clement. unica. eodem tit.* Fratres autem minores, neque de Superioris licentia possunt esse executores ultimarum Voluntatum. *Clement. Exivi. §. Proinde. ver. Cumque dicti Ordinis Professores &c. de verb. Signif.* Rodericus *in Compendio quæstionum Regularium. Resol. 135. n. 17.* Permissum tamen est illis electiones Pauperum facere; v. g. si Testator vult pecunias distribui Pauperibus egen-

gendis per Fratres minores, quia hæc electio est potiùs quid facti, quàm Juris. Et ita docent Emmanuel Rodriquez *quæst. Regular. tom. 3. quæst. 70. art. 2.* & alii plures apud Barbosam *n. 71.*

81 Dico decimoquartò: Regulares ratione voti paupertatis non possunt aliquid proprium, aut peculium habere, sed omnia debent tradere Superiori, & incorporare Conventui. *cap. 2. de Statu Monach.* & *cap Cum ad Monasterium. eodem tit.* quod si quis Professus reperiatur in morte habere peculium, ut proprium, debet privari Ecclesiastica Sepultura, & sepeliri in Sterquilinio cum ipsa pecunia. *eodem cap. Cum ad Monasterium. de Statu Monach.*

Religiosi igitur Professi nihil sine licentia Superioris donare, aut accipere possunt. Ipse autem Superior tantùm donare, aut accipere potest, quantùm suis Subditis donandum, aut accipiendum concedere potest. Peccat tamen Superior si bona Conventus aliter donet quàm Ordinis Regula, aut Consuetudo permittit, aut Superioris majoris voluntas. Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 7. n. 10.* cum aliis.

82 Utrum autem de licentia Superioris possint Professi peculium habere, aut administrationem bonorum immobilium amovibilem ad nutum Superioris, est valde controversum post Tridentinum, quod *sess. 25. de Regul. cap. 2.* statuit sic: *Nemini igitur Regularium, tam Virorum, quam Mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuiq; incorporentur, nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, aut commendam*

83 Placet sententia eorum, qui volunt, posse Superiorem concedere alicui Religioso, (licèt non sit Officialia

lis Ordinis, cui ab ipso Tridentino conceditur) administrationem bonorum immobilium ad nutum ipsius Superioris amovibilem, sicut etiam peculium moderatum ad usus honestos, & ad nutum ipsius Superioris reddendum. Item concedere aliquos redditus annuales ad victum, & vestitum, ita ut, si Religiosis aliquid superfit, possint ipsi aliis usibus applicare. Ratio est, quia Tridentinum nihil novi addidit supradictis Canonibus, sed eos confirmavit, ut probant Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 22. n. 11.* Miranda *in Manuali Prælat. to. 1. quæst. 28. art. 8.* Navarrus *in Comment. 2. de Regul. n. 15. & 18.* ergo si illi Canones loquuntur de proprio, quod habeat Religiosus, & de peculio sine licentia Superioris, restat, quod id, quod non ut proprium, sed dependenter a voluntate Superioris habeatur, non sit prohibitum. Atque ita sustinent innumeri Doctores, quos citant, & sequuntur Barbosa *n. 74.* quorum opinionem ipse ait veriorem, & Diana *par. 1. tract. 6. Resol. 32. de Paupert. religiosa.* Et de Monialibus, quod possint redditus vitalitios habere ad proprias necessitates sublevandas, dummodo de licentia Abbatissæ expendantur; & quod per hoc non controveniant ipsæ Tridentino, probat idem Barbosa ex aliis Doctoribus *n. 80.* quia Tridentinum loquitur de redditibus, ut propriis, & irrevocabilibus per Prælatum, & sine ejus licentia distrahendis. Hanc sententiam admittit, etiam ut probabilem Pirhing *lib. 3. tit. 35. §. 1. n. 6. ver. Contrarium tamen.*

84 Notandum, quod Nostri post vota biennii, quia adhuc retinent dominium suorum bonorum, quamvis peccent si utantur illis bonis sine licentia Superioris, aut de eis disponant, tamen dispositio, quam faciunt, valida est. Layman *lib. 4. trac. 5. cap. 7. n. 3. ver. Cæterum.* cum Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 18. quæst. 2.* quamvis Molina *tom. 1. de Justitia. trac. 2. disp. 139. ver. Illi, qui.* oppositum teneat. 85 Ce-

Digitized by Google

85 Cæterum, quæ ad Paupertatem religiosam spectant, videri possunt apud Theologos, & præcipuè apud Suarez *de Religione tom. 3. par. 2. toto lib. 8.* videri etiam possunt Diana *par. 1. trac. 6. per totum.* Layman *lib. 4. trac. 5. per totum cap. 7.* & Thomas Tamburinus *in Decal. lib. 8. trac. 1. cap. 2. §. 5.* & Cardinal. Delugo *tom. 1. de Justitia, & Jure disp. 3. sec. 7. & 8.*

86 Dico decimoquartò: Religiosi non possunt sibi eligere Sepulturam, sed in suis Monasteriis sunt tumulandi, nisi fortè moriantur, ita remotè a Monasterio, ut in illud deferri nequeant. *cap. Religiosi de Sepult. in 6.*

87 Dico decimoquintò: Religiosi non possunt sub pœna excommunicationis è Monasterio exire sine licentia Superioris data cum Consilio majoris partis Conventus ad audiendas lectiones, non solùm medicinæ, aut Juris Civilis, quæ sunt ipsis aliunde prohibitæ, sed etiam Theologiæ. *cap. Ut periculosa. Ne Cler. vel Monac. in 6.*

88 Dico decimosextò: Religiosi sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ non possunt accedere ad Curias Principum animo nocendi suis Prælatis, aut Monasteriis. *Clemen. Ne in agro. de Statu Monach. §. Quia verò.*

89 Dico decimoseptimò; tenentur Religiosi ex vi voti obedientiæ suo Superiori obedire, ita ut possint inobedientes, aut incorrigibiles excommunicari, & è Monasterio expelli a Prælato. *cap. Cum in Ecclesiis. de Majoritate, & obed.* & *cap. Cum ad Monasterium. de Statu Monach.* nec facilè possunt appellare. *cap. Reprehensibilis. de Appellat.* nisi quoties Prælatus excedit limites Regulæ in correctione. *cap. De Priore. eodem tit.* Solùm tenentur Religiosi obedire Prælato juxta Regulam, & intra limites illius, prout comprehendit omnia, quæ ad ejus observantiam, vel necessaria sunt, vel utilia, aut convenientia, non autem in jis, quæ sunt omnino supra Regulam.

Digitized by Google

Unde non potest Superior obligare Subditos ad insolitas austeritates. Ita Suarez *tom. 3. de Relig. par. 2. lib. 10. cap. 8. n. 5. & sequentibus.* De potestate autem Superioris Regularis in suos Subditos, jam locuti sumus. *cap. 6. §. 6.* de potestate Abbatis *a.n. 43.* & videri potest Van Espen *par. 1. tit. 31. cap. 3. 4. & 5.* Reliqua quæ ad votum obedientiæ spectant videri possunt apud Suarez loco citato *per totum lib. 10.* aut etiam apud Van Espen *tit. 28. per totum.*

90 Dico decimooctavò: ex Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 14.* possunt Religiosi etiam exempti, & viventes intra Claustra, sed extra ea notoriè delinquentes puniri ab Episcopo, quoties Superior Regularis instante Episcopo, illum delinquentem intra tempus ab ipso Episcopo præfixum non punierit. Videatur Emmanuel Rodericus *Quæstionum regularium to. 2. quæst. 2. art. 6.* & *quæst. 63. art. 4.* Barbosa. *de Offic. & Potest. Episc. par. 3. alleg. 105. a.n. 18.* & *in Collectaneis ad cap. ultimum n. 8. de Statu Monach.* & Fagnanus *in cap. Grave. de Offic. Ordinarii n. 69.* & *in cap. Quod super his. de Major. & Obedien. n. 21.* & *in cap. Tuarum. de Privileg. n. 42.* ubi notat tria, supradicta debere copulativè concurrere, ad hoc, ut Episcopus possit punire Religiosum delinquentem, nimirum, & quod delictum sit notorium, & scandalosum, & quod sit commissum extra Claustra, & quod Superior Regularis monitus ab Episcopo non punierit intra tempus præfixum, illum delinquentem.

91 Dico decimononò: tenentur Regulares, etiam exempti accedere ad Processiones publicas, & consuetas, aut pro bono publico indictas ab Episcopo ex Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 13. ver. Exempti autem omnes.* Monachi verò, qui extra Civitatem habent Monasterium per medium milliare distans, non tenentur, nec ab Episcopo compelli possunt ad Processiones. Barbosa cũ aliis.

n. 167.

n. 167. nec Religiosi Societatis Jesu ex Constit. Gregor. XIII. incip: *Quæcunque. in Bullar. nostro. tom. 2. pag. 404.* neque alii Religiosi habentes idem Privilegium.

92 Controversias autem de præcedentia in Processionibus inter Regulares, componere debet Episcopus, ex eodem Trid. *dicto cap. 13.* Videatur Barbosa *a n.* 177. qui plures Authores citat agentes de materia præcedentiæ & *a n.* 181. varia Decreta Sacræ Congregationis circa dictam præcedentiam affert.

93 Dico 20. prohibentur omnes Religiosi cogere quenquam, vel inducere ad promittendum, ut apud eos eligat Sepulturam. *Clemen. Cupientes. §. finali. de pœnis.*

94 Dico 21. prohibentur Religiosi usurpare sibi decimas debitas Ecclesiis, & ad eos legitimè non spectantes. *Clemen. de Decimis. cap. 1.* & item prohibentur in prædicationibus, aut Confessionibus retrahere fideles a solutione decimarum. *cap. 1. De Decimis. in 6.* & *Clemen. Cupientes. de Pœnis.*

95 Dico 22. non possunt Regulares prædicare in alienis Ecclesiis sine licentia Episcopi. Trid. *sess. 24. de Reform. cap. 4.* In Ecclesiis autem suorum Ordinum sufficit, ut ab Episcopo accipiant benedictionem, & habeant licentiam a propriis Superioribus, ex Bulla Gregor XV. *incip. Inscrutabile. nonis Februarii* 1622. Id ipsum statuitur in Bulla Clementis X. *incip. Superna. 11. Kalendas Julii* 1670. ubi dicitur, quod etiam non obtenta benedictione petita ab Episcopo Diœcesano, possint prædicare in Ecclesiis propriis.

96 At verò si Episcopus non solùm non det benedictionem petitam, sed contradicat, neque in Ecclesiis propriis prædicare possunt; non debet autem Episcopus absque rationabili causa contradicere. Statuitur item in eadem Bulla Clementis X. quod non possit Episcopus generatim prohibere, ne in propriis Ecclesiis Regulares

prædicent Populo. Similiter sicut jam statutum fuerat ab aliis Summis Pontificibus, ut videre est apud Barbosam *a n.* 204. *usque ad* 215. non possunt Episcopi omnibus Regularibus unius Conventus facultatem audiendi Confessiones Sæcularium tollere, nec eos Regulares, quos simpliciter approbarunt, sine nova causa ad Confessiones concernente, suspendere, aut iterum examinare.

97 Dico 23. debent Regulares servare interdictum; quod ab Ecclesia Matrice viderint observari. *Clemen. 1. de Sent. Excomm.* & Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 12.* ubi etiam dicitur, quod debent servare Festa ab Episcopo præcepta.

98 Dico 24. debent Regulares suis horis officia divina persolvere in propriis Ecclesiis. *Clemen. 1. de Celebr. Missar.* pro ut diximus supra.

99 Dico 25. In Processionibus non possunt deferre Crucem discoopertam, sed cum Pallio appenso, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, quod refert Barbosa *n.* 217.

100 Dico 26. non possunt Regulares extra Claustra Processiones facere ad libitum, sed debent petere licentiam ab Episcopo, vel ejus Vicario. Ita pluries decisum refert Barbosa *n.* 218.

101 Dico 27. Mendicantes non possunt nova loca ad habitandum acquirere, nec antiqua deserere sine licentia Summi Pontificis. *cap. unico. de Excess. Prælat. in 6.* & *Clemen. Cupientes. de pœnis.* Accedit Constitutio Innocentii X. quæ *incipit: Instauranda. die 22. Octobris* 1652.

102 Sunt autem Mendicantes propriè Dominicani, Franciscani, Augustiniani, & Carmelitæ. Ex Privilegio autem annumerantur inter Mendicantes Servitæ, seu Servi Beatæ Mariæ, Fratres Minimi de Sancto Francisco de Paula, Jesuati Congregationis Sancti Hieronymi, Religiosi Societatis Jesu, Carmelitæ discalceati Sanctæ Theresiæ,

resixæ, & Fratres discalceati Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum. Hinanem verè etiam dici Mendicantes, sicuti quatuor priores Ordines, docent aliqui Doctores. A quibus verò Summis Pontificibus sint inter Mendicantes numerati, videri potest apud Barbosam *cap.* 41. *lib.* 1. *Jur. Eccles. a n.* 207. *usque in finem*, ubi etiam numerat alios Ordines Regulares, qui privilegiis Mendicantium gaudent ex concessione Sedis Apostolicæ.

103 Præscindo hic a peculiaribus Privilegiis Religiosorum, ex quibus habent posse nova loca acquirere ad habitandum cum sola licentia P. Generalis; nam qui talia Privilegia habent, ut defacto habet Societas Jesu, ut videre est *in Compendio Privilegiorum Societatis, v. Ædificia.* & *v. Bona.* §. 3. non indigent licentia Summi Pontificis, sed sufficit facultas P. Generalis. Verùm stante Constitutione prædicta Innocentii X. non videtur posse Patrem Generalem uti hodie tali privilegio.

104 Dico vigesimo octavò: Non possunt Religiosi professi ex una ad aliam Religionem transire. *cap. Joannes. de Regular.* & Triden. *sess.* 25. *de Regular. cap.* 19. *in fine.* ubi statuitur, quod sine licentia Summi Pontificis ad laxiorem Religionem fieri non potest transitus; possunt tamen de licentia Superioris proprii ad strictiorem Religionem transire. *cap. Licet. de Regular.* Verùm quæ conditiones requirantur ad hunc licitum transitum, longum esset recensere. Videatur Azorius *part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 14. & 15. Rodericus *tom.* 3. *quæst. Regular. Canonic. quæst.* 52. *per triginta articulos*; & Pirhing *lib.* 3. *tit.* 31. *sect.* 4. in qua per quinque paragraphos, bene, ut solet, resolvit ferè omnia, quæ spectant ad hunc transitum. Videri etiam potest Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccles. cap.* 42. *a n.* 42. *usque ad* 105. & Fagnanus *lib.* 1. *Decretalium, cap. Dilecti. de Renunciat. n.* 39. ubi præter infirmitatem, & alias causas, di-

Digitized by Google

dicit, quod si Religiosus malè tractetur, & odio habeatur a Fratribus, vel habeatur ut infamis, poterit invenire alium Ordinem æquàlis observantiæ, in quo possit quietè vivere.

105 Duo autem sunt hic advertenda. Primum est, quod nostri Professi de licentia Patris Generalis, & consensu Superioris alterius Religionis possunt transire ad quamcunque Religionem, sive laxiorem, sive strictiorem. *In Compendio Privil. Societatis Jesu. Ver. Professi.* §. 2. Secundum est, quod Professus transiens de licentia Superioris ad aliam Religionem, aut ad alium Monasterium strictioris observantiæ, debet Novitiatum integrum facere, ut Professio in nova Religione sit valida. Rodericus *tom. 3. quæst. Regular. Canon. quæst.* 15. *art.* 11. Azorius *par. 1. lib. 12. cap.* 14. *quæst.* 15. Sanchez *lib. 5. Moralium. cap. 4. n.* 13. Pirhing *lib. 3. tit.* 31. *n.* 44. Quod si a Religione diversæ regulæ, ad quam licitè transivit, redeat Professus ad priorem, non debet novum novitiatum facere.

106 Advertо, quod omnes casus, in quibus Religiosi exempti subduntur Episcopis, quos jam sparsim diximus, videri possunt collecti simul apud Fagnanum *in cap. Graves. de Off. Ordin. a n.* 31. *usque ad* 82.

Habent denique Regulares privilegium a Summis Pontificibus concessum, eligendi Judicem Conservatorem; verùm de ipso, ejusdemque Jurisdictione opportunius agendum videtur *in lib. 3. de Judiciis*, ubi sermo erit de Judice competente.

§. OCTAVUS.

DE RELIGIOSIS FUGITIVIS, APOSTATIS, ET EJECTIS.

107 Dico primò: Religiosi fugitivi sunt qui extra Monasterium vagantur sine licentia Su-

pe-

perioris, cum animo tamen redeundi ad Monasterium, sive habitum retineant, sive non. Apostatæ sunt, qui extra Religionem vagantur sine animo redeundi, & cum proposito in perpetuum deserendi institutum, etiamsi habitum non retineant; quia sicut habitus non facit Monachum; ita Apostatam facit animus in perpetuum deserendi Religionem, etiamsi habitus deferatur. Ejecti autem sunt illi, qui non sponte sua, sed ob suam culpam è Religione expelluntur a Superioribus. Hinc pœnas impositas Apostatis non incurrit fugitivus, etiamsi habitum non deferat pro eo tempore, quo extra Ordinem vagatur. Pirhing ex aliis *lib. 3. tit. 31. sec. 5. §. 1. n. 187.*

108 Dico secundò: Prælati regulares tenentur quærere Fugitivos, & Apostatas, & cogere, ut ad Monasterium redeant *cap. Ne Religiosi. de Regul.* Ejectos injustè tenentur, etiam inquirere, & humaniter recipere; Ejectos verò justè quamvis in prædicto Canone dicatur, quod etiam debent Prælati regulares inquirere, & revocare ad Monasterium, ut pœnitentiam agant, tamen ex consuetudine hic Canon, quo ad hoc, est abrogatus, ut benè probat idem Pirhing *n. 193.* & Fagnanus *in dictum cap. Ne Religiosi. n. 69.* ait, hanc constitutionem nunquam fuisse usu receptam. Unde solùm quoties in Ejectis justè è Religione habetur evidens spes emendationis ex literis testimonialibus Ordinarii, possent Superiores regulares inquirere eos, & revocare. Ita Fagnanus *ibidem*. Et ratio est manifesta, nam si Superioribus regularibus conceditur facultas ejiciendi è Monasterio incorrigibiles, multò magis debet concedi facultas eos justè ejectos non admittendi. Item ad quid concederetur facultas ejiciendi, si statim tenerentur eos revocare?

109 Dico tertiò: Possunt Superiores regulares ejicere Professos è Religione ob justas causas. Constat *ex eodem cap. Ne Religiosi.* ubi supponitur dari ejectos. Item *ex cap.*

Cum

Digitized by Google

Cum ad Monasterium. de Statu Monach. ubi dicitur, quod Proprietarius de Monasterio expellatur. & *cap. Finali. eodem titulo* dicitur Visitatoribus, quod Pertinaces, & Rebelles *ejiciant ab ovili, ne inficiant sanas oves.* Potest igitur Generalis, vel Visitator, vel Provincialis de consensu majoris partis Capituli ejicere è Religione Professum ob causas sequentes.

110 Prima, & de Jure expressa est incorrigibilitas, nimirum quoties quis in criminibus gravioribus persistit, & ter monitus non desistit. Secunda est, quoties ex permanentia alicujus in Religione, oritur Religioni grave damnum. Tertia, quoties dolosè cælavit Professus aliquod impedimentum, quod si explicuisset, non fuisset admissus. Non est autem consuetum, ut Monialis incorrigibilis ejiciatur è Monasterio, sed debet perpetuò incarcerari, aut ad aliud Monasterium deferri de licētia Papæ.

111 Dico quartò: Religiosus professus justè ejectus tenetur ad vota substantialia Religionis servanda, quia non est ab eis absolutus. Et primò quo ad Castitatem est certum; quo ad Paupertatem non potest dominium acquirere bonorum, sed solum usum, unde in jis bonis, quæ acquisierit, succedit Monasterium, quia non debet suo Jure privari Monasterium ob culpam, & justam punitionem sui Professi. Ita Pirhing ex aliis. *dicto lib. 3. sec. 31. §. 2. n. 196.* Quanvis alii contrarium sentiant; quia ejectus non est amplius membrum Religionis, unde Papam, vel Episcopum succedere in bonis ejus arbitrantur. Obedientiæ verò exercitium non habet Ejectus, quia non est sub Superiore, sed quoties revocatus fuerit ad Religionem, debet obedientiam servare. Ad alias autem Regulæ observantias, v. g. Jejunia, abstinentiam a carnibus in talibus diebus &c. non tenetur Ejectus; quia hæ observantiæ non comitantur inseparabiliter vota substantialia; non enim in omni Religione habentur; ideoque tunc so-

lùm

lùm ad illas quis tenetur, quando est sub tali Religione. Ejectus autem non est ampliùs sub tali statu Regulari. Ita Pirhing *lib. 3. tit. 31. n. 199.* cum Sanchez *in Decal. lib. 6. cap. 9. n. 52.* Hinc neque Ejectus a Religione Minimorum S. Francisci de Paula tenetur ad quartum votum abstinendi a carnibus, & lacticiniis, quia hoc votum saltem suspenditur, dum durat Ejectus extra Religionem, non verò extinguitur. Ita idem Pirhing *n. 200. ver. Infertur secundò.* & Sanchez *n. 56.* quidquid in contrarium dicat Peyrinus *tom. 1. de Subdita quæst. 1. cap. 25. vers. Dico*

112 Noto primò, quod nostri Professi, qui emittunt votum non acceptandi, nec procurandi Dignitates extra Religionem, sicut, & alii Professi Religiosi, qui tale votum emittunt, ex Constitut. Urbani VIII. quæ incipit: *Honorum, Dignitatumque sub die 26. Februarii 1643.* transeuntes ad aliam Religionem, in qua hujusmodi votum non fit, tenentur ad servandum votum de non procurandis, nec acceptandis Dignitatibus Ecclesiasticis, nisi cum præcepto Summi Pontificis obligantis ad acceptandum.

113 Noto secundò, quod Religiosi Societatis Jesu, qui post vota biennii dimittuntur, non tenentur ad servanda ea vota, quia ab eis absolvuntur juxta potestatem communicatam a Sede Apostolica Patri Generali.

114 Dico quintò: probabilior est sententia, quam tenent Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 3. cap. 5. n. 6.* Sanchez *lib. 6. Moral. cap. 9. n. 25.* Layman, & alii, quos sequitur Pirhing *loco citato. §. 3. n. 201. & deinceps*, nimirum, quod Professus justè ejectus teneatur in conscientia se corrigere, & correctus petere, ut iterum recipiatur in Religionem. Ratio est, quia ex vi suæ Professionis tenetur manere usque ad mortem in Religione. ergo dum fuit ex ea ejectus ob sui culpam, debet reddi dignus, ut recipiatur, & servet suam promissionem factam.

115 Hinc si quis est correctus, potest cogere Religio-

gionem, ut eum iterum admittat, ne sit disparconditio contrahentium, nimirum Professi, & Religionis; & in eam admissus, non debet Novitiatum facere, quia non debet novam Professionem emittere, cum ejus Professio per ejectionem solùm fuerit suspensa quo ad aliquas obligationes, non verò annullata. Sanchez *lib. 6. Moralium cap. 9. n. 33.* & Alii apud ipsum. At verò si Religio timet scandalum ex illius admissione, aut quia Ejectus est jam factus inhabilis ad officia Ordinis, poterit Religio non admittere, & Ejectus in sæculo remanere absque obligatione ingrediendi in aliam Religionem, quia suum votum fuit in tali Religione. ergo ad talem solùm obligatur, vel ad nullam. Potest tamen, si velit aliam Religionem ingredi, etiam laxiorem, & sine ulla alia licentia. Nam si potest Ejectus, quoties Religio habet causam eum jam correctum non admittendi, remanere in sæculo, multò magis transire ad aliam Religionem; in hac autem debet, & Novitiatum peragere, & Professionem emittere, post quam Professionem non potest a Prælato prioris Religionis ampliùs revocari, quia est jam per Professionem ligatus in hac secunda.

116 Notandum, quod etiam injustè Ejectus, dum extra Religionem manet, non tenetur ad observantiam Regulæ præter vota substantialia, quia nimis difficile est extra Religionem servare Regulam, & ejectio per hoc, quod sit injusta, solùm facit, ut Religio teneatur eum quærere, & iterum admittere, non autem facit, ut Ejectus obligetur observantiæ Regulæ. Ita ex Sanchez, Piringh *n.* 207.

117 Notandum præterea, quod ex Decreto Sacræ Congregationis Concilii, quod refert Fagnanus *in dictum cap. Ne Religiosi. n. 59. de Regul.* non possunt hodie Professi a Religione ejici, nisi sint verè incorrigibiles, quales non censentur, nisi illi, qui præter ea, quæ sunt

in

Digitized by Google

in Sacris Canonibus, & Statutis propriis Religionum, etiam unius anni spatio in jejunio, & pœnitentia probentur in carceribus, & eo elapso, non resipuerint. Videantur reliqua ad Ejectos pertinentia apud ipsum Fagnanum *loco citato.*

118 Dico tandem: Apostatæ subjacent pœnis Excõmunicationis, & Suspensionis ab exercitio Ordinum, quos habent. *cap. Ut periculosa. Ne Cleric. vel Monachi. in 6.* Nec absolvi possunt, nisi a Romano Pontifice, vel a Generali Religionis. Imò eandem pœnam Excommunicationis incurrunt Summo Pontifici reservatam omnes illi, qui Apostatis favorem, consilium, & auxilium præstiterint. Videatur Compendium Privilegiorum Societatis Jesu *v. Apostatæ per totum.* Ubi etiam citantur facultates concessæ aliis Religionibus circa Apostatas, qui capi possunt a quocunque Superiore Regulari proprio, in quocunque loco extiterint, sive in sæculo, sive in alio regulari loco, & incarcerari, invocato etiam brachii sæcularis auxilio. Varia Decreta Sacræ Congregationis Concilii circa Regulares Apostatas, & Ejectos videri possunt apud Fagnanum *in dictum cap. Ne Religiosi. de Regular. a n.* 70.

119 Item Ejecti a Religione, suspensi sunt ab exercitio Ordinum, nec ab Ordinariis absolvi possunt. In Decreto *de Regul. Apost. & Ejectis.* §. *Item, ut Ejecti*, quod refert Fagnanus citatus post *n.* 71.

§. ULTIMUS.

DE MONIALIBUS.

QUæ de Regularibus dicta sunt circa Novitiatum, & Professionem, communia sunt, etiam Monialibus. Aliqua tamen, quæ specialiter ad ipsas pertinent, sunt addenda.

Digitized by Google

120 Dico primò: ex Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 17.* Puella habitum Regularem suscipere volens, quæ debet esse major duodecim annis, examinari debet ab Episcopo, vel ejus Vicario, an sciat quid agat, & an liberè velit habitum suscipere; quod examen debet replicari ante Professionem, ita quod si Abbatissa ante mensem non faciat certiorem Episcopum de Professione facienda a Novitia, suspendenda sit ab Officio, quandiu Episcopo videbitur.

121 Dico secundò: omnes Moniales Caput velare debent ex antiqua Ecclesiæ consuetudine. Primum autem velum est Probationis, quod datur Novitiis, & solet albi coloris esse, & non datur hodie, nisi ætatis anno decimoquinto completo. Secundum est Professionis, & solet esse nigrum, quanvis olim erat purpurei coloris, & hoc hodie non datur ex Tridentino, nisi decimosexto ætatis anno completo; olim verò dabatur anno duodecimo. *Can. Puella. 20. quæst. 1.* & in hujusmodi Veli acceptione abscinduntur Capilli juxta ritum Ecclesiæ. Reliqua genera Velorum, quæ antiquitùs dabantur, & hodie non sunt in usu, videri possunt apud Barbosam. *lib. 1. Jur. Eccles. cap. 44. a n. 15. usque ad 23.*

122 Dico tertiò: non possunt ultra duas Sorores in eodem Monasterio Professionem facere sine licentia Sacræ Congregationis, & tertia Soror cum licentia ingressa, & professa, caret voce activa, & passiva, usque dum altera ex duabus moriatur, nisi ad id obtineatur dispensatio a Sede Apostolica.

123 Dico quartò: Moniales, sive in Monasterio sit constitutus Monialium numerus, sive non, & ideo sive Supernumerariæ sint, sive de numero, debent eleemosinam dotalem afferre cum hac differentia, quod dotes Monialium intra numerum expendi possunt in usus communes Monasterii. Dotes autem Supernumerariarum debent

bent post earum Professionem converti in commodum Monasterii per emptionem bonorum stabilium. Ita censuit Sacra Congregatio, teste Barbosa *loco citato n.* 35.

124 Dico quintò: non possunt Moniales in earum Monasteriis Puellas educationis causa admittere, nisi de licentia Sacræ Congregationis ad eas recipiendas constituta sint, & habeant pro dictis Puellis loca particularia destinata, in quibus hæ seorsum a Novitiis, & Professis vivant, & vestitu decenti, & moderato utantur, & cum Clausuræ subjectione, ita ut si è Monasterio exeant, non possint ampliùs redire sine licentia. Debent hæ Puellæ esse in ætate septem annorum, & usque ad 25. annum retineri possunt, quo finito debent exire, quanvis possit, finito eo tempore Episcopus constituere terminum, intra quem Puella eligat, num velit exire è Monasterio, aut habitum suscipere, & Monialis fieri. Nulla tamen incurritur pœna si statim Puella non egrediatur completo anno 25. Debent præterea alimenta Monasterio solvere, & de eis solvendis cautionem dare. Barbosa ex variis Decisionibus Sacræ Congregationis *a n.* 30. *usque ad* 36.

125 Dico sextò: præcedentia inter Moniales desumi debet a die Professionis, non autem a die Susceptionis habitus. Quod si duæ simul emitterent Professionem, præcedat, quæ fuit priùs admissa capitulariter ad eam, aut ad habitum. Ita Sacra Congregatio, quam refert idem Barbosa *n.* 56.

126 Dico septimò: omnes Moniales debent Clausuram promittere, ita ut non possint, nisi in gravissimis causis egredi è Monasterio. Ita *in cap. Periculoso. de St. tu Regul. in 6.* & fuit innovatum a Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 5. ubi dicitur, quod causa exeundi sit approbanda ab Episcopo, & præcipitur ipsis Episcopis, ut in Monasteriis sibi subjectis, Ordinaria potestate, & in non sibi subjectis, tanquam Apostolicæ Sedis Delegati, invigi-

lent

lent ſuper Clauſura Monialium. Inſuper Pius V. in Conſtitutione, quæ incipit: *Decori. Kalendis Februarii 1569. in Bullario novo. tom. 2. pag.* 185. eandem Clauſuram inhibuit ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ reſervatæ Papæ, quam incurrunt, tum Monialis exiens, tum receptatrices, perſonæ comitantes &c. Expreſſit tamen caſus, in quibus poſſit Epiſcopus dare licentiam Moniali exeundi è Monaſterio. Et ſunt Incendium magnum, ex quo timeatur, quod niſi exeant, ſint morituræ omnes Moniales, & morbus contagioſus lepræ, aut Epidemiæ, ex quo niſi laborans eo morbo, exeat è Monaſterio, timeatur infectio aliarum. In quibus etiam caſibus non niſi ad neceſſarium tempus extra Monaſterium morari licitum eſt Moniali. Item licentia in ſcriptis obtineri debet ab Epiſcopo, etiam ſi Monialis ſit exempta, in quo caſu debet, & Superior Regularis, & Epiſcopus conſentire, ut illa exeat. Ita Pius V. in dicta Conſtitutione, & Barboſa cum aliis eam explicans *a n. 70. uſq; ad 74. & n. 89. 90. & 91.* Videatur Sanchez in Decalogum *tom. 2. lib. 6. cap. 15. per totum.* ubi: *a n. 63.* explicat cenſuras latas in Jure contra Moniales Clauſuram violantes, & in eis faventes.

127 Notandum, quod ex graviorum Doctorum ſententia ad caſus ſimiles extendi poteſt poteſtas Epiſcopi. Ideoque tempore Belli poterit ipſe dare licentiam Monialibus exeundi è Monaſterio, quoties niſi egrediantur, & in locum tutum mittantur, gravi damno afficerentur. Ita Azorius, Navarrus, Sanchez, Bonacina, & alii adducti a Barboſa *n. 73.* & a Diana *part. 1. trac. 15. Miſcell. 1. Reſol. 23.* Item ad fundandum novum Monaſterium, vel reformandum, poſſunt ex Doctorum ſententia Moniales de uno in illud aliud tranſire, ſed hodie, ut videre eſt apud Fagnanum *in cap. Recolētes. de Statu Monachorum. a n. 48. uſque ad 52.* ſine licentia Sedis Apoſtolicæ talis tran-

Digitized by Google

transitus fieri non potest, sicut etiam transitus ex uno Monasterio ad aliud strictioris observantiæ, neque fieri potest sine licentia Sacræ Congregationis, ut ab eadem decisum esse refert Barbosa *n.* 76. & Fagnanus *ibidem.*

128 Licentia denique transeundi de uno in aliud Monasterium non datur Moniali Professæ a Sacra Congregatione, nisi sub his conditionibus, nimirum ut illud aliud Monasterium velit Monialem illam recipere, quod fit per suffragia capitulariter secreta. Secundò, ut dotem huic alii Monasterio solvat. Tertiò, ut spes redeundi ad primum Monasterium tollatur. Quartò, ut in illud sociata a gravibus Matronis consanguineis viâ rectâ eat. Barbosa *n.* 76. Fagnanus *in cap. Recolentes. de Statu Monach. n.* 28. Utrum autem Monasterium prius debeat restituere dotem Moniali de licentia Sacræ Congregationis transeunti ad aliud Monasterium est in controversia. Sed sententia negativa, præter quam quod est probabilior, videtur etiam decisa, ut videre est apud Pignatelli *to.* 1. *Consult.* 433. Hoc autem est certum, quod si Monialis ob aliquam culpam ab uno Monasterio migratur in aliud, debet prius Monasterium præbere alimenta secundo. De clausura Monialum, ejusdemque visitatione plura scribit Pignatelli *tom.* 6. *Consultat.* 85. *per totam.*

129 Noto, quod sicut diximus de Religioso Professo transeunte cum licentia ad aliam Religionem diversæ regulæ, aut strictioris observantiæ, ità dico de Moniali Professa, quod scilicet debeat facere novum annum Novitiatûs ante novam Professionem in Monasterio, ad quod transivit. Quod si ad Monasterium ejusdem regulæ, & observantiæ fieret transitus cum debita licentia, videtur non esse repetendum Novitiatum ex Doctorum sensu, qui solùm quando transitus fit ad aliam Religionem, vel ad Monasterium strictioris observantiæ, illud judicant necessarium.

130 Di-

Digitized by Google

130 Dico octavò: nulli cujuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis licitum est ingredi Monasteria Monialium, nisi obtentâ Episcopi, aut Superioris licentiâ in scriptis, & cum rationabili causa, seu in casibus necessariis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. *cap. Pertuloso. de Statu Regul. in 6.* & Trid. *dicta sess. 25. de Regul. cap. 5.*

131 Notandum, quod non includuntur sub hac prohibitione Infantes carentes discretione; nam dum dicit Tridentinum *sexus, vel ætatis* loquitur de habentibus usum rationis, unde ante septennium possunt intrare. Ita Sanchez, Bonacina, & alii multi apud Barbosam *n. 94.*

132 Notandum secundò, quod ex Decretis Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium negotiis præpositæ, etiam ut quis ingrediatur Monasteria Monialium exemptarum in casibus necessitatis, requiritur licentia Episcopi, & non sufficit licentia Superioris Regularis. Barbosa *a n.* 107. *usque ad* 113.

133 Notandum tertiò, quod si repentinus accidit casus propter quem debeat quis Monasterium ingredi Monialium, ita ut non possit adiri Episcopus pro licentia, licitus est ingressus, aliter repentinæ necessitati consultum non esset. Azorius *part. 1. lib. 13. cap. 8. quæst. 8.*

134 Notandum quartò, quod Religiosus Confessarius ob audiendam confessionem Monialis intime intrans cum licentia Episcopi Monasterium, intrare potest cum socio, pro quo non est necessaria alia licentia. Barbosa cum Sanchez & aliis *n. 123.* & ipse idem post tractatum *de Offic. & potest. Epist. in Formulario Episcoporum formula 26. cum seq.*

136 Dico nonò: Confessarii ordinarii Monialium in casu necessitatis quovis tempore, etiam pulsatâ Ave Maria ingredi possunt septa Monasterii. Debent singulis triennijs mutari, nec possunt esse qui curam animarum habent. Quoties ingrediuntur, debet cellæ janua esse aperta,

ta, dum confessionem Infirmæ audiunt, rectâ viâ ad Infirmæ cellam ire debent, & administratis Sacramẽtis Pœnitentiæ, Eucharistiæ, ac extremæ Unctionis, non possunt assistere Sepulturæ Monialis Defunctæ, quoties Sepultura est intra Clausuram. Item non possunt ingredi Monasterium causâ benedicendi cellas in Sabbato Sancto. Hæc & alia ex variis decisionibus affert Barbosa *loco cit. a n.* 124. *usque ad* 140.

136 Dico decimò: Medicus, Tonsor ad venæ incisionem faciendam, & alii operarii necessarii, sicut etiam Baiuli portantes aliquod onus in Monasterium, possunt licitè ingredi; & quidem Medicus, sive Physicus, sive Chirurgus, & Tonsor urgente necessitate quovis tempore, etiam datâ Ave Maria, ingredi possunt, sed finito Ministerio, cujus gratiâ ingressi sunt, debent statim exire; ita ut si statim non exeant, peccent mortaliter, ut docet Bonacina. Alii verò volunt, quod brevis mora v. g. in visendis Officinis nõ sit culpa mortalis, imò nec venialis. Ita Emmanuel Rodriquez *tom.* 1. *quæst.* 47. *art.* 11. Molfesius *in Sum. Theol. Moral. tract.* 7. *cap.* 20. *n.* 42. Ludovicus Miranda *quæst.* 2. *art.* 20. cum Sanchez, & alii.

137 Dico undecimò: Monialis Energumena, non potest intra septa Monasterii exorcizari, sed petitâ licentiâ a Sacra Congregatione Regularium, in Ecclesia Monasterii, in quam associata a Consanguineis, vel honestis, & provectæ ætatis Mulieribus ibit, & clausæ erunt Januæ Ecclesiæ, dum fit exorcizatio. Ita Sacra Congregatio *sub die* 1. *Julii* 1606.

138 Dico duodecimò: Translatio Monialium in Monasterium noviter erectum, fieri non potest nisi de licentia Sedis Apostolicæ, & novum Monasterium debet Apostolica authoritate extructum esse, & priùs visitari ab Ordinario, & videri si sit capax, & omnia habeat necessaria ad statum Monialium. Ita Sacra Congregatio apud Barbosam *n.* 149.

Digitized by Google

139 Dico decimotertiò: Superiores, nempe Episcopus, aut Provincialis regularis in Monasteria sibi subjecta sine causa ingredi non possunt. Causa autem est visitatio Monasterii, ut nimirum videantur Officinæ, Dormitorium, Cellæ Monialium, aut si opus erit fabrica propter ruinam alicujus parietis. Propter autem dandum Velum, aut colligenda vota ad electionem Abbatissæ, ingredi non licet Episcopis, aut aliis Superioribus, cum id possit fieri ad Crates. In casu autem magnæ subornationis ortæ inter Moniales electuras Abbatissam, concedunt aliqui posse Superiorem ingredi Monasterium. Ita Navarrus *in Comment. Regul.* 3. *n.* 59. Emmanuel Rodericus *tom.* 1. *quæst.* 46. *art.* 5. *ad finem.* Miranda *de Sacris Monial. quæst.* 2. *art.* 15. *concl.* 3. & alii.

140 Dico decimoquartò: Contra Clericos frequentantes Monialium Monasteria ad colloquendum cum illis sine honesta, & justa causa, ferenda est ab Episcopo pœna suspensionis, si ter moniti non destiterint. *cap. Monasteria. de Vita, & honest. Cleric.* Contra autem Laicos simili modo Monialium Monasteria frequentantes, ferenda est ab Episcopo pœna excommunicationis, *ex eodem cap. Monasteria.* Et in hac Panormitana Diœcesi est lata Excommunicatio ipso facto incurrenda reservata Archiepiscopo, ut habetur in Constit. Synodal. Illustriss. Archiepiscopi D. Jacobi de Palafox, & Cardona *part.* 4. *cap.* 7. *n.* 162. Contra denique Religiosos cum Monialibus alloquentes est imposita pœna privationis Officiorum, & vocis activæ, & passivæ ex Decreto Sacræ Congregationis Regularium de Mandato Xisti V. edito, quod refert Quaranta *ver. Monasteria Monialium. pag.* 451. Item committere culpam mortalem Religiosum sine justa, & rationabili causa, & sine licentia Episcopi cum Moniali colloquentem, resolvunt Bonacina *tract. de Clausura. quæst.* 3. *punt.* 4. *n.* 4. & Coriolanus *trac. de Casibus reservat. par.* 2. *casu* 3. *n.* 42.

Al-

Digitized by Google

Alloquentes autem per Epistolam non incurrunt pœnas supradictas, neque alloquentes cum illis Monialibus, quæ Clausuram non habent. Ita ex variis Decretis Sacræ Congregationis Barbosa *a n.* 157. *usque ad* 166. ubi refert Decretum de Mandato Urbani VIII. per quod conceditur Episcopis, ut quater in anno dent licentiam Regularibus, ut cum Monialibus sibi in primo, & secundo gradu consanguinitatis conjunctis, loqui possint.

141 Est hic notandum, quod in supradicta Diœcesis Panormitanæ Synodo *n.* 134. *pag.* 278. est insertum Decretum Sacræ Congregationis Concilii Tridentini a Sanctissimo Clemente IX. approbatum *die* 11. *Maii* 1669. vi cujus declaratur non solùm incurrere pœnas supra explicatas eos Regulares, qui colloquuntur sine licentia cum Monialibus Professis, verùm etiam cum aliis omnibus in Monasterio degentibus, etiam si ad breve tempus cum eis colloquantur. Est autem Decretum prædictum tenoris sequentis.

Die 11. *Maii* 1669. *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, habitâ notitiâ, quod nonnulli Regulares absque licentia crates Monasteriorum Monialium adire, & frequentare non dubitent, prætendentes, non esse interdictum per breve tempus etiam usq; ad quadrantem horæ cum dimidio, quod horologio arenario aliquando metiuntur, Moniales, aliasque personas intra Clausuram existentes alloqui, & hanc opinionem tanquam tutam affirment, disseminent, & forsan etiam scriptis evulgent, proprias graviter illaqueantes conscientias, & scandala confoventes. Ad hujusmodi perniciosos errores eliminandos, opinionem prædictam improbans, rejiciens, ac damnans, declaravit: Regulares cujuscunque Ordinis, Militiæ, Societatis, Congregationis, & Instituti, etiam de quibus specialis mentio foret habenda, qui ad Monasteria Monialium, quamvis ab Ordinarii Jurisdictione quomodolibet exempta,*

& etiam ipsis Regularibus subjecta, vel aliâs speciali mentione digna absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcunque modicum temporis spatium cum Monialibus, aut aliis intra Clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosque sub Excommunicationis, privationis vocis activæ, & passivæ, aliisque contra Regulares accedentes sine licentia ad Monasteria Monialium statutis pœnis posse, ab Ordinario tanquam Sedis Apostolicæ Delegato coerceri.

Et die 7. Junii ejusdem anni facta relatione Sanctissimo Domino nostro, Sanctitas Sua præsentem declarationem approbavit, ac typis dari, servarique jussit. Romæ ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ 1669.

A. Card. Celsus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

S. Brācaccius Archiepiscopus Andrionopolitanus Secr.

142 Dico decimoquintò: Parentes, & Fratres Monialium non indigent licentiâ, ut cum illis alloquantur, nec Monialium filii; si quos ante ingressum in Monasterium habuerint. Ita pluries resolutum testatur idem Barbosa *n.* 172.

143 Dico decimosextò: Moniales saltem singulis mensibus, debent confiteri, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipere. *Clement. Ne in agro. §. Sanè. de Statu Monach.* Trident. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 10. Non dat autem Tridentinum obligatorium præceptum, ut advertunt Vivaldus *in Candelabro aureo. Rubrica de Cōfessis. n.* 41. Reginaldus *in Praxi fori Pœniten. lib.* 29. *n.* 73. *in fine.* & alii; nam dicit *Admoneantur.* ergo non est unde sub præcepto obligentur Moniales, nisi a regula propria sub peccato obligarentur semel in mense communicare. Statuit præterea idem Tridentinum *ibidem*, ut Episcopus, vel Superior bis, aut ter in anno Confessarios extraordinarios assignet Monia-

nialibus. Item idem Tridentinum *ibidem* statuit ut Moniales Eucharistiæ Sacramentum non possint intra septa Monasterii tenere, sed possint in Ecclesia.

144 Est autem advertendum, quod ex Constitutione Gregorii XV. de exemptorum Privilegiis, quæ incipit *Inscrutabili. Nonis Februarii* 1622. non possunt Confessarii Monialium, sive Sæculares, sive Regulares, sive Ordinarii, sive Extraordinarii deputari, nisi fuerint ab Episcopo approbati etiam in Monasteriis Monialium subjectarum Regularibus, quare possunt Episcopi monere Superiores Regulares, ut amoveant tales, & tales Confessores a Monasterio ipsis Regularibus subjecto; quod si noluerint, potest ipse Episcopus amovere.

145 Insuper ex declaratione Sacræ Congregationis, annuente Urbano VIII. 1623. Regularis approbatus ab Episcopo ad audiendas Confessiones sæcularium, non ideo est approbatus ad audiendas Confessiones Monialium ipsi Episcopo subjectarum, sed indiget speciali approbatione; nec approbatus pro uno Monasterio est approbatus pro alio, nec approbatus pro uno mense est approbatus pro alio. Quod ipsum dicitur in Constitut. Clementis X. quæ incipit: *Superna* 11. *Kal. Julii* 1670.

146 Dico tandem: Moniales Professæ, quæ non intersunt Choro, debent horas Canonicas privatim recitare, & quidem ex communiori sententia sub mortali. Id ipsum dico de Religioso Professo non constituto in Sacris, quanvis Marcantius, Caramuel, Lessius, & alii doceant hanc obligationem non esse sub mortali, nisi ex vi Regulæ speciale præceptum habeatur; quale habent Fratres Minores, & Moniales Annunciatæ. Idem docet Mendo *in Epit. v. Moniales. n.* 1. ubi dicit id esse certò probabile. Videatur Diana *par. 9. trac. 6. Miscellan. Resolut. 7.* ubi rationes pro sententia excusante a mortali Monialem Professam non recitantem privatim horas Canonicas,

af-

Digitized by Google

affert. Sed ipse non tenet hanc sententiam, nec ego, quia hodie jam obligantur ex consuetudine introducta, quâ Moniales ferè omnes se teneri sub mortali ad recitandas horas, quas in Choro non recitant, existimant. Neque aliunde, nisi ex consuetudine præscripta censet P. Suarez *tom.* 2. *de Religion. lib.* 4. *cap.* 17. *n.* 6. esse obligatos Clericos Professos non in Sacris ordinatos, ad officium recitandum privatim, quoties non intersunt Choro; ergo si pro Monialibus jam consuetudo eadem præscripta est, non est amplius earum obligatio in controversiam vocanda. Accedit, quod in hac Panormitana Diœcesi, ut habetur in Constitutionibus synodalibus supradicti Illustrissimi de Palafox *par.* 4. *cap.* 7. *n.* 167. prædicta consuetudo recitandi horas privatim a Monialibus non interessentibus Choro, dicitur huc usque inviolabiliter observata, & hodie vigere ipsa synodali Constitutione declaratur.

147 Hinc non debet admitti ad Professionem Monialis, quæ nescit legere, quia impotens est satisfacere obligationi prædictæ, quam per Professionem suscipit. Atque ita decisum fuisse a Sacra Congregatione refert Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiastici cap.* 44. *n.* 26.

Atque hæc de personis Ecclesiasticis dicta sufficiant; qui plura desiderat, legat Doctorem Augustinum Barbosa *lib.* 1. *de Jure Eccles. universo.* Aut Doctorem Bernardum Van Espen *par.* 1.

Finis Primi Libri Institutionum
Juris Canonici.

IN-

Digitized by Google

INDEX

CAPITUM, PARAGRAPHORUM, ET QUÆSTIONUM LIBRI PRIMI.

PROOEMIUM *Pagina* 1.
LIBER 1. *de Personis Ecclesiasticis.* 7.
CAPUT 1. *de Clericis in Minoribus constitutis.* 8.
§. 1. *de Psalmista, & Tonsurato.* 9.
§. 2. *de Ostiario.* 10.
§. 3. *de Lectore.* 10.
§. 4. *de Exorcista.* 10.
§. 5. *de Acolyto.* 11.
CAPUT 2. *de Clericis in Sacris constitutis.* 12.
§. 1. *de Subdiaconis.* 12.
§. 2. *de Diaconis.* 13.
§. 3. *de Diaconissis.* 15.
§. 4. *de Presbyteris, seu Sacerdotibus.* 17.
CAPUT 3 *de Dignitatibus in communi.* 23.
§. 1. *Quid, & quotuplex sit Dignitas Ecclesiastica, quæ ætas, qui, ve qualitas ad eã obtinendã requiratur?* 23.
§. 2. *de Ordine, & gradu inter Dignitates, & Personatus, & Officia, & de Iis, quæ spectant ad primam Dignitatem.* 26.
CAPUT 4. *de Dignitatibus in particulari.* 28.
§. 1. *de Archidiacono, & Archipresbytero.* 28.
§. 2. *de Decano.* 30.
§. 3. *de Thesaurario, Sacrista, & Custode.* 31.
§. 4. *de Primicerio, seu Cantore.* 32.
§. 5. *de Præposito.* 34.
§. 6. *de Magistro Scholæ.* 34.
§. 7. *de Cappellano maximo, seu majore.* 35.
§. 8. *de Prioribus.* 35.
§. 9. *de Canonicis, quid, & quotuplex sit Canonicus, & quæ ejus Dignitas.* 37.
§. 10. *de Obligationibus Canonicorum.* 40.
§. 11. *de Canonicis Collegiatæ.* 43.
§. 12. *Quibus in casibus Canonici absentes lucrentur fructus Præbendæ, aut etiam distributiones.* 44.
§. 13. *de Portionariis.* 49.
§. 14. *de Capitulo vivente*

Epi-

Digitized by Google

Episcopo. 49.
§. 15. *de Capitulo Sede vacante.* 53.
De iis, quę pertinent ad electionem Vicarii Sede vacante. 54.
§. 16. *de Potestate Capituli Sede vacante.* 62.
§. 17. *de Referendariis Apostolicis.* 77.
§. 18. *de Prothonotariis Apostolicæ Sedis.* 80.
CAPUT 5. *de Parochis.* 85.
§. 1. *Quid veniat nomine Parochi, & quam Jurisdictionem habeat.* 85.
§. 2. *de Qualitatibus Parochorum.* 86.
§. 3. *de Obligationibus Parochorum.* 92.
Quæstio 1. An denunciationes debeant fieri ab utroq; Parocho, quoties Contrahentes sunt diversarum Parochiarum? 103.
Quæstio 2. An possit Parochus dare alteri facultatem faciendi denũciationes? 104.
Quæstio 3. An debeat Parochus necessariò diebus festivis, & inter Missarum solemnia facere denunciationes? 104.
Quæstio 4. An possit Parochus dispensare in denunciationibus faciẽdis, an verò hoc sit solius Episcopi? 105.
Quæstio 5. An Parochus non Sacerdos, aut Excommunicatus, Suspensus, aut Interdictus possit assistere Matrimonio, vel dare licentiam assistendi alteri Sacerdoti? 107.
Quæstio 6. Quinam sit Parochus proprius, cui de Jure competat assistere Matrimoniis? 111.
Quæstio 7. Quid teneatur Parochus facere assistens Matrimoniis? 112.
§. 4. *de Parocho ægrotante, & non residente.* 113.
Quæstio 1. An Parochus infirmus possit lucrari integros fructus Beneficii? 115.
Quæstio 2. An, & quando ob infirmitatem dandus est Parocho Coadjutor? 116.
Quæstio 3. An quando Parochus habet Coadjutorem perpetuum, debeat residere? 116.
Quæstio 4. An Parochus obtinens indultum a Sede Apostolica, ut causâ studiorum absit a Parochia, indigeat

Digitized by Google

digeat licentia Episcopi. 117.
§. 5. *Expediuntur reliqua, quæ ad Parochum spectant.* 117.
CAPUT 6. *de Abbatibus, & Abbatissis.* 119.
§. 1. *Explicatur quid veniat nomine Abbatum, & quot sint Abbatũ Ordines.* 119.
§. 2. *de Qualitatibus Abbatum.* 121.
§. 3. *de Confirmatione Abbatum.* 124.
§. 4. *de Consecratione, seu potius Benedictione Abbatum.* 125.
§. 5. *de Potestate Abbatis.* 127.
§. 6. *de Potestate Abbatis, & aliorum Prælatorum regularium respectu Religiosorum, & rerum Monasterii.* 131.
§. 7. *de Reliquis pertinentibus ad Abbbates, nempe de usu Mitræ, & Baculi, Baldachini, & Mozzettæ; & de potestate consecrandi Calices, Patenas, & Campanas, & degradandi Clericos.* 136.
§. 8. *de Obligationibus Abbatum.* 137.
§. 9. *de Abbatissis.* 139.
De Qualitatibus Abbatissarum, earunque Electione. 139.
§. 10. *de Potestate Abbatissarum.* 142.
CAPUT 7. *de Episcopis, eorunque Vicariis.* 143.
§. 1. *de Superioritate Episcopi quo ad Ordinem, & Jurisdictionem supra cæteros Presbiteros.* 144.
§. 2. *de Requisitis in eo, qui est Episcopus eligendus.* 147.
§. 3. *de Obligationibus Episcoporum.* 150.
§. 4. *de Residentiæ obligatione.* 153.
Quæstio 1. Quibus in casibus possunt Episcopi abesse a sua Ecclesia. 156.
Quæstio 2. Utrum Episcopus possit jungere trimestre unius anni cũ trimestri alterius: & an licentia a Papa debeat peti non nisi post elapsum trimestre, si causa absentiæ duret? 158.
§. 5. *de Obligatione Episcopi visitandi Diœcesim.* 159.
§. 6. *de Oligatione congregãdi Synodũ Diœcesanam.* 161.
§. 7. *de Obligatione constituendi Vicarium.* 164.

Digitized by Google

§. 8. *Qualis debeat esse Vicarius Episcopi; quaenam ejus potestas, & Jurisdictio, & quibus modis constituatur, aut finiatur.* 164.
§. 9. *de Iis, quae potest, vel non potest Episcopus in sua Diœcesi.* 168.
Quæstio 1. An sit valida Ordinatio Episcopi non Sacerdotis, aut Sacerdotis ab uno Episcopo? 172.
Quæstio 2. An sit verum, quod quidquid potest Papa in Orbe Terrarum, possit Episcopus in sua Diœcesi? 176.
CAPUT 8. *de Archiepiscopis, seu Metropolitanis, Primatibus, & Patriarchis.* 179.
§. 1. *Quid sit Archiepiscopus, seu Metroplitanus.* 179.
§. 2. *Quaenam sit authoritas Archiepiscoporum?* 180.
§. 3. *Quaenam sit authoritas, & Jurisdictio Archiepiscopi in subditas Suffraganeorum?* 182.
Quæstio unica. An, & quomodo Archiepiscopus possit Excommunicatum ab Episcopo suffraganeo absolvere? 184.
§. 4. *de Pallio, & Cruce Archiepiscopali.* 185.
§. 5. *de Iis, quæ competunt Patriarchis, & Primatibus.* 189.
CAPUT 9. *de Legatis, & Nunciis Apostolicis.* 191.
§. 1. *Quid, & quintuplex sit Legatus Apostolicæ Sedis?* 191.
§. 2. *Quodnam sit officium, & Jurisdictio Apostolicorum Legatorum? Quis honor eis debeatur? Et in quo differant inter se?* 193.
CAPUT 10. *de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus.* 196.
§. 1. *Quænam sint Cardinalium Privilegia?* 196.
§. 2. *de Congregationibus, & Consistorio Cardinalium.* 199.
§. 3. *de Officio Cardinalium Sede vacante, & de Officiis particularibus ipsorum.* 201.
CAPUT 11. *de Summo Pontifice.* 204.
§. 1. *de Nominibus, Dignitate, & Potestate Summi Pontificis.* 204.
§. 2. *Ad quæ, & quas personas se extendat authoritas Papalis.* 207.

Quæ-

Digitized by Google

Quæstio 1. *Utrum Summus Pontifex possit Papatui renunciare, vel ob aliquod crimen deponi?* 210.
Quæstio 2. *An, & in quibus possit Papa errare?* 214.
§. *ultimus. de Prærogativis Papæ, seu de iis, quæ soli Papæ conveniunt.* 219.
CAPUT 12. *de Privilegiis Clericorum.* 222.
§. 1. *Quod habeant supra Laicos Clerici?* 223.
§. 2. *de Privilegio Canonis.* 224.
Quæstio 1. *Quinam Clerici gaudeant hoc privilegio?* 225.
Quæstio 2. *Qui Clerici nõ gaudent hoc privilegio?* 229.
Quæstio 3. *Qui veniant nomine Monachorum hoc privilegio gaudentes?* 230.
Quæstio 4. *Quid veniat nomine injectionis manuum violentarum, propter quã incurritur Excommunicatio?* 232.
Quæstio 5. *Quinam percutientes Clericum, vel Monachum, excusentur ab incurrenda Excommunicatione?* 234.
Quæstio ultima. Quibus in casibus possit absolvere Episcopus ab Excommunicatione ob Clerici percussionem? 238.
§. 3. *de Privilegio Fori.* 241.
§. 4. *de Iis, quæ requiruntur in Clericis, ut gaudeant privilegio Fori.* 244.
Quæstio 1. *An Clericus in minoribus Beneficiatus, etiamsi habitum, & tonsuram non deferat, gaudeat privilegio Fori?* 245.
Quæstio 2. *An sufficiat collatio Beneficii ante adeptam possessionem, ad hoc ut Clericus in minoribus gaudeat privilegio Fori?* 245.
Quæstio 3. *Quod veniat nomine Beneficii, & an sufficiat Pensio?* 246.
Quæstio 4. *An Clericus in minoribus non Beneficiatus debeat simul habitum, & tonsuram deferre, ut gaudeat Foro?* 247.
Quæstio 5. *An servitium Ecclesiæ, vel studium in schola publica debeat necessariò esse de mandato Episcopi?* 249.
Quæstio 6. *An, & quando conjugatus Clericus gaudeat privilegio Fori?* 250.

Digitized by Google

§. 5. *Quinam ultra Clericos gaudeant privilegio Fori?* 255.
§. 6. *de Clericis, qui non gaudent Foro Ecclesiastico.* 260.
Quæstio 1. An Clericus in Sacris, vel Monachus professus, qui dimisso habitu enormitatibus se immiscuit, possit puniri a Judice laico sine prævia trina monitione de reassumendo habitu, & sine degradatione facta ab Episcopo? 266.
Quæstio 2. An qui post delictum commissum in statu laicali, sit Clericus, vel Monachus possit puniri a Judice laico? 272.
Quæstio 3. An qui damnatus fuit a Judice sæculari propter delictum ad exilium per quinquennium e. g. cũ hoc, quod si exilium nõ servet, mitti debeat ad Triremes; & ipse tempore exilii ordinatus est Clericus, & beneficium obtinuit, & exilium fregit, subjaceat pœnæ Triremium? 277.
Quæstio 4. Quibus in casibus capi possit a Judice sæculari Clericus delinquens? 278.
§. 7. *Quando Clerici coram laico Judice conveniri possint.* 279.
§. 8. *Expediuntur variæ quæstiones circa Forum Clericorum.* 283.
Quæstio 1. An exactio pœnarum ob damnum illatum a pecoribus, vel Ministris Clericorum possit fieri a Judice laico? 283.
Quæstio 2. An Clericus fidejubens pro laico de stando Juri, & solvendo, coram Judice laico, possit deinde conveniri coram eodem, ut solvat fidejussionem? 284.
Quæstio 3. An Clericus delinquens in officio civili ipsi concesso a Principe sæculari, possit ab eodem puniri? 284.
Quæstio 4. An Judex laicus possit citare Clericum creditorem in confectione Inventarii? 285.
Quæstio 5. An possit Judex laicus citare Clericum, quando ejus debitor petit dilationem, vel beneficium cessionis bonorum? 286.
Quæstio 6. An Judex laicus possit punire Clericum coram ipso falsum testimonium dicentem? 286.

Quæ-

Digitized by Google

Quæstio 7. An quando contrei Clericus, & Laicus sint utrique debitores ejusdem rei, sive simul commiserint aliquod delictum, possit Judex laicus cognoscere, an verò solus Ecclesiasticus? 287.

§. 9. de Privilegio exemptionis a Gabellis, Exactionibus, & Tributis. 288.

Quæstio 1. Quinam gaudeant hoc privilegio immunitatis a Gabellis, & Tributis? 289.

Quæstio 2. An bona patrimonialia Clericorum possint gravari Tributis? 281.

Quæstio 3. An Clerici simul cum Laicis in his, quæ spectant ad communem utilitatem contribuere teneantur? 292.

Quæstio 4. An Ecclesiastici teneantur solvere onera, quę erant impositа bonis laicorum, quando talia bona ad ipsos Ecclesiasticos perveniunt? 295.

Quæstio 5. An quando Clericus simul cum Fratre, vel Nepote laico possidet aliquod commune bonum, guudeat immunitate Ecclesiastica a Gabellis totaliter, an verò pro sua portione? 298.

Quæstio 6. Quomodo Clerici negotiatores teneantur solvere Gabellas? 298.

Quæstio 7. An Clerici si per alium negotientur, teneãtur solvere gabellam? 300.

Quæstio 8. An licitè Senatus Panormitanus, aliæve Respublicæ exigant gabellas a Clericis, cum animo restituendi eas in fine anni? 301.

§. 10. de Exemptione Clericorum a statutis Principum laicorum. 302.

Quæstio 1. An Edictum Principis sæcularis de non ferendis armis, liget Clericos, & an de licentia Episcopi ea deferre valeant? 303.

Quæstio 2. An Familia Episcopi subjaceat legi Principis sæcularis prohibentis delationẽ armorum? 305.

Quæstio 3. An statutum Reipublicę prohibentis extractionem vini, olei, frumenti, bladæ, fructuum &c. obtuendam abundantiam in Civitate, comprehendat Cle-

Digitized by Google

Clericos? 305.
Quæstio 4. An Lex non introducendi vinum, vel aliud quidpiam in Civitatem, collectum extra territorium, obliget, & comprehendat Clericos? 307.
Quæstio 5. An Lex de non vendendis vino, oleo, frumento &c. nisi tanto pretio, obliget Clericos? 307.
§. 11. de Privilegio Capituli Odoardus. de Solutionibus. 308.
CAPUT 13. de Vita, & Honestate Clericorum. 315.
§. 1. de Habitu, & Tonsura Clericorum. 315.
§. 2. de Cohabitatione, & Conversatione Clericorum. 317.
§. 3. de Negotiis, & exercitiis Clericorum. 323.
CAPUT 14. de Regularibus, & Monachis. 332.
§. 1. Quid sit esse Regularem. 332.
§. 3. Qui fieri Religiosi prohibentur. 333.
§. 3. de Anno Novitiatus requisito ad Professionem validam. 338.
§. 4. de Aliis requisitis ad Professionem validam. 345.
§. 5. Quid, & quotuplex sit Professio. 347.
§. 6. de Effectibus Professionis validæ. 352.
§. 7. de iis ad quæ tenentur Religiosi. 361.
§. 8. de Religiosis Fugitivis, Apostatis, & Ejectis. 374.
§. Ultimus. de Monialibus. 379.

Digitized by Google

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM,

QUÆ IN HOC PRIMO LIBRO CONTINENTUR.

Prior numerus denotat Caput, Secundus est marginalis, qui progreditur per totum Caput.

Ubi unus tantum numerus ponitur, est marginalis sub præcitato Capite.

A

ABBAS quid sit. *Cap.* 6. *n.* 1. quotuplex. 3. *& sequentibus.* Ut eligatur, debet esse in ætate viginti quinque annorum. 10. Professus in Religione, in qua eligitur. 11. *& sequent.* Sacerdos. 15. Legitimus. 16. non irregularis, nec pœnitentiatus in Tribunali SS. Inquisitionis. 17. Ejus Confirmatio. 20. Benedictio. 23. Potestas. 31. Quoad Ordines minores conferndos. 32. *& sequent.* Jurisdictio in Subditos regulares. 43. *& sequent.* In Subditos sæculares. 31. & 47. Obligationes. 66. *& sequent.* Privilegia, quoad usum mozzettæ, baculi, mitræ, & baldachini. 60. *& sequent.* Quoad consecrandos Calices, Patenas, & Campanas. 63.

ABBATES ex Tridentino substituuntur loco Episcoporum in degradatione Clerici in Sacris, & debent esse Coajudices. *cap.* 12. *n.* 101.

ABBATIA regularis dari potest in commendam Seculari. *cap.* 6. *n.* 13.

ABBATISSA. *cap.* 6. *n.* 74. debet esse professa, & in ætate quadraginta annorum, vel triginta in necessitate. 74.

le-

legitima. 76. virgo, sed non necessariò. 79. quomodo eligenda. 80. In Italia, & Sicilia debet vacare per triennium a gubernatione, ut iterum eligatur. *ibidem.* ejus potestas in Subditos beneficiatos 82. in suas Moniales. 83. in res Monasterii, & Regulæ observantiam. 84. & 85. & in ordine ad recipiendas Novitias, aut Novitiarum professionem. *ibidem.*

ABSENS A CHORO Canonicus. *vide* Canonicus.

ABSENS AB ECCLESIA Parochus, vel Episcopus. *vide.* Parochus, vel Episcopus.

ABSOLUTIO ab excommunicatione ob Clerici percussionem, quando datur ab Episcopo. *cap.* 12. *n.* 35. *& sequent.*

ACHOLYTUS. *cap.* 1. *n.* 9. A

ADVOCARE, & procurare quando possit Clericus *cap.* 13. *n.* 18. *& sequent.* & quando Religiosus. *cap.* 14. *n.* 74.

ÆDIFICIA nova Religiosorum. *cap.* 14. *n.* 101. *& sequent.*

ÆTAS requisita ad Dignitatem. *cap.* 3. *n.* 5. *& sequent.* ad Canonicatum Cathedralis Ecclesiæ. *cap.* 4. *n.* 42. *& sequent.* Ad Canonicatum Collegiatæ. 50. Ad Episcopatum. *cap.* 7. *n.* 10. Ad Parochatum. *cap.* 5. *n.* 6. Ad Abbatiam. *cap.* 6. *n.* 10. Ad Abbatissatum. 75.

APOSTATÆ Religiosi. *cap.* 14. *n.* 167. quibus pœnis subjaceant 118.

ARCHIDIACONUS, qui esse debet, & quæ ipsi conveniunt. *cap.* 4. *n.* 1. *&* 2. in Panormitana Metropolitana Ecclesia est secunda Dignitas. 3. facit fidem de jis, qui volunt matrimonio conjungi. *ibid.*

ARCHIEPISCOPUS, quid sit. *cap.* 8. *n.* 1. *& sequent.* ejus Authoritas. 3. *& sequent.* Jurisdictio in Subditos. Suffraganeorum qualis. 7. *& sequent.* quomodo possit Subditum Suffraganei excommunicatum absolvere. 14. ejus Pallium, & Crux. 16. *sequent.*

ARCHIPRESBYTER Urbanus, & Ruralis. *cap.* 4. *n.* 4. *&* 5.

Digitized by Google

ARMA deferre de licentia Episcopi possunt Clerici, non verò de licentia Principis laici. *cap.* 12. *n.* 169. *& sequent.* si adest necessitas, possunt licitè Clerici arma deferre. *cap.* 13. *n.* 37.

B

BAPTISMUS a solo Parocho, vel Sacerdote de ejus licentia solemniter confertur. *cap.* 5. *n.* 50. in necessitate a quocunque. *ibid.*

BENEDICTIO, seu Consecratio Abbatis. *vide.* Abbas.

BONA Clericorum etiam Patrimonialia sunt exempta a Gabellis, & Tributis. *cap.* 12. *n.* 147. *& sequent.* Bona ficte donata Clericis non sunt libera a Tributis. 157. *ver. Noto.*

C

CANONICUS, quid sit *cap.* 4. *n.* 30. *& sequent.* ejus Officium. 33. *& sequent.* Alius in Cathedrali, alius in Collegiata, qui in Cathedrali potest esse Delegatus Papæ. 35. & Conservator Regularium, si fuerit Judex synodalis. *ibidem.* præcedit Canonicum Collegiatæ. 36. Tenetur ad Residentiam personalem. 37. Psallere in Choro voce alta. 38. Assistere Episcopo celebranti. 40. Eum assbciare ex Aula ad Cathedralem pontificaliter celebraturum. 41. Ordinem sacrum annexum Canonicatui accipere. 42. Absens a Choro quando lucretur fructus præbendæ, aut etiam distributiones. 51. *& sequent.* Canonicus Collegiatæ non habet Dignitatem. 46. Locum cedit Portionariis eiusdem, sim l cum Canonicis Cathedralis. 48. Canonici electio non requirit formam præscriptam. *in cap. Quia propter. De electione.* 167.

Digitized by Google

CANONIS privilegium, quod sit. *cap.* 12. *n.* 5. eo gaudent Clerici omnes etiam primæ Tonsuræ. 6. Etiam qui in minoribus non habent ea, quæ requiruntur a Tridentino, ut gaudeant Foro. 7. Etiam Conjugati. 8. Etiam suspensi, excommunicati, & interdicti. 9. Etiam degradati verbaliter tantùm, non autem actualiter. 10. Religiosi omnes etiam Novitii, & Laici, Moniales, etiam Conversæ. 19. Tertiarii sive Mares, sive Fœminæ viventes sub regula in communi. 20. Eremitæ simili modo viventes. 21. Religiosi militares. 22. Non gaudet Clerici cadaver. 12. *& sequent.* nec Hæretici. 15. Nec Bigami. 16. Nec enormitatibus se immiscentes dimisso habitu. 17. Nec, qui ter moniti habitum non reassumunt, aut per annum artem ignominiosam exercent. 18.

CANTOR. *vide* Primicerius.

CAPITULUM VIVENTE EPISCOPO. *cap.* 4. *n.* 74. ejus consensus requiritur, ut Episcopus alienet res Ecclesiæ. 75. Ut uniat Ecclesias. 76. *& sequent.* In omni negotio ad interesse Capituli spectante. 81. & in jis, in quibus est consuetudo, ut non fiant, sine consensu Capituli ab Episcopo. *ibidem.* In quibus sufficiat consilium Capituli. 82. & 83. quæ possit Capitulum statuere. 84. & 85.

CAPITULUM SEDE VACANTE. *cap.* 4. *n.* 86. eligit Vicarium. 87. qui qualis debeat esse. *vide*: Vicarius Capitularis Sede vacante. infra octo dies. *ibidem.* qualiter computandi dies octo. 88. *& sequent.* Succedit in omni Jurisdictione ordinaria Episcopi. 116. & 145. *& sequent.* non potest conferre Beneficia liberæ collationis; potest autem ea, quæ sunt necessariò conferenda. 121. *& sequent.* & ea, quæ Jure devolutionis competunt Episcopo. 124. *& sequent.* non potest recipere resignationes, nisi Beneficiorum, quæ conferre potest. 126. *& sequent.* Non succedit in Jurisdictione delegata Episcopi.

Digitized by Google

scopi. 133. Quando, & cum quibus dispensare possit in Interstitiis infra annum luctus. 135. 137. *& sequent.* Dare potest extero Episcopo licentiam ordinandi aliquos infra annum. 140. *& sequent.* Judicare potest de aliquibus causis. 152. Visitare Diœcesim. 153. *& sequent.* non tamen Monasteria exempta. 156.

CAPPELLANUS maximus. *cap.* 4. *n.* 24.

CARDINALES S. R. E. quare sic dicti. *cap.* 10. *n.* 1. Eorum Privilegia. 3. *& sequent.* Eorum Congregationes, quæ, & quot. 13. *& sequent.* Eorum Consistorium. 16. Nullam habent Jurisdictionem Sede vacante. 17. Eorum particularia officia. 18. *& sequent.*

CHIRURGIA. *vide* Medica ars.

CLAUSURA Monialium. *cap.* 14. *n.* 126. Nulli licitum est intrare earum Monasteria sine licentia. 130. Quibus datur licentia ingrediendi, & in quibus casibus, in Monialium Monasteria. 131. *& sequent.*

CLERICI CONJUGATI non gaudent privilegio *cap. Odoardus. cap.* 12. *n.* 180. *ver. Nomine.* Nec exemptione a Gabellis. 143.

CLERICI quando possint coram Judice laico conveniri, aut ab eo capi si fuerint delinquentes. *vide* Judex laicus.

CLERICUS DELINQUENS in officio civili non potest puniri a Principe laico. *cap.* 12. *n.* 133. Correus cum Laico a Judice Ecclesiastico punitur. 137. Factus Clericus post commissum delictum in statu laicali sine fraude, est puniendus a Judice Ecclesiastico; si cum fraude, a Laico. 103. *& sequent.*

COHABITATIO Clericorum cum mulieribus suspectis est prohibita. *cap.* 13. *n.* 6. *& sequent.* Cum consanguineis conceditur. 8. Et cum aliquibus aliis. *ibidem ver. Permittitur.*

CONCUBINARIUS Clericus qualiter puniendus. *cap.* 13. *n.* 7. *& sequent.*

Digitized by Google

COLLOQUENTES cum Monialibus sine licentia, subjacent pœnis. *cap.* 14. *n.* 140. Regulares ex Decr. Clementis IX. nec ad breve tempus colloqui possunt cum Monialibus sine licentia. 141.

COMMENDATARIUS Abbas non tenetur professionem facere, nisi exprimatur in Bulla concessionis. *cap.* 6. *n.* 13. Non potest se immiscere in gubernatione Monachorum. 14.

COMOEDIAS interesse prohibitum Clericis. *cap.* 13. *n.* 11. An sit mortale, si non habetur scandalum, & contemptus, *ibidem. versus. Notandum.*

CONCILIA generalia, nationalia, provincialia, & diœcesana. *In proœmio. n.* 15. *& sequent.*

CONCISTORIUM Cardinalium, *vide* Cardinales.

CONGREGATIONES Cardinalium. *vide* Cardinales.

CONFESSIO annua fieri potest cum Regularibus sine licentia Parochi. *cap.* 5. *n.* 46. *&* 47.

CONFESSARII Monialium. *vide* Monialium.

CONFIRMATIO Abbatis. *vide* Abbas.

CONSENSUS, VEL CONSILIUM Capituli. *vide* Capitulum vivente Episcopo.

CRAPULA fugienda a Clericis. *cap.* 13. *n.* 10.

CRUX ARCHIEPISCOPALIS. *cap.* 8. *n.* 23. *& sequent.*

CUSTOS, SEU SACRISTA quomodo differt a Thesaurario. *cap.* 4. *n.* 14.

D

DECANUS, qui sit, & quæ ejus Dignitas. *cap.* 4. *n.* 6. *&* 7. De Jure est Dignitas, & quæ ei conveniunt. 9. *& sequent.*

DECLARATIONES Sacræ Congregationis, si fuerint authenticæ, habent vim obligandi in utroque Foro. *in Proœmio. n.* 18.

DE-

Digitized by Google

DECRETVM GRATIANI, quam authoritatem habeat. *in Proœmio. n.* 14.
DEGRADATIO Clerici in Sacris, quibus ex causis, & quomodo facienda. *cap.* 12. *n.* 90. *& sequent.*
DELEGATI Papæ possunt esse Canonici Cathedralis. *cap.* 4. *n.* 35.
DENVNCIATIONES matrimoniorum faciendæ sunt ab utroque Parocho, si contrahentes sunt in diversis Parochiis. *cap.* 5. *n.* 56. possunt aliquando fieri in diebus feriatis, & non in Missa. 58. Non dispensat in ipsis Parochus, sed Episcopus. 59. & 63.
DIACONVS, qui sit. *cap.* 2. *n.* 4. Ejus officium in primitiva Ecclesia. 5. In præsenti. 6. *& sequent.* Non potest solemniter baptizare, nec ministrare Eucharistiam præsente Sacerdote sine necessitate. 9.
DIACONISSAE, quæ fuerint. *cap.* 2. *n.* 11. Earum officium. 12. Abolitæ fuerunt. 14.
DIGNITAS Ecclesiastica, quæ sit, & quotuplex. *cap.* 3. *n.* 1. *& sequent.* Servatur gradus, & Ordo inter Dignitates potissimùm secundùm Consuetudinem Ecclesiarum. 9. Quæ spectant ad primam Dignitatem. 11. *& sequent.*

E

EDUCANDÆ Puellæ intra Monasteria ad quid teneantur. *cap.* 14. *n.* 124.
EJECTI Religiosi. *cap.* 14. *n.* 109. ob quas causas ejici possint Professi è Religione. 110. Tenentur ad vota substantialia, non autem ad reliquas observantias. Nec si fuerint ex Ordine Minimorum, ad vitam quadragesimalem. 111. Ejecti è Societate Jesu post vota biennii, ad nihil tenentur. 113. Ejectus correctus debet admitti in Religionem sine novo Novitiatu. 115. Hodie non possunt ejici Professi, nisi post annum pœnitentiæ non resipuerint. 117.

EPI-

Digitized by Google

EPISCOPVS unde dictus. *cap.* 7. *n.* 2. est superior Presbyteris quo ad Jurisdictionem. 3. & 6. & quo ad Ordinis potestatem. 4. & 5. Habet Episcopus in communi Jurisdictionem immediatè a Christo, Episcopus in particulari a Papa. 6. *& sequent.* Ut quis fiat Episcopus requiritur ætas 30. annorum. 10. Non foret autem suspensus, si ante eam ætatem consecraretur. *ibidem.* Debet esse legitimus. 11. In Ordine sacro. 12. Litteratus. 13. Et bonæ vitæ. 15. Ejus obligationes quo ad se. 19. Quo ad Sacramenta Confirmationis, & Ordinis ministranda. 28. Quo ad curam Pauperum, & Orphanorum. 30. Quo ad Subditos, ut sciant Fidei mysteria. 20. Ne Laici disputent de Fide. 21. Ne Prædicatores inania prædicent. 22. Ne libri imprimantur sine ejus licentia. 23. Ne novæ Imagines exponantur. 24. Ut Sacramenta rite ministrentur. 29. Ut vagi Sacerdotes non celebrent sine ejus licentia. 25. Tenetur ex Jure divino ad Residentiam personalem. 32. *& sequent.* Visitare Diœcesim. 46. Congregare Synodum. 52. Constituere Vicarium. 58. Quanta sit ejus potestas in sua Diœcesi. 69. *& sequent.* non omnia potest in Diœcesi, quæ potest Papa in Orbe terrarum. 88. *& sequent.* Non potest validè consecrari Episcopus, qui non est Sacerdos. 83. *& sequent.* Probabile est validè Sacerdotem in Episcopum ab uno tantùm Episcopo consecrari. 86. *& sequent.* Episcopo conceditur a Tridentino facultas absolvendi, & dispensandi in casibus occultis Papalibus. *cap.* 4. *a n.* 145. *usque ad* 152. Episcopus assumptus ex Religioso statu. *vide* Religiosi.

ERRARE an possit Papa. *vide* Papa

EVCHARISTIA infra annum a quocunque Sacerdote ministratur. *cap.* 5. *n.* 41. *&* 42.

EXACTIONES, & collectæ in communibus necessitatibus, ut solvantur a Clericis, requiruntur variæ conditiones.

Digitized by Google

nes. *cap.* 12. *n.* 148. *& sequent.*
EXCOMMVNICATIO ob Clerici percussionem incurritur a percutiente Clericum, etiam consentientem. *cap.* 12. *n.* 24. a Mandante, a Ratificante percussionem factam nomine suo. 25. *& sequent.* a Consulente, Auxiliante, a non Impediente culpabiliter. 26. Non incurritur a Pueris ante usum rationis. 27. neque ab Infideli. 28. Neque ab ignorante Clericatum percussi. 29. Neque a Repellēte vim Clerici cum moderamine inculpatæ tutelæ. 30. Neque a Percutiente joco, & non ex odio. 31. Neque a Magistro, aut Patre causâ disciplinæ percutiente Clericum. *ibidem. versu: Præterea.* neque a Percutiente casu fortuito. 32. Neque a Percutiente Clericum turpiter inventum cum Uxore, Matre, Sorore, vel Filia. 33. Neque a Capiente Clericum in flagranti delicto, ut eum tradat Episcopo. 34. *vide* Canonis privilegium.
EXORCISTA, & ejus officium. *cap.* 1. *n.* 7.
EXTREMA UNCTIO a Parocho ministranda. *cap.* 5. *n.* 52.

F

FAMILIA EPISCOPI etiam laica gaudet Foro ecclesiastico. *cap.* 12. *n.* 73. & quo ad delationem armorum. 169.
FIDEI PROFESSIONEM tenentur facere Dignitates, & Canonici in Capitulo. *cap.* 3. *n.* 8. Parochi in manibus Episcopi, vel Vicarii Generalis. *cap.* 5. *n.* 23. *& sequent.*
FOEMINÆ non possunt admitti intra Religiosorum Clausuram. *cap.* 14. *n.* 68. in aliquibus casibus possunt. 69. *& sequent.*
FORI PRIVILEGIUM, quo gaudent Clerici. *cap.* 12. *n.* 42. In causis spiritualibus est de Jure divino. 45. In causis civi-

Digitized by Google

civilibus, aut criminalibus, de Jure humano. 46. Ut gaudeant hoc privilegio Clerici in minoribus, plura requiruntur ex Tridentino. 49. *& sequent.* & ut gaudeant Clerici conjugati, requiritur, ut cum unica, & Virgine contraxerint, ut habitum deferant, & serviant Ecclesiæ, vel Monasterio. 59. *& sequent.* Gaudent Foro Uxores legitimæ Clericorum. 66. Religiosi omnes, & Moniales. 67. Religiosi militares. 69. Aliqui Tertiarii, & Eremitæ, & Bizochæ, seu Beatæ aliquæ. 70. & 71. Mancipia Clericorum, aut Ecclesiæ. 75. Familiares Episcopi, etiam Laici. 73. Aliqui Coloni Clericorum, aut Ecclesiæ. 77. Concubina Clerici in causa fornicationis cum Clerico, non verò in aliis. 78. Foro non gaudent Itali ordinati ab alieno Episcopo sine veris dimissoriis. 79. Clerici bigami. 80. Qui Habitum, & Tonsuram non deferunt post trinam monitionem. 81. *& sequent.* Incorrigibiles. 83. *& sequent.* Exercentes artem ignominiosam 86. & 87. Milites facti. 88. Qui dimisso habitu enormitatibus se immiscent. 89. *& sequent. vide* Habitus clericalis.

FUGITIVI Religiosi. *cap.* 14. *n.* 107.

G

GABELLÆ EXACTIONES, ET TRIBUTA non debentur a Clericis. *cap.* 12. *n.* 139. *& sequent.* Gaudent exemptione a Gabellis Clerici omnes. 141. Religiosi omnes, & Moniales. 144. non verò Coloni, & Conductores bonorum Ecclesiæ, vel Clericorum. 145. Licitè a Senatu Panormitano exiguntur Gabellæ a Clericis cum animo, & pactoeas restituendi in fine anni. 165. *vide* Bona Clericorum, & Negotiatores Clerici.

HA-

Digitized by Google

H

HABITUS, & Tonsura Clericorum. *cap.* 13. *n.* 1. & *sequent.* Habitus clericalis reassumptus post delictum commissum sine fraude, valet ad Foro gaudendum: cum fraude, non valet. *cap.* 12. *n.* 82. Similiter, qui in statu laicali commisit delictum, si sine fraude Habitum Clericalem, aut Religiosum assumit, gaudet: cum fraude, non gaudet. 103. & *sequent.*

HORÆ CANONICÆ recitandæ a Canonicis voce alta. *cap.* 4. *n.* 38. recitandæ privatim a Religiosis Professis nondum in Sacris, & Monialibus, non interessentibus Choro. *cap.* 14. *n.* 146.

I

IMPUBERES intrantes Religionem ex voluntate Parentum, non tenentur, cum venerint ad annos pubertatis, permanere in Religione; & si reluctantes intrarunt, etiam ante annos pubertatis egredi possunt. *cap.* 14. *n.* 27. possunt a Parentibus revocari si sine eorum consensu ante legitimam ætatem intrarunt. 26.

INJECTIO manus violentæ in Clericum, vel Monachum, quæ sit gravis, quæ levis. *cap.* 12. *n.* 23.

IRREGULARITAS quo ad Ordines ex defectu natalium tollitur per Professionem Religiosam, non verò quo ad Dignitates sine consensu Capituli generalis, vel provincialis. *cap.* 6. *n.* 16. & *cap.* 14. *n.* 49.

JUDEX CONSERVATOR Regularium potest esse Canonicus Cathedralis, si fuerit Judex synodalis. *cap.* 4. *n.* 35.

JUDEX LAICUS non potest punire Reum, qui sine fraude post delictum factus est Clericus, vel Monachus. *cap.* 12. *n.* 103. & *sequent.* Capere potest Clericum deprehen-

Digitized by Google

hensum in delicto. 113. & in aliis casibus. 114. & sequent. Cognoscit causam Clerici si est ipse Delegatus Papæ 119. Si agitur de Feudo habito a Laico Principe. 120. Si Clericus convenitur, ut Tutor, Curator, aut Procurator Laici. 121. Aut causa evictionis rei venditæ Laico. 122. Aut si sit hæres defuncti Laici, in causa incepta contra Laicum. 128. & sequent. Aut si fuerit reconventus a Laico in causa civili. 124. & sequent. Aut si fuerit sequester ex decreto Judicis laici. 123. Non cognoscit Judex laicus de damno illato a pecoribus Clerici. 131. Nec de Fidejussione pro Laico. 132. Potest citare Clericum in confectione Inventarii. 134. Et quando Debitor laicus petit dilationem. 135.

JUDICES SYNODALES constituendi in Synodo, & substituendi extra Synodum ab Episcopo cum consilio Capituli. *cap.* 7. *n.* 56.

JURISDICTIO Abbatis in Subditos sæculares. *cap.* 6. *n.* 31. & 47. In Subditos religiosos. 43. Archiepiscopi in Suffraganeos. *cap.* 8. *n.* 3. & *sequent.* Ejusdem in Subditos Suffraganeorum. 7. & *sequent.* Episcopi Jurisdictio est ordinaria, & quomodo sit a Christo, quomodo a Papa. *cap.* 7. *n.* 6. & *sequent.* Ad quæ se extendat. 69. & *sequent.* Parochi Jurisdictio in foro externo nulla. *cap.* 5. *n.* 3. Legatorum Jurisdictio. *cap.* 9. *n.* 8. & *sequent.* Vicarii Generalis Jurisdictio ordinaria. *cap.* 7. *n.* 63. & *sequent.* Quanta sit. 66. Quando spirat. 68.

L

LAICUS non potest eligi in Episcopum sine dispensatione. *cap.* 7. *n.* 16.

LAICUS JUDEX quo ad Clericos. *vide* Judex laicus.

LAICUS PROFESSUS, non verò Novitius transire potest ad statum Clericalem in Religione. *cap.* 14. *n.* 29.

LE-

Digitized by Google

LECTORATUS Ordo. *cap.* 1. *n.* 6.
LEGATI Sedis Apostolicæ, qui sint. *cap.* 9. *n.* 1.
Eorum species tres. 2. *& sequent.* possunt in Provincia sibi demandata, quæ potest Episcopus in sua Diœcesi. 8. *& sequent.*
LEGES PRINCIPIS LAICI non obligant Clericos. *cap.* 12. *n.* 168. *& sequent.* Obligant sæpe eos ex vi directiva, nunquam vi coactiva. 168. *& sequent.*
LEGUM CIVILIUM studium publicum Clericis Sacerdotibus interdictum, & Monachis. *cap.* 13. *n.* 34. *& sequent.* Docere autem non est prohibitum. 36.
LUDUS Alearum, & Taxillorum prohibitus Clericis. *cap.* 13. *n.* 24.
MEDICA ARS, & Chirurgia non potest exerceri a Clericis in Sacris, & Monachis professis, nisi de licentia, & in necessitate. *cap.* 14. *n.* 76.

M

MONIALIS ut fiat Puella, debet examinari. *cap.* 14. *n.* 120. Monialium velum multiplex. 121. Ultra duas Sorores in eodem Monasterio esse non possunt sine dispensatione. 122. Afferre dotem Moniales tenentur. 123. Obligantur ad Clausuram perpetuam, ita ut exeuntes incidant in excommunicationem reservatam Papæ. 125. Dantur casus, in quibus Episcopus dare potest licentiam exeundi ad tempus è Monasterio. *ibidem*, & 127. Licentia transeundi de uno Monasterio in aliud sub aliquibus conditionibus datur a Sacra Congregatione. 128. Debent confiteri, & communicare singulis mensibus. 143. Ipsarum Confessarii qui debeant esse. 134. In Monasteriis exemptis debet Confessarii esse approbati ab Ordinario. 144. Approbatus Confessarius pro uno Monasterio non sit pro-

probatus pro alio. 145. Tenentur Moniales ad Horas Canonicas. *vide* Horæ Canonicæ. Cum Monialibus Colloquentes. *vide* Colloquentes.

N

NEGOTIATORES Clerici tenentur ſolvere Gabellas. *cap.* 12. *n.* 159. Qui ſint Negotiatores. 160. Si non abſtinent a negotiatione, poſt trinam monitionem, ſubjiciuntur etiam quo ad Perſonas Publicanis. 161. Negotiari non poſſunt Clerici, etiam in minoribus, ſi habent unde ſuſtententur. 162. Neque per alium negotiari poſſunt Clerici. 163. Non eſt prohibita negotiatio ex aliquo exercitio, ſeu artificio licito, neque ex venditione talium rerum tenentur Clerici ad Gabellas. 164. Qualiter prohibita ſit Clericis negotiatio. *cap.* 13. *n.* 26. Et qualiter non prohibita. 27. *& ſequent.*
NOTARII aliquando poſſunt eſſe Clerici. *cap.* 13. *n.* 22.
NOVITIATUS per annum requiſitus ad validam profeſſionem. *cap.* 14. *n.* 14. *&* 20. Non eſt iterandus ab eo, qui vult ratificare profeſſionem ſuam nullam. 15. Nec quando Novitius ob juſtam cauſam de licentia Superiorum, poſt annum completum, exivit è Monaſterio, & ad idem deinde revertitur. 16. Neque interrumpitur annus ab eo, qui cum licentia per aliquot dies manet extra Clauſtra, ſed ab eo, qui ſine licentia. 21. NOVITIUS liberè exire poteſt è Religione. *cap.* 14. *n.* 24. Non privatur Beneficiis eccleſiaſticis. 9.

O

OBEDIENTIA Religioſorum qualis eſſe debeat. *cap.* 14. *n.* 89.
OBLIGATIONES Abbatis. *vide* Abbas. Parochi. *vide* Parochus.

Digitized by Google

chus. Episcopi. *vide* Episcopus &c.
C. ODOARDUS DE SOLUTIONIBUS quale privilegium det Clericis. *cap.* 12. *n.* 176. Multa requiruntur, ut eo gaudeant Clerici. 177. *& sequent.* Non potest Clericus renunciare tali privilegio, ita ut se obliget ad non utendum eo. 190. Nec juramentum de eo non utendo tenet. 191.
ONERA realia, non verò personalia solvuntur a Clericis, quoties ad eos veniunt bona laicorum oneribus gravata. *cap.* 12. *n.* 156. *&* 157.
ORDINES MINORES conferre possunt Abbates suis Monachis. *cap.* 6. *n.* 32. *& sequent.* & Cardinales in suis Titulis, suis familiaribus, & subditis. *cap.* 10. *n.* 4.
OSTIARIUS, qui sit. *cap.* 1. *n.* 4.

P

PALLIUM Archiepiscopale. *cap.* 8. *n.* 16. Est personale, nec alteri accommodari potest. 20. Si amittatur sine eo celebrare potest Archiepiscopus. *ibidem.* ejus usus quoties permissus, & in quibus diebus. 19.
PAPA unde dictus, ejusque alia nomina. *cap.* 11. *n.* 1. Est Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha, & Pastor totius Ecclesiæ. 2. Ejus Dignitas est suprema. 5. Immediatè est a Christo. 6. Est Papa supra Concilium universale. 7. Nec datur casus, in quo, qui est Papa, subjiciatur Concilio universali. 21. Est supra omnes Prælatos. 9. Imperatorem, & Reges. 10. Potest Papatui renunciare. 16. Ob solum Hæresis notoriæ crimen, & cum pertinacia in eo, decidit è Papatu. 17. *& sequent.* Errare non potest in materia Fidei. 22. *& sequent.* Nec in Decretis pro tota Ecclesia. 25. Nec in Canonizatione Sanctorum. 26. Nec in approbandis Religionibus. 27. Ut privata persona errare potest. 28. Non-

Digitized by Google

dum permisit Deus, ut incideret Papa in hæresim formalem. *ibidem verſ. Valde.* Eſt ſupra omne jus humanum. 34. Nullâ cenſurâ ligatur. 37. Ipſe ſolus aliqua poteſt, quæ non poſſunt Epiſcopi. 38. Quo ad vim directivam, non verò quo ad coactivam obligatur ſervare Canones. 35. Eſt Jure divino exemptus ab omni poteſtate laicali. *cap.* 12. *n.* 48. *verſ. Unum.*

PAROCHUS unde dictus. *cap.* 5. *n.* 1. Debet eſſe legitimus. 5. In ætate viginti quinque annorum. 6. *& ſequent.* Verſatus in Ordine clericali. 9. Peccat ſi ſine animo ſuſcipiendi infrà annum Sacerdotium, acceptat Parochiam & tenetur ad reſtituendos fructus. 13. Debet eſſe literatus. 14. Et bonæ famæ vir. 15. Panormitanus natus, ut Parochiale Beneficium Panormi obtineat. 20. *& ſequent.* Et ut fuerit antea ſimpliciter approbatus ad audiendas Confeſſiones omnium. *ibidem.* Tenetur Parochus ad Fidei profeſſionem faciendam infrà duos Menſes in manibus Epiſcopi, vel Vicarii Generalis. 23. *& ſequent.* Sub pœna non faciendi fructus ſuos. 26. *& ſequent.* Ad docendos Pueros doctrinam Chriſtianam. 33. Ad prædicandum diebus feſtis. 34. Ad celebrandum pro ovibus ſuis. 36. *& ſequent.* Ad Sacramenta miniſtranda. *a n.* 41. *uſque ad* 56. Non Sacerdos, aut ſuſpenſus, aut excommunicatus, aut interdictus validè aſſiſtit matrimoniis. 65. *& ſequent.* Ægrotans non privatur Beneficio, ſed accipit Coadjutorem. 91. & 92. Reſidere debet in ſua Parochia. 83. Abeſſe poteſt ex juſta cauſa per tempus bimeſtre, ultra quod requiritur licentia Epiſcopi in ſcriptis, & ut ponatur in Parochia Vicarius. 86. *& ſeq.* Ejus reliqua munia. 95. Debet libros Baptizatorum, Confirmatorum, Conjugatorum, & Mortuorum apud ſe habere. 97.

PATRIARCHÆ, qui ſint, & quot. *cap.* 8. *n.* 26. Eorum privilegia. 27. *& ſequent.*

Digitized by Google

PAUPERTAS Religiosa qualis sit. *cap.* 14. *n.* 81.
PECULIUM ad nutum Superioris amovibile licitum est Religiosis professis. *cap.* 14. *n.* 82. *& sequent.*
POENITENTIARIUS Canonicus debet esse Doctor, & in ætate 40. annorum. *cap.* 4. *n.* 45.
PORTIONARII, seu Canonici de Mensa, Assisii, vel Secundarii, qui sint, & ad quid teneantur. *cap.* 4. *n.* 71. *& sequent.*
PRÆDICARE ut possint Religiosi in suis Ecclesiis, sufficit benedictio Episcopi, in alienis requiritur licentia. *cap.* 14. *n.* 95. Non potest Episcopus generatim prohibere, ne in suis Ecclesiis prædicent Religiosi. 96.
PRÆPOSITVS, qui sit. *cap.* 4. *n.* 20. Est in aliqua Collegiata prima Dignitas. 21.
PRESBYTER, qui sit. *cap.* 2. *n.* 16. *& sequent.* Ejus officium, & potestas. 19. *& sequent.* Potestas consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi, non potest ei auferri ab Homine. 22. Potestas absolvendi a peccatis ut validè, & licitè reducatur ad actum, requiritur Jurisdictio, quam communicat Ordinarius Pastor. 28. & 33. Matrimoniis assistit invalidè sine licentia Parochi. 29. Reliqua Sacramenta validè, sed non licitè ministrat sine licentia Superioris. 30. *& sequent.*
PRIMATES, qui sint. *cap.* 8. *n.* 26.
PRIMICERIVS, seu Cantor, qui sit. *cap.* 4. *n.* 16. Ejus officium. 17. In Panormitana Ecclesia est prima Dignitas. *ibidem.*
PRIORES alii Sæculares, alii Regulares. *cap.* 4. *n.* 25. Regulares, alii Conventuales, alii Claustrales. 26. *& sequent.*
PRIVILEGIA Referendariorum, quatuor Patriarcharum, Prothonotariorum, & Cardinalium. *vide* Referendarii. Patriarchæ. Prothonotarii. & Cardinales. privilegia Clericorum, quæ sint. *cap.* 12. *per totum.*

PRO-

Digitized by Google

PROFESSIO religiosa, ut valida sit, requiritur ætas 16. annorum, & annus novitiatus completus *cap.* 14. *n.* 1. & præterea consensus liber ex parte profitentis, & consensus Superioris acceptantis. 28. Ætas super 16. annum in aliquibus Religionibus requisita, non est necessaria ad valorem, & in Societate ante 33. annum valida est. 30. Sufficit, ut ratificetur post 16. annum, ut sit valida, si profitens vir erat in ætate 14. & puella 12. annorum. *Ibidem. versu. Item.* Requiritur carentia erroris circa substantialia Religionis ex parte profitentis, & carentia erroris ex parte acceptantis. 32. sub quibus conditionibus fieri possit. 38. Alia est tacita, alia expressa. 35. *& sequent.* Matrimonium contrahendum dirimit. 46. Tollit vota in seculo facta. 47. Liberat a patria potestate 48. Tollit irregularitatem ex defectu natalium quo ad Ordines, non verò quo ad Dignitates. 49. quam etiam tollunt vota simplicia post biennium in nostra Societate. *Ibidem.* nec in eam reincidunt qui dimittuntur è Societate. 50. Tollit Ducatum, Marchionatum, & alios titulos non verò Nobilitatem. 53. Tollit facultatem testamentum faciendi. 54. *vide* Testamentum. Est insolubilis. 57. In ea dispensare potest Papa. 58. per eam remittitur tota pœna debita peccatis in sæculo commissis. 62.

PROFESSI Societatis Jesu transeuntes ad aliam Religionem tenentur ad votum de non procurandis, nec acceptandis Dignitatibus Ecclesiasticis. *cap.* 14. *n.* 112.

PROTHONOTARII Apostolici. *cap.* 4. *n.* 170. eorum officium. 171. Privilegia. 172. *& sequent.* Qui non sunt participantes, habent privilegia restricta. 179. *& sequent.* Qui est simul Prothonotarius, & Canonicus, cum habitu Canonicali sedet in Choro, non verò cum habitu Prothonotarii. 180. & 181. *& sequent.*

PSALMISTA. *cap.* 1. *n.* 1.

RE-

Digitized by Google

R

RECLAMARE potest Professus adversùs professionem infra quinquennium. *cap.* 14. *n.* 60. *& sequent.* Non verò Conjux, qui post Matrimonium ratum non consummatum professus est. 61.

REFERENDARII Apostolici. *cap.* 4. *n.* 159. Eorum officium. 164. & 165. Eorum privilegia, præsertim a Sixto V. concessa. 167. *& sequent.*

REGULARIS qui sit. *cap.* 14. *n.* 1. Qui verò Monachus. *ibid.*

RELIGIOSI prohibentur fieri, qui accusati sunt de delicto. *cap.* 12. *n.* 109. qui non habent decimumquintum annum completum. *cap.* 14. *n.* 2. Servi, seu Mancipia sine consensu Dominorum. 3. Matrimonio copulati sine consensu conjugis alterius. 4. Ante consummatum Matrimonium, ad quod consummandum datur bimestre, potest alter, conjux invito altero, Religionem intrare, & manens Conjux in sæculo, post professionem illius, matrimonium aliud inire. 5. *& sequent.* Qui parentes habent in extrema, aut gravi necessitate constitutos, non possunt fieri Religiosi, quanvis talium professio foret valida. 8. Neque Religiosi fieri possunt Episcopi sine licentia Papæ. 9. Neque Canonici, & Beneficiati sine licentia Episcopi. *ibidem.* neque obligati ad ratiocinia, nisi absolutis rationibus. 10. Neque debitis onerati. 11. Jesuitæ prohibentur fieri, qui homicidium commiserunt, aut alterius Religionis habitum susceperunt, aut in hæresim lapsi sunt, aut in schisma, aut sint carentes judicio. 13. Religiosi assumpti ad Episcopatum manent Religiosi, & votis substantialibus obstricti. 59. Non tenentur autem ad alias observantias regulares, imò neque Episcopus ex Ordine Minimorum ad votum vitæ quadragesimalis. *ibidem ver: Non te-*

tenetur. Tenentur Religiosi ad profectum in virtute. 63. Ad habitum gestandum. 64. Ad chorum. 66. Non possunt admittere fœminas intra clausuram. 68. Nec addici servitio Principum. 72. Nec exire è Monasterio sine licentia Superioris. 73. Nec advocare, aut procurare, nisi in aliquo casu. 74. Nec testificari in Judicio. 75. Nec artem Chirurgiæ, & Medicinæ exercere. 76. & 77. Nec esse Tutores testamentarii, aut dativi. 78. Nec fidejubere. 79. Nec esse executores Testamentorum. 80. Nec sibi eligere Sepulturam. 86. Delinquentes extra claustra quando, & quomodo puniri possint ab Episcopo. 90. Ad processiones publicas accedere debent, nisi privilegium habeant. 91. Quibus ex causis possint ad aliam Religionem transire. *vide* Transitus. Ad Moniales accedere colloquendas non possunt. *vide* Colloquentes.

Residentia Parochorum, Canonicorum, Episcoporum. *vide* Parochus, Canonici, Episcopus.

S.

Sacerdos. *vide* Presbyter.

Signatura Gratiæ, & Justitiæ in quo differant. *cap.* 4. *n.* 160. *& sequent.*

Sodomitæ Clerici qua pœna puniendi. *cap.* 13. *n.* 9.

Statuta Principum sæcularium non obligant Clericos vi coactiva, obligant tamen sæpe vi directiva. *cap.* 12. *n.* 168. 171. & 172.

Subdiaconus. *cap.* 2. *n.* 2. Ejus officium. 3.

Succentor, seu Vicecantor. *cap.* 4. *n.* 19.

Synodus congregunda ab Episcopo. *cap.* 7. *n.* 52. *& sequent.* Quæ in ea fieri debent. 56.

THE-

Digitized by Google

T

THESAURARIUS, qui sit. *cap.* 4. *n.* 12. Est hodie Dignitas. 13.
TESTAMENTUM facere non potest Religiosus factus Episcopus. *cap.* 14. *n.* 54. Religiosi Militares S. Jacobi Calatravæ, Alcantaræ &c. testari possunt, tum de bonis patrimonialibus, tum de acquisitis ex Commenda. 55. Equites autem Melitenses solùm testari possunt secundùm quantitatem permissam, de licentia magni Magistri. *ibidem*. Jesuitæ nondum professi post vota biennii cum licentia Superioris testari possunt. 56.
TESTES aliquando possunt esse Clerici. *cap.* 13. *n.* 23. & aliquando etiam Religiosi. *cap.* 14. *n.* 75.
TONSURATUS. *cap.* 1. *n.* 2. Non habet Ordinem, pro ut Ordo est Sacramentum, sed habet Ordinem, pro ut Ordo est gradus inter Clericos. 3.
TORNEAMENTIS, seu agitationi Taurorum Clerici in Sacris, & Religiosi non possunt interesse. *cap.* 13. *n.* 13.
TRANSITUS Religiosi professi ad Religionem strictiorem de licentia Superioris est licitus. *cap.* 14. *n.* 104. Professi Jesuitæ de licentia Præpositi Generalis, ad quamcunque Religionem transire possunt. 105. Monialium ad aliud Monasterium de licentia Sacræ Congregationis sub variis conditionibus conceditur. 128.
TUTORES aliquando possunt esse Clerici. *cap.* 13. *n.* 25. Aliquando Religiosi. *cap.* 14. *n.* 78.

V

VENATIO qualis sit Clericis prohibita. *cap.* 13. *n.* 17.
VENDERE tenentur Clerici res suas pretio taxato a Principe, & mensuris, ac ponderibus statutis, non vi coacti-

Digitized by Google

ctiva, sed directiva. *cap.* 12. *n.* 174.
VICARIVS CAPITVLARIS Sede vacante potest eligi, ita judicante Capitulo, non Doctor, aut Doctor in Theologia. *cap.* 4. *n.* 94. *& sequent.* Extra Capituli gremium, est tamen præferendus Idoneus in Capitulo. 98. Parochus in Civitate, ubi est Sedes. 102. Canonicus non Sacerdos. 104. In electione Vicarii non requiritur forma præscripta. *in cap. Quia propter.* 107. Electus Vicarius non potest ad libitum deponi, nec eligi ad certum tempus. 109. Electio Vicarii si fuerit nulla, potest de novo fieri a Capitulo. 111. Talis nullitas habetur si non fuerunt omnes Canonici vocati, aut si vota non fuerunt capitulariter data. 112. & 113. Quæ sit Vicarii electi Jurisdictio. *vide* Capitulum Sede vacante.
VICARIVS GENERALIS Episcopi qualis esse debeat. *cap.* 7. *n.* 59. *& sequent.* Ejus Jurisdictio est ordinaria. 63. *& sequent.* Est in Dignitate constitutus, adeoque potest esse Delegatus Papæ. 67. Præcedit Canonicos, & Capitulum extra Chorum, non autem in Choro, ubi si est Canonicus, in stallo sui Canonicatus sedet. *ibidem.* ejus potestas finitur, vel morte Episcopi constituentis, vel per voluntatem ejusdem contrariam. 68.
VISITATIO facienda ab Episcopo. *cap.* 7. *n.* 46. Quæ loca visitari debent. 48. Quæ personæ. 49. *& sequent.*
VOTA post biennium in Societate Jesu pariunt effectus Professionis Religiosæ præter insolubilitatem, & incapacitatem dominii. *cap.* 14. *n.* 34. Qui malis artibus post emissa ea vota, dimissionem è Societate quærit, est in statu peccati. 63. *vers. Præterea.*
UXORES Clericorum. *vide* Fori privilegium.

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA	*CORRIGE.*
In Titul. Decretalium litt. P. *Pœnit.*	*Pœnit. & remiſs.*
Pag. 5. lin. 24. Conclia	Concilia.
Pag. 32. lin. 1. Robuffo	Rebuffo.
lin. 20. Diſtribuire	Diſtribuere.
Pag. 39. lin. 19. & pag. 43. lin. 6. *de Reſcriptis*	*De Reſcriptis. in 6.*
Pag. 45. lin. 28. Juxta	Juſta.
Pag. 52. lin. 3. Fiant	Non fiant.
Pag. 66. lin. 3. *Modum*	*Mundum.*
Pag. 147. lin. 6. *n.* 29.	*n.* 39.
Pag. 190. lin. 31. *Appellatioſibus*	*Appellationibus.*
Pag. 201. lin. 25. *Eligendo*	*Eligendis.*
Pag. 333. lin. 7. *Monachis.*	*Monachus.*
Pag. 361. lin. 22. *Dubitat* 15.	*Dubitat.* 20.
Pag. 376. lin. 24. *Sec.* 31.	*Tit.* 31.
Pag. 377. lin. 10. *Dico*	*Dico* 4.

Reliquos errores, & præſertim in Orthographia, corriges Amice lector.

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by

